M'.5 2. 5. 249

Digitized by Google

XXXVII
GRAS.

Digitized by Google

DE

ORTU AC PROGRESSU
HÆRESUM
IO: WITCLEFI
In Anglia Presbyteri
NARRATIO
HISTORICA

AUTHORE

Fr. Petro Maria Graſſi Vicentino

AUGUSTINIANO.

VICENTIÆ, MDCCVII.

Ex Typographia Thomæ de Lavezarijs,
Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſſimo ac Reverendiſsimo Præſuli

Fr. PAVLO NALDINI
PATAVINO
IUSTINOPOLITANO EPISCOPO
Ex Auguſtiniana Religione Aſſumpto

Fr. Petrus Maria Graſſi Vicentinus
D. C. D.

DUabus præcipue cauſis, Illuſtriſsime Præſul, Opus hocce meum, tuo Nomini nuncupare me fateor impulſum. Altera ne ingrati animi notam incurrerem beneficentiæ tuæ immemor, qua me, cum Romæ Collegij noſtri Moderatorem ageres, mea ſtudia ad ampliora Religionis noſtræ munia promoturus, diſcipulum deſideraſti; quod idem mihi Florentiæ commoranti Antonius

San-

Digitized by Google

Sandrius Ravennas tanti Magiſtri Auditor meique amantiſſimus crebris literis iterato ſignificans, ne præclaram occaſionem reſpuerem, ſerio preſsiùsque commonuit. Reſtiti ſuadenti amico, ſimulque dolui, me literarijs Magni Noriſij negotijs præpeditum, propenſionis tuæ beneficio haud frui potuiſſe; ſolabar tamen animum meum, aliquando fortaſſe me repenſurum: Altera, quòd cum de noſtri temporis Hæreticorum Protoparente, Ioanne nempe Vvitclefo Chriſti ovibus lupo infenſiſsimo, hoc in Opere agatur, nulli profecto iuſtiùs aptiùsque offerendum erat, quàm tibi, qui inter Dominici gregis Paſtores vigilantia emines, doctrina effulges, morumque integritate clares. His etenim longe

ge antea tibi præſerentibus facem Innocentius XI. ſanctiſſimæ recordationis Pontifex ad Iuſtinopolitanam Sedem evexit; Tuoque Honori proſpiciens, eo prorſus tempore Epiſcopum deſignaverat, quo à ſupremis Auguſtinianæ Reipublicæ Gradibus invidorum fraude deturbatum Optimi quique deplorabant. Id tamen ſingulari Dei providentia comparatum fateri debemus, ut vel maxime tua in ferendis malis patientia, quæ inter virtutes oneroſior haberi ſolet, ſplendidiùs clareſceres, ipſa duce invitis Emulis glorioſior aſſurgeres.

Hanc igitur celebrem tui gloriam ceteris veriſque laboribus partam, appenſo munuſculo nos venerari tua Modeſtia patiatur, gratique animi nec unquam defuturæ æter-

num obſervantiæ pignus excipiat. Te interim dum vota noſtra ingeminamus, Divina Bonitas incolumem ſervet, ut Eccleſiam tibi deſponſatam, quam pretioſis monilibus, doctiſſimis inquam Commentarijs exornaſti, ſanctè diligas, fęlicem diuque regas; Bonus Paſtor à luporum incurſibus generoſè defendas, atque à Vergeriana præſertim lue, quæ ab impuriſſimo Vvitclefi fonte per luthereos rivulos putidiùs effluxit, ſi quid fortè inexſiccatum, quod abſit, adhuc latitare perſpexeris; urente charitate ſartam tectam cuſtodias, illibatamque conſerves. Vale.

Fr.

Fr. Adeodatus Nuzzi ab Altamura Sacræ Theologiæ Magiſter totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. P. N. Auguſtini Prior Generalis.

OPus, cui Titulus – *De Ortu, ac progreſſu hareſum Ioannis Witcleſi in Anglia Presbyteri Narratio hiſtorica* – A' Patre Bacchal. F. Petro Maria Graſſi Vicentino Ordinis noſtri elucubratum, & à duobus noſtri Ordinis Theologis, ad hoc à nobis deputatis, reviſum, & approbatum, ut in lucem edi poſsit, de licentia tamen eorum, ad quos ſpectat, harum vi literarum facultatem concedimus, & impertimur. Datum in Conventu noſtro S. P. Auguſtini de Vrbe die 3. Aprilis 1706.

Fr. Adeodatus Nuzzi Gener.

Noſtri muneris affixo Sigillo.

Magiſter Fr. Ioſeph Marchetti Foroſempronienſis Ordinis Secretarius.

NOI

N O I

REFFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & approbatione del P. Fr. Lodovico Fracaſtorio Inquiſitor di Vicenza nel Libro intitolato: *De Ortu, & progreſſu Hareſum Ioannis Witclefi Presbyteri Anglicani Auctore P. Petro Maria Graſsi Vicentino Auguſtiniano*: non v' eſſer coſ' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro; niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza à Tomaſo Lavezari Stampator in Vicenza che poſsi eſſer ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat 16. Agoſto 1706.

{ *Gio: Lando Kav. Proc. Refform.*

{ *Sebaſtiano Foſcarini Kav. Proc. Refform.*

{

Agoſtino Gadaldini Secret.

NAR-

NARRATIO
HISTORICA
De Ortu ac Progreſſu Hæreſum
IO: WITCLEFI

Cap. I.

Witcleſus Hæreſum noſtri temporis Protoparens. Eiuſdem patria, ingenium, ac ſtudia. Oxonij lauream ſuſcipit, fit Sacerdos, inde publicus Profeſſor, Parochus, ac Collegij Cantuarienſis Præfectus. Ob denegatum Epiſcopatum fit Hæreticus. Waldenſis à Baudinj impoſtura vindicatur.

NOvarum Hæreſum colluvies; quæ tot Septentrionalis Europæ Regiones, fœdando, Orbi Catholico eripuit, ab Anglia una earum nobiliſſima infauſta traxit Natalia. Parentem habuit Ioannem *W*itcleſum Presbyterum Apoſtatam non vulgaris eruditionis hominem qui nimium ſibi aſsumens, contemptis orthodoxæ fidei placitis, impia proprij cerebri commenta in Eccleſiam intrudere pertentavit. Hinc in abſurdiſsimos errores lapſus, antiquarum Hæreſum Monſtra Orco tandiu conſepulta infami calamo, quaſi

Digitized by Google

magica virga excitare auſus, immane bellum, diuque duraturum, Catholicæ Eccleſiæ indixit. Natus eſt in Provincia Leyceſtrenſi Lincolnienſis Epiſcopatus Diœceſi: De patria nil certi, niſi cum Eccleſiæ de Lutterworth Rector fuerit, talem quoque patriam habuiſſe dicamus. Poſitum eſt hoc Emporiolum prope viam militarem Romanorum *Watlingſtreat* nunc appellatam, quæ à Swifto Fluviolo ab Avona originato interrupta, Ponte coniungitur, qui de Lutterworth nuncupatur, quia verò intercisſus, in cauſa eſt, cur via tam celebris minus hodie frequentetur. Humili ſane loco obſcurisque Parentibus, at ingenio peracuto æque ac fervido à natura donatus, In primis literis domi teneros conſumpſit annos, Adoleſcens Oxonium tanquam ad ſcientiarum mercaturam profectus, in Collegio Merthonenſi ob rei familiaris anguſtiam adſcriptus fuit, quod Gvaltherus Merton Epiſcopus Roffenſis in agro Surrienſi olim fundaverat, mox Oxonium anno 1274. tranſtulerat, ac ex ipſius nomine Mertonenſe appellaverat. Hìc omnes artes, quas liberales vocant, tanta ingenij fœlicitate perdidicit, ut cæteros longo poſt ſe intervallo reliquerit. Emenſo ſtudiorum curriculo, ac Doctoratus laurea omnium plauſu ſuſcepta Presbyteratus charactere fuit inſignitus. Factus Sacerdos inter Academiæ Profeſſores Magiſtri artium munere decoratus ita ſe gerebat, ut quoties publicas diſputationes haberet, omnes ſuis acuminibus in admirationem traduceret. Hac ingenij fœlicitate in tantam animi elationem incidit, ut quosque etiam doctiſſimos deſpiceret, eorumque effata, ut ſe ſolum ſapere videretur, tanquam inſcitiæ nugamenta in Scholis, in Circulis, ubique vellicaret; qua dicendi mordacitate ſcholaſtica Iuventus, uti aſolet, attracta, ad ipſum præ cæteris audiendum maxime confluebat, ſummisque plauſibus, quos impenſe affectabat, è Cathedra deſcendentem proſequebatur.

Non

Non multos poſt annos Paræciam Eccleſię de Luttervvorth aſsequtus, Præfecturam quoque collegij Cantuarienſis ſibi obſequentium iniquo potiùs favore, quam iure obtinuit. Hoc Collegium Simon Islepus Cantuarienſis Archiepiſcopus Oxonij inſtituerat, ac pręſcripto firmaverat, ne ulli unquam niſi ex Regularium Ordinibus talis Præfectura committeretur, at Vvitclefus pingui huic proventui inhians, malis artibus potitus, Archiepiſcopi pręſcriptum, hactenus inuiolatum, infregit. Hinc exortis contentionibus, cauſam poſt longas diſceptationes Romæ dirimendam detulerunt, vbi examinatis hinc inde rationibus, Regularibus victoria ceſſit, ſtatimque Pontificis decreto à Pręfectura deturbarunt. Quare indignatus Vvitclefus, ſibique bolum è faucibus tam citò ereptum ægrè ferens immane odium in ſummum Pontificem concepit, quod tamen callidè aliquandiù occuluit, ſperans ob ſibi ablatam Pręfecturam, Vvigornienſem Epiſcopatum facile impetraturum; Verùm hac ſua ſpe ob repulſam fruſtratus, inteſtinum odium effundens, Romanę Eccleſiæ authoritatem, quædam fidei dogmata in dubium paulatim reuocando, perſtringere cœpit, quam poſtea contumelioſiſsimè proſcindendo, palamque toto impetu etiam ex cathedra oppugnando, peruicaciſsimum hæreticum ſe prodidit.

Iſtam porrò impio huic homini potiorem fuiſse cauſam apoſtatandi teſtatur illorum temporum ſcriptor Thomas Vvaldenſis Anglus Carmelitici Ordinis decus, fideique orthodoxæ contra Vvitclefiſtas ſtrenuus Propugnator tom. 1. doctrin. fid. lib. 2. art. 3. cap. 60. *ita creditur Vvitclef feciſse, quia ut dixit Robertus Sariſburienſis Epiſcopus in magna Synodo Cantuarienſis cleri Vvigornienſem Epiſcopatum non aſsequtus fuerat, quem optauit*: & lib. 4. art. 3. cap. 13. *& indubiè inter ſapientes fama ſimilis volavit ad Vvitclef,*

cleſ, quod ſcilicet dolore amiſsi Epiſcopatus in Vvigornienſi Eccleſia ad quem ſuſpiravit incautè, hæreſim ſuam ſuſcitauit contra dotationem cleri, & omnem Eccleſiæ dignitatem. Nec mirum Vvitcleſum eò quod Epiſcopatu indignus iudicatus fuerit, factum hæreticum, cum ferè omnium veterum Hæreticorum mos extiterit, ob aliquam dignitatem meritò denegatam, ab Eccleſia recedere, vt de Neſtorio, & Ætio tradit S. Epiphanius hæreſi 24. De Thebule Hegeſippus relatus ab Euſebio lib. 4. hiſt. cap. 21. De Tertulliano quem Carthaginenſis Epiſcopatus accepta repulſa, ab Eccleſia deſciviſſe ſcribit Pamelius in eius vita; ſeù, ut vult Baronius ad an. 201. *indignè fortaſſe tulit illum*, nempe Victorem Papam conterraneum ſuum, *ſibi honore prælatum, vel quod ab ipſo non adeò, vt ſibi præſumpſerat haberetur vel coleretur officijs*. De Meletio vt refert Socrates lib. 1. hiſt. cap. 3. alijſque quamplurimis quos recenſere nimis longum eſſet. Quapropter Auguſtinus Parens ſanctiſſimus hæreticum pingere volens ſic ait lib. de Vtilit. credendi cap. 1. *Hæreticus eſt, qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ principatuſque ſui gratia, falſas, ac novas opiniones gignit vel ſequitur*.

Verùm antequam ulterius progrediamur hìc parumper immorari cogimur, quò laudatum Vvaldenſem, quem doctorem, & ductorem in hac noſtra narratione ſequimur, ab ignominioſa quadam macula ipſi turpiter inuſta vindicemus. Iulius Baudinus mei inſtituti Theologus ac iuris Canonici Profeſſor in ſua diſſertatione Hiſtorico-Canonicâ pro identitate reliquiarum S. Patris Auguſtini § 5. pag. 40. denarrato miraculo de obtenta ſanitate cuiuſdam pueri filij Annæ Franciſcę uxoris Pauli Salæ Pelliciarij per aſperſionem aquæ ſacri putei exiſten-

exiſtentis in ſcurolo Eccleſiæ S. Petri in Cœlo aureo Papiæ, hæc ſubiungit: *Solum addo, me non putare, quod aliquis eam aſperſionem ſuperſtitionis arguere poſſit. Nobis enim res eſt cum Catholicis, non cum* Thoma Vvaldenſi, *qui ut teſtatur Bellarminus lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 7. aſſerebat benedictionem aquæ eſſe veram practicam necromantiæ, in quem errorem etiam lapſi fuerunt olim Bohemi teſte Ænea Sylvio, qui fuit poſtea Pius* II. *lib. de origine Bohemorum cap.* 35. Vno eodenque ignominiæ ictu duos celeberrimos fidei defenſores impetit, Vvaldenſem ſcilicet, quòd aſſeruerit benedictionem aquæ eſſe veram practicam necromantiæ, & Bellarminum, quòd id à Vvaldenſe aſſertum teſtetur; ſed quam falsò utrunque dictum ſit, ex ipſiuſmet Bellarmini dictis euidentiſſimè conuincitur. Do ipſiſsima eiuſdem verba initio citati capitis: *Primi, qui eiuſmodi benedictiones irridere cæperunt, Vvaldenſes ſunt, ut patet ex fragmento operis Reynerij, quod extat in fine libri Claudij Couſsord contra Vvaldenſes*: paulo infra: *Poſt eos Vvitclefiſtæ,* [*teſte Thoma Vvaldenſi tom. 3. tit. ult. Cap.* 168.] *aſſerebant benedictiones aquæ, ſalis, vini, panis, olei, cereorum & ſimilium, eſſe veram practicam necromantiæ; idem de hæreticis in Bohemia graſsantibus ſcribit Æneas Sylvius lib. de origine Bohemorum Cap.* 35. Quibus verbis docet Bellarminus, Hæreticos Vvaldenſes iſtas benedictiones primos irriſiſſe, & poſt eos, eaſdem veram eſſe practicam necromantiæ Vvitcleſiſtas autumaſſe: ad quod comprobandum, teſtem adhibet Vvaldenſem, qui tom. 3. ſuorum operum tit. 24. toto capite 168. hanc hæreſim contra Vvitcleſum & eius aſſeclas validiſsimè confutat, ita inter alia ſcribens: *De aqua item benedicta non eſt apud Vvitcleſiſtas ſim-*

plex

plex blaſphemia dicentibus eis in libello oblato Parlamento Regis Richardi quæſtione quinta, quòd exorciſmi & benedictiones factæ ſuper vinum, panem, & aquam &c. ſunt vera practica necromantiæ potius quam ſacræ Theologiæ. Et infrà num. 4. *quis ergo fidelium vel minimus dubitat, qui Euangelium ſemel audiuit, quin divinę benedictiones & piæ preces creaturarum naturas exaltant & efficiunt potentiores? quis Chriſtianus hoc ignorat? Dæmones hoc credunt & contremiſcunt. Unde certior factus omni fide conteſtor, quod ars Dæmonis callida eſt, quæ per Lolardos, ideſt Vvitcleſiſtas reſonat inter gentes contra ſanctificationes & benedictiones Eccleſiaſticas in res ſacras. Non enim cruciat Dæmones aqua niſi ſancta, non ſal, nec terra, non domus, vel arma, non homo, non creatura alia, niſi ſacra, niſi adiuratione purgata, & crucis ſignatione defenſa. Tunc torquetur, tunc fugit, ſi ligatus non fuerit, vbi diuina & ſumma virtus fuerit inuocata, tunc Chriſtianis nocere non poteſt, vbi ſigna ſacra perſenſerit, hæreticos excitat, qui ſacras res ut viles deſpiciant, ut ablato propugnaculo ſanctitatis in rebus, Diabolo ſit patens introitus. Paganus ſi hoc diceret inter fideles, Diaboli ſtatim cenſeretur amicus: ſed hæc per falſos Chriſtianos probatiùs operatur: Sancti autem Patres antiquæ Eccleſiæ contra eum hanc aquam benedictam commune remedium prouiderunt. Quis novus hæreticus contra eos eſt audiendus ſimpliciter?*

Hoc ne eſt aſſerere aquæ benedictonem veram eſſe practicam necromantiæ, an potius oppugnare? Non aſtruit hoc Vvaldenſis, ſed ab hæreticis Vvaldenſibus, & Vvitcleſiſtis impiè dictum urget ac deſtruit; & hoc eſt

eſt quod veriſsime teſtatur Bellarminus cuius verba parum obſervaſſe Baudinum puto, ne dicam, illa exſcribendo, dormitaſse; equidem nominum ſimilitudine deceptus, *W*aldenſem cum *W*aldenſibus confundens, inſignem fidei Propugnatorem Hæreticorum Sectæ aſcripſerit. Audiat interim qua laude, quove encomio *W*aldenſem honoret Cardinalis Bona morum ſanctitate ac doctrina Eminentiſsimus in Notitia Authorum pag. 968. *Thomas Waldenſis Carmelita magno pollens ingenij acumine, ut ex Doctrinali fidei colligitur quo Hæreſes extirpantur*. Et de divina Pſalmodia cap. 4. § 3. *Contra quem*, nempe *W*itcleſum, *ſtetit murus æneus & columna ferrea pro domo Dei Thomas Waldenſis fidei Catholicæ eximius propugnator*.

Interea *W*itcleſus nil aliud mente revolvebat, quàm Eccleſiaſticam Hyerarchiam deſtruere ac Religionem Catholicam evertere, quippequi de ſibi ablata Præfectura ac denegato Epiſcopatu iniurias ulturus. Sciens verò nullam prorſus Hæreſim abſque Principis præſidio haud longiùs progreſſam, Aulam frequentare cæpit, omnemque artem adhibuit, ut Regem ipſum Eduardum huius nominis tertium ſua peſte contaminaret; quod ex eo facile obtinuit; nam cum Clemens VI. Romanus Pontifex tunc temporis per Bullam decreviſset, ut duo millia marcarum à Cantuarienſi & Eboracenſi Diœceſibus annuatim ſolverentur in cuiusdam Cardinalis ſubſſidium, qui redituum anguſtia ijs carebat quæ ſui gradus neceſsitas poſtulabat, Rex Summo Pontifici ſeſe oppoſuerat, reſciſsaque Bulla, iuſſam pecuniam ne ſolverent Cantuarienſi ac Eboracenſi Archiepiſcopis graviter inhibuerat; huius inter Regem & Pontificem diſsidij occaſionem nactus *W*itcleſus primùm præcipuis Aulicorum, inde ipſi Regi inſinuare cæpit, ſummum

mum ius in rebus Eccleſiaſticis ad Regiam Maieſtatem ſpectare dumtaxat, nec aliam Eccleſiæ Poteſtatem, excepto uno Ieſu Chriſto, in proprijs Dominijs agnoſcendam: quod putidum ſemen poſtea infælicem illum Primatum in Eccleſia Anglicana ſub Henrico VIII. produxit. Peſſimi huius hominis dictis maxime adhęrens Eduardus alia quædam in Romanæ Curiæ detrimentum prohibuit, quæ refert Henricus Knygheton illius temporis Scriptor de Eventibus Angliæ ad annum 1348. *Super quo Rex miſit in ſingulos Comitatus Regni, ne quis ab eo tempore & deinceps admitteretur per Bullam ad aliquod beneficium nec reciperetur ſine licentia ſpeciali Regis. Inſuper Magnates & Proceres Regni Angliæ obloquuti ſunt, & minati, quòd ſi Papa conferret beneficia Eccleſiæ talibus proviſionibus ſive indigenis ſive alienigenis, quæ quidem beneficia Anteceſſores ſui contulerant Viris Religioſis & Eccleſiaſticis in Eleemoſinam, ut pro ipſis & animabus ſuis orarent; ipſi ea beneficia in manus proprias repeterent, ſicut Anteceſſores habuerant, & de eis ad placitum diſponerent.* Ex ijs à Rege tam acerbe imperatis, Procerumque in Pontificem minis animatus Witcleſus, incæptam telam effuſiori licentia pertexere ſatagens, pravis opinionibus, quas erudita hypocriſi varijs Evangelij verbis infarciebat, pronis ad ſua commenta Aulicorum animis facile corruptis, totam pene Aulam pernicioſis erroribus impleverat. Quod cum ad aures Archiepiſcopi Cantuarienſis perveniſset ſtatim, qua potuit ſolicitudine, Witcleſi conatus reprimere curavit, facilique negotio perfeciſſet, niſi Regis Procerumque quorundam patrocinium obſtitiſſet; ne tamen optimi Paſtoris officio ac muneri deeſſet, quàm cito Opuſculum congeſſit quod appellavit. *Speculum Eduardi Tertij,*
cuius

cuius initium erat: *O Domine mi Rex utinam ſaperes*, in quo Vvitclefi fraudes detexit, eiuſque ſcopum ſolùm eſſe ſuis verſutijs Eccleſiam diuidere ac religionem abolere monſtravit, propterea ſuum eſſe, uti Regem Catholicum decebat, hæreſes obruere naſcentes, nouorumque dogmatiſtarum fauces regia authoritate ſuffocare. Sed Eduardus zelantiſſimi Præſulis monita nihili faciens nullum periclitanti Religioni remedium atulit, nec adhiberi permiſit; quare Vvitclefus gratia Regis ſecurior factus Oxonium reuerſus publicè in Academia contra Eccleſiaſticos omnes debacchari cæpit. Eorum Collegia, gradus, & magiſteria, ipſas quoque Vniverſitates eſse ethnicorum inuenta dicebat, à Chriſto ſuis Sacerdotibus prohibita, quod poſtea exaravit in Tractatu ſuper caput 23 Matth. cap. 5. *Chriſtus hic prohibuit ſpecialiter Apoſtolis & ſuis Sacerdotibus gentile magiſterium ſiue ſcholaſticum, licet toleravit quòd perſona aliqua non Sacerdotes taliter magiſtrentur: ipſi tamen in hoc peccant graviter quòd contrà Chriſti preceptum & duplicem ſtatum perfectum inaniter ſunt ſuperbi*. Et infra: *Breuiter omnis ſecta, ſtatus, vel operatio quam Chriſtus non approbat in ſuo Euangelio, eſt rationabiliter dimittenda: ideo quoniam Chriſtus non approbat, ſed reprobat gentile Magiſterium ſupradictum, patet, quòd ſicut quatuor Sectę, quas ſæpe memini, eſt de Eccleſia dimittendum*. Item in Speculo militantis Eccleſiæ cap. 26. ſcribit: *Quia enim Chriſtus non ordinavit iſtas Univerſitates, ſive Collegia, manifeſtum videre, quòd iſta ſicut graduationes in illis ſunt vana Gentilitas introducta, in cuius ſignum tam collegiati, quam alij graduati quærunt quæ ſua ſunt charitatis regulas deſerentes; ex quo pullulant invidiæ,*

 vidiæ,

vidiæ, *comparationes perſonarum & patriæ*, *& multa alia ſeminaria patris Mendacij*. Præterea Theologos Scholaſticos eſſe nebulones, ſuis interpretamentis ac diſtinctionibus ſacram paginam implicari, Chriſtique Euangelium obſcurari deblaterabat: Quatuor Mendicantium Religiones, quas odio plusquam Vatiniano perſequebatur, caſtra Caimica appellabat, quod ſcriptis tradidit in 4. Trialogi cap. 33. *Et in teſtimonium iſtorum*, *quatuor literæ huius nominis* Caim *inchoant hos quatuor ordines ſecundùm ordinem quo finguntur à fratribus incæpiſſe*; *ita quòd C. Carmelitas figurat*. *A. Auguſtinenſes*. *I. Iacobitas*. *M. Minores*, *ſecundùm ordinem temporis quem mendaciter ſibi fingunt*. Et in lib. de Eccleſia & membris eius cap. 8. *Sicut diabolus in* Caim *contra ſtatum innocentiæ ædificavit civitatem*, *ut ſpolia prædata contra charitativam communicationem populi tueretur*, *ſic iſti fratres in domibus defenſionum ſuarum prædas populi quas rapiunt reſervarunt*: *Unde quatuor ordines fratrum in nomine Caim figuravit*. Quæ quidem omnia mirificè refellit Vvaldenſis tom. 1. doctrin. fid. lib. 2. art. 3. cap. 68. & 69. Quàm verò ineptè & inſulsè dixerit quatuor fratrum Ordines in nomine *Cain* contineri ex eo manifeſtum ſit, quod in Sacris ſcripturis & Hæbreorum codicibus non legitur קאים cum M. ſed קין cum N. quod poſſeſſionem ſignificat ut ſcribit Sanctus Hieronymus de Hæbraicis quæſtionibus ſuper Geneſim in principio: *Cain*, inquit, *aquiſitio ſiue poſſeſſio interpretatur*: quod deductum ex illis Heuæ verbis Geneſis 4. *Poſſedi hominem per Deum*, pariter docet Sanctus Iſidorus lib. 7. etymol. cap. 6. his verbis: *Cain poſſeſsio interpretatur*, *unde etymologiam ipſius exprimens mater eius ait*, *poſſedi hominem*

minem per Deum . Hoc igitur nomine קין quod interpretatur poſſeſſio, denuntiatur primogenitus Adæ ac reproborum caput à quo *Cainani* Hæretici qui medio ſecundo ſæculo emerſere denominationem ſumpſerunt . E' contra verò קאים quamvis apud Hæbreos ſit מילה נכרה ideſt loqutio extranea, ut apud Dauid de Pomis , idem tamen ſonat ac עומד hoc eſt , *ſtans* , ut mihi explicavit amiciſsimus Concœnobita Gvilelmus Cao Hæbraicæ linguæ ſtudioſiſſimus ; quę profectò ſignificationes quàm diſparatæ ſint , longèque diſtent , nemo non videt ; immo euidentiſſimè dignoſcitur , Vvitclefum abraſa à *Cain* litera N. per ſummam malignitatem literam M. appoſuiſſe , ut fratres Minores indicaret, ac perinde quatuor Mendicantium Ordines per quatuor illas tam eſecrandi nominis literas exprimi idiotarum ac imperitorum mentibus faciliùs infigeret . Ita non minori impudentia fratres Prædicatores *Iacobitas* dicit , quaſi ab inſtitutore aliquo Iacobo talem denominationem habuerint , vel ubique gentium eo nomine communiter appellarentur, cum ſolùm Pariſijs olim à vulgo ita appellatos legamus , eò quod ipſis Hoſpitale peregrinorum Sancti Iacobi prope Urbis portam eiuſdem nominis poſitum ad eorum manſionem aſſignatum primitùs fuerit , ut refert Matth. Paris ad an. 1198. , & Vvilelmus Vvidefordus in Faſcicul. fol. 132, eo prorſus modo, quo nunc etiam videmus, Fratres cuiuſcunque Ordinis à Diuis ſuarum Eccleſiarum tutelaribus ac patronis peculiariter denominari, ut nos Auguſtiniani Bononiæ fratres Sancti Iacobi appellamur: num ergo tota noſtra Religio Iacobitica dicitur ? ita Sancti Dominici Ordo nequaquam dici poteſt Iacobiticus , quamvis Pariſijs eiuſdem Religioſi Sancti Iacobi fratres tunc nuncuparentur , nec per illam literam I. nomini *Cain* inſitam uſquam gentium intel-

ligi poteſt Sancti Dominici Religio, ut impudentiſsimè commentus eſt Vvitcleſus. Quibus, alijſque mendaciſſimis calumnijs varios etiam in fide errores inſerens, ſenſim auditorum animos ad Hæreſim pelliciebat, ità ut nonnullos etiam ex Academia publicos Profeſſores, quibus fortaſſe Regularium nomen ſtomacho erat, in ſuam ſententiam perduxerit, qui poſtea impiam ipſius doctrinam uſque adeò defendere ac propagare inſudarunt, donec, ut infrà dicemus, vel igne combuſti, vel perpetuis carceribus mancipati infælices animas unà cum hæreſibus miſerabiliter evomuere.

Digitized by Google

Cap. II.

Vvitcleſi tempus inquiritur. Harpsfeldius rotundo numero uſus longè nimis aberrat. Natalis Alexandri adventus in Angliam Auguſtini Monachi à Sancto Gregorio Magno miſsi, error notatur. De annis imperij & Conſulatus Mauricij diſputatur. Prateoli de Vvitcleſi tempore opinio laudata atque defenſa. Vvaldenſis mens in hac re dilucidata.

TEmpus quo Vvitcleſus Eccleſiam Catholicam hæreſibus labefactare exorſus eſt, apud Authores, quos perlegere datum eſt, incertum reperimus; quot enim Hiſtorici, ſiue Crhonologi de hac re ſcripſerunt, tot prodivere opiniones. Nicolaus Harpsfeldius Archidiaconus Cantuarienſis cap. 1. Hiſtoriæ Vvitclef: ita ſcribit: *Octingenti iam penè anni profluxerant poſt ſuſceptam ab Anglis Doctore atque initiatore divo Auguſtino Chriſtianam fidem, cum Vvitcleſus eam primus nefariè contaminavit atque deformavit*. Magnus Gregorius

qui

qui Anglicanam gentem ad Chriſti fidem converſam videre diù percupiverat, factus Pontifex Auguſtinum Monaſterij Sancti Andreæ Præpoſitum, quod ipſe ad Clivum Scauri Romæ antea fundaverat, ad hanc obeundam provinciam cum ſocijs quibuſdam in Inſulam miſerat; qui cum in Galliam perveniſsent de itinere ad gentem barbaram & idololatram perterriti, ulteriùs progredi detrectantes, domum reverti ſtatuerant; quod animadvertens Auguſtinus magnis itineribus Romam reverſus, omnia Sanctiſsimo Pontifici expoſuit; his auditis Gregorius hortatorias literas ad incæptum opus proſequendum ſocijs deferendas Auguſtino tradidit, quas profert Beda lib. 1. hiſt. Angl. cap. 23. ſub hac forma.

Gregorius Servus Servorum Dei.

Quia melius fuerat bona non incipere, quàm ab his, quæ cæpta ſunt cogitatione retrorſum redire, ſummo ſtudio dilectiſsimi filij oportet ut opus bonum, quod auxiliante Deo cæpiſtis, impleatis. Hic ergo labor vos itineris, nec maledicorum hominum linguæ deterreant ſed omni inſtantia, omnique feruore quæ inchoaſtis Deo authore peragite. Scientes quòd laborem magnum æternæ retributionis gloria ſequitur. Remeanti autem Auguſtino Præpoſito veſtro, quem Abbatem vobis inſtituimus, in omnibus humiliter obedite. Scientes hoc veſtris animabus per omnia profuturum quidquid à vobis fuerit in eius admonitione completum. Omnipotens Deus ſua vos gratia protegat, ut veſtri laboris fructum in æterna me patria videre concedat; quatenus & ſi vobiſcum laborare nequeo, ſimul in gaudio retributionis inveniar, quia laborare ſcilicet volo. Deus vos incolumes cuſtodiat dilectiſsimi filij. — Data die decima calendarum auguſtarum imperante domno noſtro Mauricio Tiberio piiſsimo Auguſto anno decimo quarto

quarto, poſt conſulatum eiusdem domni noſtri anno decimo tertio, indictione decima quarta.

Acceptis Auguſtini Socij Sancti Pontificis literis, omni metu procul excuſſo intermiſſum iter alacri animo ſuſceperunt, breuìque unà cum Auguſtino Inſulam tenuere. Ex qua recitatæ epiſtolæ ſubſignatione optimè deducitur annus Auguſtini adventus in Angliam, ſiquidem Mauricius iuxta Bedam initio citati capitis, imperium inijt anno 582; igitur annus decimus quartus imperij eiusdem deſignat annum epochæ Chriſtianæ 596, quo Auguſtinus cum Socijs in Angliam pervenit.. Anno verò ſequenti, nempe 597, Ethelbertum Regem vnà cum ſuis Doroberniæ, nunc Cantuaria, quæ Regni metropolis erat, ſacro Baptiſmatis lavacro expiavit, totamque Angliam poſtea, quæ nunc ſub hæretica prauitate miſerè iacet, Chriſto Domino eiuſque Sponſæ Romanæ Eccleſiæ regeneravit.

Natalis Alexander Doctor Sorbonicus noſtrique temporis Scriptor celeberrimus vult, Auguſtinum ſolùm ſexennio poſt in Angliam perveniſſe; ita enim ſcribit tom. 5. ult. edit. ſæculo 7. cap. 8. § 3. pag. 585. de Rege Ethelberto: *Auguſtinum & Mellitum Sanctiſsimos Monachos à Sancto Gregorio Romano Pontifice, ad prædicandum Anglis Euangelium miſſos humaniſsimè ſuſcepit anno ſalutis* ſexcenteſimo tertio, *eorumque prædicatione & hortatu, Chriſtianam Religionem amplexus eſt, & Sacramento Baptiſmatis initiatus*. At longè fallitur Vir doctiſsimus verbis Polydori Vergilij deceptus initio lib. 4. ſuæ Hiſtoriæ hoc idem ſcribentis: Equidem Sanctus Gregorius clariſsimè teſtatur, pluſquam decem Anglorum millia ab Auguſtino iam baptizatos anno 597; quod tali anno factum haud affirmare poſſet, ſi Auguſtinus anno ſolùm 603. in Angliam appuliſset. Do Sanctiſsimi Pontificis

tificis verba ex lib. 7. Epiſt. Epiſt. 30 ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum indictione prima, quæ à menſe Septembri currebat anno 597. *Sed quoniam verè in bonis quæ agitis, ſcio quod & alijs congaudetis veſtræ vobis gratiæ vicem reddo, & non diſsimilia nuntio: quia dum gens Anglorum in Mundi angulo poſita, in cultu lignorum ac lapidum perfida nuncuſque remaneret, ex veſtræ mihi orationis adiutorio placuit, ut ad eam monaſterij mei Monachum in prædicationem tranſmittere Deo authore debuiſſem. Qui data à me licentia à Germaniarum Epiſcopis Epiſcopus factus, cum eorum quoque ſolatijs ad prædictam gentem in fine mundi productus eſt, & iam nunc de eius ſalute & opere ad nos ſcripta pervenerunt, quia tantis miraculis vel ipſe, vel hi qui cum eo tranſmiſsi ſunt, in gente eadem coruſcant, ut Apoſtolorum virtutes in ſignis, quæ exhibent, imitari videantur*, in ſolemnitate autem Dominicæ Nativitatis, quæ hac prima indictione tranſacta eſt, *pluſquam decem millia Angli ab eodem nuntiati ſunt fratre & Coepiſcopo noſtro bapthizati*. Solemnitas Dominicæ Nativitatis, quæ in dicta prima indictione tranſacta erat, fuit dies 25. Decembris, quo labebatur annus 597; incæperat enim indictio illa Menſe Septembri eiusdem anni procurſura ad eundem uſque menſem ſubſequentis anni 598. Quare, anno 597 ſuſceptæ fidei ab Anglis ita ſtabilito, ſi eidem addantur iuxtà Harpsfeldium anni octingenti, habebitur annus 1397, qui fuit decimus poſt mortem Vvitclefi, anno etenim 1387, ut infrà videbimus, interijt Hæreticus.

Verùm annorum illam à nobis laudatam Mauriciani imperij Bedæ ſubſignationem in mendo cubare aſſerit Cardinalis Baronius ad annum 596. *Sed mendoſa ſup-*

puta-

putatio annorum Imperatoris ex citatis ſuperiùs locis Sancti Gregorij, & exactè enumeratis annis Mauricij eſt emendanda, qua idem Beda deceptus annos eiusdem Imperatoris aliter quam opus eſt, numerat. Cum potiùs ab ipſo annorum Mauricij facta ſupputatio ſit corrigenda, ait enim ad an. 586. initio: *Quingenteſimo octuageſimo ſexto Chriſti anno quartæ indictionis menſe Auguſto moritur Tiberius Imperator, atque in locum eius Mauricius ſubrogatur*. Quod omnino falſum eſt; Tiberius enim mortuus eſt anno 582. menſe Auguſto, Mauricius Imperium inijt eodem anno & menſe, ut euidentiſsimè oſtendit doctiſsimus Cardinalis Henricus de Noris in Diſſertatione Hiſtorica de Synodo V. cap. 9. § 3. Rurſus, Bedam erraſſe circa annos Conſulatus eiusdem Imperatoris contendit Scriptor inſignis, ſic enim ſcribit loco citato: *Nam, ut id modo attingamus, quo pacto data dicitur poſt conſulatum Mauricij anno* 14. [apud Bedam legitur anno 13.] *ſi acta publica ſub eodem Gregorio habita poſt annos quinque, nempe indictione* 14. (repone 4.) *notata habentur Conſulatu eius undecies*? quæ acta habentur lib. 9. Epiſt. Sancti Gregorij Epiſt. 22. in qua Probo Abbati Monaſterij Sancti Andreæ teſtandi facultatem concedit ſub his verbis. *In nomine Domini Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti, imperantibus Domino Mauricio & Tiberio Auguſtis, anno Incarnationis Dominicæ ſexcenteſimo primo, eodenque Domino undecies Conſule, &c.* Hìc errorem irrepſiſſe puto, ac pro *undecies* Conſule reponendum eſſe *decies* Conſule, incipiendo enim ab anno 592. quo ſecundum Conſulatum geſsit Mauricius, & per ſingulos annos quoad vixit continuavit, annus 593 dicitur iterum Conſul, annus 594. III. Conſul, & ſic deinceps uſque ad an-

num 601. quo dicitur *decies* Conſul, ut cuilibet computanti patere poteſt. Bedam verò erraſſe circa annos Conſulatus Mauricij certum eſt, putavit enim Mauricium Conſulatum geſsiſſe anno 583. annum verò 584. fuiſſe poſt Conſulatum, annum 585. II. poſt Conſulatum, & ſic deinceps uſque ad annum 596. qui iuxtà ipſum fuit 13. poſt Conſulatum, quod falſum eſt; nam Mauricius Conſul fuit anno 584. ut refert Panvinius in Coment. lib. 3. Faſtorum: *Anno Chriſti DXXCIIII. Imp. Caſar Tiberius Flavius Aug. Conſul fuit ſine collega*. Et Theophilatus Simocatta lib. 1. Hiſt. Mauricianæ cap. 12. *Agebatur annus Mauricij ſecundus cum hyème Conſul creatus conſcenſu curru Imperatorio ſummè conſpicuus erat: quem non equi; non muli, ſed homines, res & nomen honoratiſsimum, trahebant*. Qui annus ſecundus Mauricij fuit 584. & labebatur menſe Auguſto; anno enim, uti diximus, 582 eodem menſe Imperium ſuſcepit; initio igitur dicti anni 584. (mos enim erat calendis Ianuarij faſtis Conſularibus annum adaperiri) primum Conſulatum geſsit; annus verò 585. dictus eſt poſt Conſulatum Mauricij, ſequens iterum poſt Conſulatum vſque ad annum 591. qui VII. poſt Conſulatum fuit, licet eruditiſsimus Cardinalis de Noris opinionem Bedæ fortaſse ſequtus loco citato dicat: *Anno itaque 583. Conſul fuit Mauricius, annus 584. dictus eſt poſt Conſulatum Mauricij. Vnde VII. poſt Conſulatum eiuſdem eſt character proprius anni* 591. Quod haud verum mihi videtur, nam ſi anno 583. ut ipſe ait, Mauricius Conſulatum inijt, VII poſt Conſulatum haudquaquam eſſe poteſt character proprius anni 591. ſed veriùs 590. ut annos enumerando euidenter dignoſcitur. Anno verò 592. iterum Conſul fuit, ut tradit Panvinius loco ſupra laudato:

Anno

Anno Chriſti DXCII. Mauricius Imperator ſine collega ſecundum Conſulatum geſsit. Ex quo apparet etiam in hoc Bedam errorem commiſiſſe ſcribendo *poſt Conſulatum anno* 13. etenim falsò opinatus eſt, Mauricium ſemel tantùm Conſulatum geſſiſſe, cum ab anno 591. qui fuit VII. poſt primum Conſulatum uſque ad annum 602. quo vitam cum Imperio amiſit, faſtos Conſulares ſingulis annis continuaſſe teſtetur Panvinius. Quare ſic corrigendi ſunt Mauriciani Conſulatus anni in dictæ Epiſtolæ Data: *Data die decima calendarum auguſtarum imperante domno noſtro Mauricio Tiberio piiſſimo Auguſto anno* 14. *eodemque domno V. Conſule*, quod eſt verus character anni 596. Quod ſi animadvertiſſet Eminentiſs. Baronius, tali teſtimonio Epiſtolæ Sancti Gregorij ad Probum Abbatem nequaquam uſus fuiſset, ut Bedam corrigeret, cum idem non ſit II. Conſul, III. Conſul, IV. Conſul &c. ac II. poſt Conſulatum, III. poſt Conſulatum, IV. poſt Conſulatum, ut de ſe clariſsimum eſt, quia verò hoc diſcrimen haud obſervavit Vir inſignis exiſtimans fortaſſe, XI. Conſul idem eſſe ac XI. poſt Conſulatum, ideo, meo videri, tale teſtimonium perperam adhibuit.

Hìc pariter refellendus venit Ricciolius qui tom. 3. ſuæ Chronologiæ Reformatæ parte 2. Catalogo Conſulum ad annum 567 ſcribit: *Iuſtinus Imperator & Conſul, & ſic ipſo vivente, poſt eum enim prorſus desiere Conſules*. Tiberius enim Iuſtini ſucceſsor, & Mauricius Tiberij, cæterique Imperatores uſque ad Conſtantinum Leonis IV. & Flaviæ Hirenæ Aug. filium, qui anno 779. adhuc vivente Patre Conſulatum inijt, Conſules fuere ex eodem Panvinio loco nuper citato, igitur falſum dicit Ricciolius, poſt Iuſtinum prorſus deſijſſe Conſules; Id tamen verum eſt, neminem poſt

ipſum Iuſtinum niſi Imperatores Conſules fuiſſe, cum antea etiam viri privati faſtis Conſularibus fungerentur, ut de Fl. Baſilio docet laudatus Panvinius eodem loco pag. 426. *Porrò autem hic noviſſimus omnium fuit qui privatus Conſulatum ordinarium geſſerit. Poſt eum enim neque in Oriente, neque in Occidente nemo privatus Conſul ordinarius amplius fuit; nam Imperatores tantùm deinceps Conſulatum ordinarium gerere cœperunt*. Deſijt igitur Conſulatus in Viris privatis, non verò in Imperatoribus, quod parum obſervavit Chronologiæ reformatæ Scriptor.

Has pauculas Chronologiæ notas attingere viſum eſt, ne cum Harpsfeldio numero rotundo contenti, tàm longè à ſcopo aberraremus, ac in eundem errorem de emerſo, decennio poſt mortem, Hæretico laberemus.

Cæterum alij Scriptores in aſsignando anno, quo emerſerit Hæreticus, maximè diſsident. Genebrardus in Chronico prodijſse ſcribit an. 1358. Calviſius pag. 890. & Baleus de Script. Angliæ an. 1360. Pezelius in Melliſicio Hiſtorico an. 1367. Langhius in Chronico an. 1397. Wernerus Rolewik Weſtephalus in Faſciculo temp. ſexta ætate an. 1384. Gualterius ſęculo 14. Alphonſus de Caſtro lib. 2. & Gregorius de Valentia de Rebus fidei an. 1380. Cedrenus in fine Annalium tabula 10. Miræus in Chronica, & Bellarminus tom. 3. pag. 314. an 1370. Gordonus an. 1371. Carion in Chronico an. 1372. Natalis Alexander ſeculo 13 pag. 118. an. 1375. Denique Gabriel Prateolus in Elenco Hær. pag. 234. ait, Witclefum hæreſes palam euomere incæpiſse circa an. 1352; Quam opinionem, alijs ommiſsis, quia veritati magis conſonam, amplectimur & ſequimur; nam certum eſt Witclefum ob denegatum Epiſcopatum ab Eccleſia ſeceſſiſſe, ut teſte ipſo Waldenſe Superiori capite oſtendimus: At Sedes illa

tunc

tunc temporis bis tantùm Epiſcopo vacavit, nempe anno 1349. quo mortuo Ulſtano Ioannes Thuresbeius Clementis VI. diplomate è Menevenſi Epiſcopatu ad hunc fuit translatus; & anno 1352. quo Thuresbeio ad Eboracenſem Eccleſiam accerſito Reginaldus fuit ſubrogatus, cui ſucceſſit Ioannes Barnetus Archidiaconus Londinenſis anno 1361, quo *W*itclefus iam hæreticus erat, Islepus enim eo tempore ***Speculum Regis*** contra eundem ſcripſerat; unde credibile eſt, *W*itclefum ob colatum anno 1349 Thuresbeio *W*igornienſem Epiſcopatum, Clementi indignatum de hæreſi cogitaſse, poſtea verò anno 1352, cum in eadem dignitate alium iterum ſibi prælatum vidiſset, contra Eccleſię dogmata, & inſtituta Maiorum, proditorem palam & hoſtem induiſse.

Verùm Gualterius Prateoli opinionem reprobans conſtanter aſserit, pro ſe citans *W*aldenſem, Hæreticum incepiſse anno 1380; ſic enim ait in ſua Tabula Chronographica Sæculo 14. cap. 14. ***Illud*** (ſcilicet ſtylum) ***ad impugnandam Eccleſiam convertit anno circiter*** 1352 ***ſecundum Prateolum, vel ut cum Thoma Waldenſe*** meliùs dicam ***anno*** 1380. Quod quàm falſum ſit, nec hoc unquam à *W*aldenſe dictum facilè ex ipſiuſmet dictis demonſtratur: Tria volumina ſcripſit Thomas *W*aldenſis contra *W*itclefiſtas, & Huſſitas, in quorum primo ad finem præfationis dedicatoriæ ad Martinum V. ita loquitur: ***Reſtat maturare progreſſum, ut exitus tuus caudam antiqui Serpentis hæreſim hanc amputet, quæ*** plus ſexſaginta annis ***à Witclefiſtico fonte erumpens, dehoneſtavit Eccleſiam***. Quo anno iſta ſcripſerit, nil certi, cum nulla temporis nota dictam præfationem ſubſignaverit, nec ullum in toto volumine, quod adamuſſim perlegimus, de hac re veſtigium. Certum tamen habe-

habemus, ſecundum Volumen compleuiſse, ac Romam miſiſſe anno 1427. ut conſtat ex Epiſtola eiuſdem Pontificis ad ipſum *W*aldenſem Voluminis initio poſitam ſub his verbis.

Dilecte fili ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Placuit primò nobis opus, quod edideras contra Huſſitas hæreticos, teque fuimus hortati, ut id quod reſtabat in materia de Sacramentis ſimili perficeres ſtudio, & diligentia, quod te feciſse gaudemus, & tuum ſtudium utile, & ſalutare Eccleſiæ commendamus. Recepimus enim nuper de manu dilecti filij Ioannis Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Magiſtri in Sacra pagina latoris præſentium Volumen ſecundum de Sacramentis, quod per ſolemnes Viros videri, & examinari fecimus, ſicut primum, quod pariter fuit ab omnibus commendatum. Ex quo deſideramus, ut Volumen tertium de Sacramentalibus, cum illud perfeceris; nobis mittas. Cæterum ut damnatas concluſiones *W*itclefi ſecuriùs valeas confutare, mittimus tibi Bullam de damnatione librorum prædicti Hęretici. Et cupientes quantum poſsumus erga te propitiare Dei gratiam, pro cuius cauſa laboras, Benedictionem noſtram dedimus tibi, & omnibus fratribus tuę Provinciæ. – *Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos ſub anulo Piſcatoris, octavo die Auguſti, Pontificatus noſtri anno decimo*. Qui annus erat 1427; fuit enim in Pontificem electus anno 1417. die Sancti Martini in Concilio Conſtantienſi ſeſ. 41. Quando autem iſtud ſecundum Volumen ſcribere incæperit, ex ipſius verbis adiſcitur doctrina undecima pag. 9. eiusdem Voluminis: *Adhuc cum iſta dictarem, quidam Hereſiarcha eorum dictus Magiſter Guilielmus cognomento Sartoris ulciſcente Deo longævam eius perfidiam, decretis Sanctorum Pontificum damnatus eſt & degrada-*

gradatus &c. Annum verò, quo damnatus fuit iſte Guilielmus, prodit Volumine tertio, tit. 12. pag. 204. *Vnde Guilielmi cognomento Sartoris damnati Londini anno Dom.* 1422. Igitur quando ea ad initium ſecundi Voluminis dictabat, currebat annus 1422; cum autem anno 1427 Romam idem opus per Ioannem ſui Ordinis Magiſtrum miſerit, optimè deducitur, quatuor integros, ac completos annos ad ipſum concinandum inſumpſiſse. Ex quibus ita perſpectis affirmare inducimur, primo Volumini conficiendo, quia præ alijs duobus magis elaboratum, quatuor etiam ad minus, vel quinque annos impendiſse; quare ſi ab anno 1422, quo, ut diximus, ſecundum Volumen incœperat, per quatuor vel quinque annos retrocedamus, rectè colligimus, primum Volumen, incæpiſse anno 1417, vel 1418, à quibus detractis annis *ſexaginta*, quos in fine laudatæ præfationis nominat, habetur annus 1357, vel 1358; quia verò verbo illo *ſexaginta* addidit particulam *plus*, veriſimiliùs videtur, *W*aldenſis mentem fuiſse *W*itclefum contra Eccleſiam palam inſurexiſse circà dictum annum 1352 ut vult Prateolus, quam anno 1380., ut Gualterius pro ſe ſtare *W*aldenſem ſomnians, & *ut melius dicat*, autumat. Noſter quoque Torellius idem maiori confidentia de *W*aldenſe aſserit tom. 5. Sæcul. Auguſt. ad annum 1352. *Tomaſo Waldenſe ſtima che l' Apoſtaſia di coſtui ſuccedeſſe non in queſt' anno, come vuole il Prateolo, mà bensì in quello del* 1380. Vbinam de *W*aldenſe hoc legerit, quove teſte dicat, altum ſilentium.

Ricciolius etiam mox elapſi Sæculi Chronologus ſuum ſequens Gualterium in hunc lapidem impegit, ſic enim ait in tom. 1. ſuę Chronologiæ reformatæ, Chron. magno pag. 178. ad an. 1352 *Ioannes Witclefus Anglus Hærſiarcha nunc primùm emergit iuxtà Prateolum*

lum de Hæreſ: ſed magis anno 1380. *iuxtà Thomam Waldenſem.* Tom. verò 3. eiusdem Chronologiæ Catal. 2. Hærs. parte 3. pag. 127. aliter ſcribit. *Ioannes Witcleſus Anglus Sacerdos conceptas hæreſes anno* 1352, *palam euomuit an.* 1380. Magnus ſane concepus! Spatio enim 28. annorum indiguit, ut excluderetur partus. Quod quam abſit à vero euidenter euincitur; etenim Simon Islepus Archiepiſcopus Cantuarienſis in laudato *Speculo* Eduardi Regis, quod extat M. S. Cantabrigiæ in publica Bibliotheca, ut refert Pitſeus de Script. illuſt. Angliȩ pag. 498, multa contrà Witclefum, errores hinc inde diſeminantem, ſcripſit. Igitur multo ante an: 1380 hȩreſes palam euomuiſse Witclefum fateri debemus, quandoquidem an. 1380 erat decimus quartus poſt Islepi mortem, anno enim 1366. de Catholica Eccleſia optimè meritus vitam hanc cum meliore commutaverat. Præterea Gregorius Papa XI. tres ad Archiepiſcopum Cantuarienſem, & Epiſcopum Londinenſem Epiſtolas miſerat, in quarum prima iubebatur, ut procederent contra Ioannem Witclefum, deque illius erroribus inquirerent; in alijs verò duabus, ut citarent Witclefum ad comparendum coram Papa, ut habetur tom. XI. Concil. Lab. parte ſecunda, pag. 2038. Quæ omnes eodem modo ita erant ſubſcriptæ. *Dat. Romæ apud S. Mariam Maiorem undecimo Cal. Iunij, Pontificatus noſtri an. ſeptimo*, qui erat annus 1377, nam ad ſupremum Eccleſiæ gradum conſcenderat tertio Cal. Ianuarij anno 1370. Ricciolium igitur in errorem incidiſse clariſsimè conſtat, cum ex Epiſtolarum Gregorij ſubſignatione, ac Islepi teſtimonio ſatis lucidè appareat, Witclefum longè ante annum 1380 notorium Hæreticum palam comparuiſſe.

Cap.

Cap. III.

Witcleſus Oxonienſem Vniverſitatem erroribus foedat. Ioannes Dux Lanchaſtriȩ eius Patronus. Opuſcula contra Epiſcopos publicat, à Simone Iſlepo Cantuarienſi Archiepiſcopo prohibentur, qui poſtea moritur. Dux Lanchaſtriæ in Hiſpaniam proficiſcitur. Simon Langhamius Iſlepo ſuffectus triginta propoſitiones damnat. Dux Lanchaſtriæ in Angliam revertitur. Witcleſus ſeptem Eccleſiȩ Sacramenta oppugnat. In Romanum Pontificem ſcriptis debacchatur, ipſius iura Comitiorum decreto convulſa. Witcleſus Luthervvorth ſe confert. Leiceſtriam partemque Lincolniæ hæreſi inficit. Eduardus Rex moritur.

Vitcleſus Eduardi Regis gratia, Aulæque aura inflatus Oxonium, uti dicebamus, reverſus, ſuum zizania, dificiliùs poſtea eradicandum, ut altiùs infigeret, ſcholaſticam Iuventutem ad huiuſmodi rerum impreſsiones perfacilem, varijs erroribus

roribus in illa Academia nunquam adhuc auditis, imbuere ſatagebat; Theſes parùm fidei Catholicæ conſonas publicis certaminibus in dies exponebat, implicatisque ſophismatibus, ut ingenij peracuti erat, propugnabat; ita tamen ut ſparſim ſepiusque dicta quædam exciderent, quibus Eccleſiaſtica Poteſtas ſenſim impetebatur, quam acriùs è Cathedra differens acculeo & maledicto facetus liberiori ſermone proſcindebat. Hinc à Scholaſticis alijsque Auditoribus magni plauſus, quos maxime promovebat quidam *W*ilielmus eius Magiſter quem *W*aldenſis nominat tomo 1. libro 2. pag. 155. *Hic locus eſt quo ad erubeſcendum invitemus Wilielmum noſtri Witcleſi Magiſtrum & præcipuum in materia Præceptorem*. Perditus hic homo ſummæ ſibi gloriæ ducens talem habuiſſe diſcipulum, impia ipſius deliria fovebat, ac veluti perſpicaciſsimi ingenij miracula depredicabat; quibus laudibus talique laudatore faciliores decepti, quidam amicitiæ vi tracti, quamplurimi novarum rerum genio allecti, *W*itcleſi partes magno numero ſequebantur, ita quod, ſi qui contra ſe opponere tentarent, iniurioſis decertationibus contumelioſiſſimè exagitarentur: Ex quo factum eſt, ut Univerſitas illa, quæ tunc præ cęteris Orbi Catholico præfulgebat, perverſis *W*itcleſi dogmatibus in partes ſciſſa atque conſpurcata priſtinum ſplendorem amiſerit.

His diſſidijs turbata Academia, *W*itcleſica factio quotidie magis invaleſcebat, ad quam tuendam ſimulque roborandam novum repentè patrocinium *W*itcleſo aſſulſit. Graves tunc temporis, nempe anno 1364, exardebant iræ, animique offenſiones inter Ioannem Lanchaſtriæ Ducem Eduardi filium, & quosdam Epiſcopos præſertim *W*ilielmum *W*ikamum Vintonienſem ob quædam in re Eccleſiaſtica prætenſa iura, quæ à *W*i-

kamo

kamo nimis acriter defenſa toti Eccleſiaſtico Ordini immane huius Principis odium peperere. Hanc occaſionem nactus *W*itclefus, ut potentiſsimi Principis gratiam aſſequeretur, operam, vindictam meditanti, exhibuit. Pergratum Lanchaſtrio fuit talem pro explendo odio miniſtrum adinveniſſe, cui ſtatim rem impavidè totoque animo aggredi iubet pollicitus, ſe ei in omnibus, etiam apud Regem, ſi opus eſſet, nunquam defuturum, dummodo in Epiſcopos univerſumque Clerum calamum ſtringeret. *W*itclefus Lanchaſtrij promiſsis animatus, opuſcula quædam contra Epiſcoporum iura, ac ſpiritualem eorum Poteſtatem publicavit, quæ Oxonij ac Londini per manus omnium pervolantia, legentium animi ad venerandam Eccleſiæ in ſuis Præſulibus Maieſtatem proterendam foedè excitabantur. Simon Islepus Cantuarienſis Archiepiſcopus cum reſciviſſet, *W*itclefum libellos illos impulſore Lanchaſtrio edidiſſe, illicò Regem, rem totam ſanctè exponendo, certiorem fecit, admonens, ne *W*itclefi fautoribus aures tam faciles præberet, alioquin auitam Religionem brevì in toto Regno peſsum iri prævidebat; at Eduardus re diſsimulata, aulicis verbis quam cito ſe expediens omni prorſus ſpe fruſtratum Archiepiſcopum dimiſit: Ægrè id tulit optimus Præſul, Regemque in fovendo *W*itclefo ita propenſum ex animo doluit; quò tamen præſentiſſimo malo, quantum fas erat, occurreret, *W*itclefi opuſcula tanquam hæreſeos ſcatentia, ne impoſterum legerentur, interdixit, quæ quidem inhibitio non parum cohibuit *W*itclefi audaciam, equidem veritus, ne tanti Præſulis iam læſa authoritas magis exacerbaretur, ab evulgandis amplius libellis ipſo vivente abſtinuit, licèt à docendis tam domj quàm in publicis Scholis erroribus, haud unquam animum remiſerit.

Verùm dum Islepus ad præſervandam Catholicam Reli-

gionem totus incumberet, nimia ſolicitudine preſsus in morbum incidit quo ingraveſcente paulo poſt è vita migravit. Accidit hæc mors anno 1366. quo Lanchaſtrius cum fratre Principe *Walliæ* in Hiſpanias tranſmiſerat, opem Petro Caſtellæ Regi allaturus, in quem Henricus eius frater nothus ob crudelitates in Nobiliores præſertim Conſanguineos immaniter patratas, facta coniuratione ad Aragoniæ Regem confugerat; quo adiuvante conſcripto exercitu Caſtellæ Regnum ingreſsus ac Calaguria potitus in Regem ſe acclamari fecerat. Petrus repentino Henrici incurſu territus, ne in fratris poteſtatem incideret, Baionam Aquitaniæ urbem tunc Anglorum Dominio ſubditam magnis itineribus ſe contulit; ubi impetratis ab Anglo auxilijs Principe *Walliæ* ac Lanchaſtrio Ducibus in rebellantem fratrem exercitum movit. Henricus de adventu Anglorum monitus reſtaurato milite obviam factus, Navarcſium propè; quæ urbs eſt Prouinciæ Bercharniæ ad Hiſpaniæ fines poſita, acriter utrinque ac diù pugnatum fuit. Anglis ceſſit victoria. Henricus victus fugam arripuit. Ita recuperato ab Anglis Regno, cum Petrus pacta ſtipendia pecuniæ defectu ſolvere recuſaſset, *Walliæ* Princeps ac Lanchaſtrius, tribus eiusdem filiabus, donec ſtipendia ſolverentur, in obſidium adductis, victorem exercitum ad propria reduxerunt; Interim Henricus Anglorum diſceſsu opportunè uſus recollecto milite Toletum obſidet, ac fugientem Petrum per inſidias captum proprijsque manibus interfectum ſceptro potitus Regnum à fratris tyrannide liberavit.

Dum hæc in Hiſpanijs gerebantur Simon Langhamius Epiſcopus Elyenſis qui ex illa ſede in Cantuarienſem Iſlepo ſucceſserat, ad expurgandam Oxonienſem Univerſitatem *Witclefica* factione labefactatam animum adiecit, ſperans id ſibi abſente Lanchaſtrio *Witclefi*

Pro-

Protectore perfacile futurum. Convocato igitur apud Lambithum Concilio, in quo perpenſis accuratèque diſcuſſis varijs propoſitionibus, earum triginta hæreſim redolentes, quæve in dicta Vniverſitate aſtrui præcipuè ac publicè defendi vulgò dicebantur damnationis ſtigmate confixit, ipſaſque impoſterum tenentes, palam vel privatim docentes anathemate ſubiecit. Dimiſſo Concilio, damnationis decretum Oxonium tranſmiſit Vniverſitatis Cancellario quamprimum publicandum, quod ex tom. XI. Concil. Lab. pag. 2034. tranſcriptum exhibeo.

Simon Archiepiſcopus Cantuarienſis, &c.
Dilecto nobis in Chriſto filio Cancellario Vniverſitatis Oxonienſis ſalutem, gratiam, & benedictionem.

Secundum ſententiam Salvatoris, publicus humani generis inimicus in agro Dominico zizania ſeminare non ceſſat: ſed quò magis ut fructificet ſemen eius cuſtodes invigilant expurgare, tantò latentiùs agrum invadit, ut immiſſum gramen inficiat, & materiam adulterini ſeminis multiplicet & infundat. Sanè licet tanti hoſtis verſutiam præcaventes, ne ſubintraret agrum noſtræ Provinciæ, cui diſponente Domino præſidemus, tamen ex relatu plurimorum, & quærelofis vocibus ſubditorum noſtris auribus intimatur, quod pedem ſuum peſtiferum apponit agro noſtro ad deſtructionem veri ſeminis Ieſu Chriſti, quod & Patres noſtri præcipui ſapienter rigaverunt, & ſacratis ſcripturarum teſtimonijs firmaverunt; Nolentes igitur malum ſemen in altum ſubcreſcere, nec radices eius ſine debita deciſione à ſegete extirpare: tam Doctorum ſacræ paginæ quàm aliorum utriuſque iuris Peritorum multitudinem fecimus congregari, ut diſperſo ſemine inquinato, per ſolertem diſputationem granum ventilaretur à paleis,

& inex-

& inexpugnabilibus adductis Sanctorum evidentijs in cunctis ſubſequentibus articulis doctrina patefieret veritatis. Qualia verò erant ſemina venenata, quæ inimicus homo in agro Dominico propoſuit radicaſſe, in ſubſequentibus articulis continetur. *Quibus recitatis ita ſequitur.*

Iſtos igitur præmiſſos triginta articulos de congregato Concilio tam Doctorum ſacræ Paginæ quàm alio, rum prudentum Virorum, prout quidam expreſſè ponuntur, & alij modificantur, damnamus, & reprobamus, & tanquam erroneos iudicamus. Et ſi quis in futurum ſententiam præmiſsorum articulorum, vel doctrinam in hac parte defendere, vel approbare præſumpſerit in ſcholis vel alibi publicè vel occultè, tanquam falſarum opinionum, & novarum ſuperſtitionum ſectator ab omnibus euitetur: & præcipimus tam in actibus ſcholaſticis, quàm in alijs, eosdem articulos ab omnibus euitari ſub interminatione anathematis, quod poterunt formidare non immeritò ex certa ſcientia contrarium facientes. Vobis igitur committimus & mandamus quatenus præmiſsa omnia & ſingula ſic per nos fuiſse acta, & geſta in Vniverſitate prædicta modo debito publicetis, inhibentes palam & publicè omnibus & ſingulis, quibus videretis inihbendis, ne quis articulorum prædictorum ſententiam vel doctrinam defendere, vel approbare præſumat in ſcholis & alibi publicè vel occultè ſub poena excommunicationis maioris in contravenientes, mora, dolo, & culpa eorum in ea parte præcedentibus, trina & canonica monitione præmiſſa per vos canonicè fulminandæ. — Dat. apud Lambith quinto idus Novembris anno Domini 1368. & noſtræ tranſlationis tertio.

Evulgato per Cancellarium decreto, *W*itclefus dubitans, ne abſente Lanchaſtrio, in ipſum talium errorum Authorem veluti præcipuum aliquid ageretur, intrà ſilen-

tij

tij latebras ſe occuluit, quod idem eius factionis addicti pariter facientes rabidæ illæ contentiones, quibus in propugnandis dictis erroribus Vniverſitas foedabatur, ſenſim conticuere, ita quod aditum ad hæreſim dudum ab Witclefo patefactum, illo Archiepiſcopi interdicto penitus interclusum putaretur; ſed Lanchaſtrio in Angliam reverſo, rupto ſilentio maiori quam antea impetu emerſere. Nova hæc inter diſsidia Witclefus ſpe metuque fluctuans, ut Lanchaſtrij animum, an in ſui patrocinio adhuc perſiſteret, è fronte perſpiceret, Londinum è veſtigio, ipſum inviſendum, ſe contulit, cui denarratis quę ab Archiepiſcopo Lambithi, ſimulque per Cancellarium in Vniverſitate acta fuerunt, ſuggeſsit: Nulla alia via inceptum opus ad optatum finem meliùs perduci poſse, niſi depreſsa priùs Epiſcoporum potentia, quod ſibi perfacilè videbatur, ſi Patri ſuaderet, Eccleſiaſticos quoſcunque à Regni negotijs & officijs repellendos, Romani Pontificis nimiam in Anglicano Regno authoritatem minuendam; magno detrimento eſſe Reipublicæ, Curiam Romanam ab Epiſcopatibus, Abbatijs, Præfecturis ſingulis annis ingentes pecunias extorquere; ſubditos bellorum miſerijs langueſcere, Eccleſiaſticos impingvari. Sorbuit hæc libenti animo Lanchaſtrius, ſuſceptoque conſilio, omnia ſe oppurtunè facturum promiſit, ipſumque cum bona gratia dimiſit. Oxonium ſine mora reverſus, cuncta quæ cum Lanchaſtrio egerat ſocijs aperuit ſimulque ſignificavit, ipſum ad eorum defenſionem quacunque occaſione paratiſſimum reperiſſe. Collatis itaque conſilijs viſum eſt Witclefo, alia, quam antea, via, hac in re ſibi progrediendum, etenim ommiſſis contumelijs atque iurgijs, ab Epiſcopis reliquoque Clero proſcindendis, in ipſammet Eccleſiam reflexo impetu, ad eiuſdem fundamentalia dogmata convellenda ſe convertit;

Sacra-

Sacramenta ſiquidem omnia non ſolum ex cathedra, ſed interdum è ſuggeſtu detonans oppugnare cæpit: Nullam, aſſerebat, fore Baptiſmi viſibilis neceſſitatem, *quia quantum ad fidem Scripturæ Ioan.* 3. niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto &c. *probabiliter poteſt dici, quod Chriſtus loquitur de aqua quæ fluxit ex ſuo latere*. De Sacramento Confirmationis ita loquebatur. *Non video quòd generaliter ſit hoc Sacramentum de neceſſitate ſalutis fidelium, nec quod prætendentes ſe confirmare pueros regulariter hoc confirment; nec quòd hoc Sacramentum ſit ſpecialiter Epiſcopis Cæſarijs reſervatum; & ulteriùs videtur mihi, quod foret plus religioſum & conformius modo loquendi ſcripturæ negare, quòd noſtri Epiſcopi dant Spiritum Sanctum, vel confirment ulteriùs Sancti Spiritus dationem*. De Sacramento Euchariſtiæ: *Si idololatræ ſunt quicunque adorant creaturam non Deum tanquam Deum, patet, quòd tam de Clero quàm de populo multi ſunt idololatræ, quoniam multi credunt & adorant Hoſtiam quæ de facto eſt panis in natura & Corpus Chriſti in figura: ſicut Chriſtus eſt ſimul Deus & homo, ſic hæc Hoſtia eſt ſimul Corpus Chriſti & verus panis in natura; vel quòd idem ſonat, eſt verus panis naturaliter, & Corpus figuraliter, quia eſt Corpus Domini ad minimum in figura, & verus panis in natura*. De Sacramento Pœnitentiæ: *Legitur Apoſtolum Paulum, & cæteros Apoſtolos multa millia populi convertiſſe, & non recolo aliquem converſum iſtud novum Sacramentum à Sacerdote aliquo accepiſſe; nec Chriſtus nec Baptiſta nec aliquis Apoſtolus iſta Sacramentali Poenitentia uſus fuit*. De Sacramento extremæ Vnctionis: *Si iſta corporalis vnctio foret Sacramen-*

tum

tum ut modo fingitur, Chriſtus & cæteri Apoſtoli eius promulgationem, & exequtionem debitam non tacerent: iſta videtur nimis levis fundatio Sacramenti cum fidelis poſsit ſatis probabiliter dicere, quod iſte Sanctus Apoſtolus (nempe Iacobus) *non ſpecificat infirmitatem finalem, ſed conſolationem faciendam à Presbytero dum aliquis infirmatur; & quia per viam naturæ oleum abundans in illis partibus valet ad Corporis ſanitatem, ideo talem meminit unctionem.* De Sacramento Ordinis: *Videtur mihi vanum, nimis diſcutere, quando Apoſtoli baptizabantur, ordinabantur Sacerdotes, vel Sacramenta alia miniſtraverant, ſive receperant: ſcivit enim Chriſtus, quòd infideles Chriſtiani ſigna quærentes, ad Sacramenta ſenſibilia, dimiſſa re Sacramenti nimis attenderent, ideo de miniſterio Sacramentorum huiuſmodi fecit modicam mentionem; ſed ut ego credo, inſenſibiliter ſine Sacramento ſenſibili tanquam primus Magiſter ordinavit ſuos Apoſtolos Sacerdotes: Hinc ſupponitur, quòd Epiſcopi inſtituendo Presbyteros, & fingendo quòd dant eis Spiritum Sanctum, non dicunt in hoc veritatem Evangelicam.* De Sacramento tandem Matrimonij: *Veritas quidem mihi videtur, quòd aſsiſtente conſenſu coniugum, & Domino approbante, ſubducto quocunque ſigno ſenſibili foret ſatis; ideo ex conſcientia & inſtinctus Domini in bene viventibus in contractu huiuſmodi rectiſsimè regularet. Qualis regula foret, idem Matrimonium bis completum? Primò in contractu coniugum per ſe facto, & ſecundò in ſolemni ritu ad oſtium Eccleſiæ à Sacerdote per verba nugatoria & falſa communiter celebrato, ſi per verba de præſenti fit Matrimonium, tunc ſequitur oppoſitum in adiecto, quia cum vox*

quando deſinit eſſe, non eſt, verba iſta de præſenti non faciunt Matrimonium, nec ſunt ſibi compoſibilia.

Quæ intemeranda myſteria non contentus ore tam impio profanaſſe, iniquiori quoque ſtylo configere eſt auſus; Librum edidit hoc titulo inſcriptum *Trialogus* opus blaſphemis plenum, omnique hæreſum genere fartum, quod diſcipuli ac ſequaces veram veluti fidei regulam iactantes, Oxonienſem plebem maiori ex parte depravarunt, eòque confidentiùs, quod id temporis Langhamius ab Vrbano V. ad purpuram euocatus, cum Archiepiſcopatu ſe abdicaſſet, Zelantiſſimi Præſulis minas haud amplius reverebantur.

Interea Lanchaſtrius, ut *W*itcleſo promiſſa expeditiùs ab Eduardo impetraret, Aliciæ Perſiæ pulcherrimæ foeminæ, quam Rex impotenti amore deperibat, operam interpoſuit, magna pollicitus, ſi Eduardo perſuaderet, ut Epiſcopos à Regni ſecretioribus conſilijs, publicisque rebus gerendis omnino amoveret: Alicia ut Principem tali beneficio ſibi devinciret, omnem artem ſe adhibituram promiſit. Rex igitur huius fœminæ illecebris allectus, filijque ex altera parte precibus, Regium Ærarium continuis bellis exhauſtum deplorantis, commotus, indictis hoc anno 1371. apud *W*eſt-monaſterium Comitijs ſanciri iuſsit, ut maioribus minoribusque Sacerdotijs taxatis, quinquaginta marcarum millia ab univerſo Clero perſolverentur: inſuper præcipua Regni munia, nempe Cancellarij, Theſaurarij, & Clerici de paruo Sigillo, abrogatis Epiſcopis, Laicis quibuſdam *W*itcleſo faventibus collata fuere. Ita depreſſa Cleri dignitas, Regiaque poteſtate Epiſcoporum authoritas deſtituta, ambo clangvebant, ſimulque ne ſuo iure in *W*itcleſum uterentur Principis potentia impediebantur. E contra *W*itcleſus Aulæ favore fultus non minus in deſtruenda auita & ab Apoſtolis derivata Religione,

gione, quam in nova proprioque cerebro cudenda ſuperſtitione nullo impediente hæreſes hæreſibus cumulabat. Quia verò in dictis Comitijs nihil in ſummum Pontificem, quod in primis percupiverat, ac Lanchaſtrio inſinuaverat, actum fuerat, indignatus; alterum librum compoſuit, quem ſub hoc titulo *Tractatus de Sermone Domini in monte*, publicavit in varia capita ſummo Pontifici contumelioſiſsima digeſtum: inter alia, quæ homo blaſphemus aſſerebat, iſta legebantur Tractatu 2. eiuſdem libri cap. 27. *Genus humanum ſpecialiter in Europa profundatur in iſta hareſi nimis caca, quia oportet totam militantem Eccleſiam duci per regimen Antichriſti*. Et cap. 29. *Quod Papa ſit patulus Antichriſtus & non ſolùm illa ſimplex perſona, qua plus ſtabilit plures leges contrarias legi Chriſti, ſed multitudo Paparum à tempore dotationis Eccleſia, Cardinalium, Epiſcoporum, & eorum Complicum aliorum; iſta eſt enim Antichriſti perſona compoſita monſtruoſa*. Et cap. 36. *Papa eſt ille Antichriſtus qui in Scriptura exprimitur, cum ſit ſpecialis procurator Diaboli procurans per mendacia perditionem anima contra Chriſtum, & ſic eſt iſte patulus Antichriſtus*. Et cap. 37. *Videtur multis euidens, quod quidquid Papa fecerit tanquam Papa quarit gloriam ſuam, & lucrum proprium, quomodo ergo in hoc ſequitur Dominum Ieſum Chriſtum? nam coronando Caſarem, conferendo Epiſcopatus & alias dignitates, concedendo privilegia, & alias indulgentias videtur omniquaque ad gloriam mundanam & lucrum proprium aſpirare. Papa & Cardinales fuerunt non ordinati à Domino, ſed per Diabolum introducti*.

His alijsque huiuſmodi maledictis, veluti furialibus ſtimulis, factum eſt, ut ſubſequentibus Comitijs, anni

Digitized by Google

ſcilicet 1373, Lanchaſtrio, cuius factio maximè prævalebat, cooperante, ipſoquemet Rege Aliciæ impulſu connivente ſtatum fuerit: Ne quis impoſterum Anglicana Sacerdotia impetraret à Romano Pontifice, aut cauſas niſi per appellationem ad eum deferret, pœna in transgreſſores conſtituta, ut bona amitterent, & perpetuis carceribus manciparentur: *Ne Pontifex in diſpoſitione Eccleſiarum anglicanarum poteſtatis quidquam haberet, aut exerceret: Ne proviſionem ſeu diſpoſitionem beneficiorum Eccleſiaſticorum in Anglia vacantium ſibi uſurparet ſeu reſervaret: Ne à ſuffragijs Capitularium electos Epiſcopos in aſſequenda dignitate impediret: Ne Metropolitanis ius confirmandi electos Epiſcopos violaret, aut iſtud ſibi tribueret.*

Gregorius XI. id temporis ſummus Pontifex cum de ijs reſciviſſet, Eduardo magnopere conqueſtus eſt, talia contra Apoſtolicæ ſedis privilegia à Regni Ordinibus lata lege ſanciri permiſiſſe, cum nil aliud id eſſet quàm Eccleſiam dividere, Religionem perturbare, ac Summo Pontifici obedientiam exinanire; propterea ipſum Paterno affectu adhortari, ut illam quamprimum abrogatam vellet. Quibus Gregorij monitis hoc unum datum reſponſum: *Omnia plenum decreviſſe Concilium & comprobaſſe: Regem, ne Regni leges violarentur, talia decreta infringere non poſſe.* Hinc turbatis rebus inter Pontificem & Eduardum, factum eſt, ut omne ius quo in Anglia Pontifex potiebatur, habere deſiverit, ſacrorumque proventuum Decimas imperandi poteſtatem pariter amiſerit.

Interim cum Witclefus horum Comitiorum exitu vidiſſet, Regem, maioremque Procerum partem ad Pontificis authoritatem deprimendam Lanchaſtrij ſuaſu ſe tam faciles præbuiſſe, liberiori conatu ad eandem à Popu-

Popularium cordibus totoque prorſus Regno eliminandam ſe accinxit: Equidem Oxonio diſcedens, priuſque Sectariorum fidelioribus demandata vice, Lutherworth, cuius Eccleſiæ Rector erat, profectus eſt, ubi ob nominis famam, doctrinæque opinionem ingenti gaudio à conterraneis exceptus, ſtatim ſuggeſtum conſcendit, factoque populi concurſu, cauſam inopinati adventus hanc vnam fuiſſe ſignificavit, nempe, ut ipſos, quorum præ cæteris animarum ſaluti, ut bonus Paſtor, conſulere tenebatur, errorum tenebris, quibus Diabolus per tot ſæcula, & adhuc illaqueatos detinebat, erueret: Religionem in qua nati erant, Pontificum, ac Epiſcoporum faſtu & ambitione corruptam, ad veram Chriſti humilitatem ſe redacturum veniſse; ideo læto eſsent animo, Deumque ſuis precibus efflagitarent ut tam perutile opus ſua gratia perficeret.

Gens illa rudis & ut plurimùm agreſtis ſui Witclefi dictis facilè decepta, novum veluti Apoſtolum ac Prophetam venerabantur. Hinc per Vicinia aliaque loca ubique concionando diſcurrens, praviſque interpretamentis Scripturas ſanctas exponendo, duorum annorum ſpatio, quos in hac provincia conſumpſit, totam Leiceſtriam, partemque Lincolniæ hæreſeos toxico infecit. Epiſcopi tanta animarum ſtrage permoti, integraſque Provincias hæreſi iam labefactatas inſpicientes, ne ulteriùs proſerperet, Regi impenſiùs ſupplicarunt, ut corruenti Religioni pietate ſaltem excitatus ſuccurreret, ac inſultantem hæreſim Regia authoritate coerceret, quibus fortaſse annuiſset, ni Lanchaſtrius obſtitiſset, & Alicia Witcleſum divinitùs miſsum crebriùs inſuſurrando blandis precibus pervertiſset, quod profectò haud difficile fuit, eo quod Eduardus iam ſenio confectus, ac Principis Walliæ dilectiſsimi filij obitu, qui id temporis acciderat, mœrore tactus mentis infirmitate labo-

rare

rare incæperat, nec ullius cuiuſpiam quàm Sagacìſsimæ fœminæ dictis libentiùs aquieſcebat, ipſi enim ſoli animum ſuum flectere quocunque vellet permiſerat, ita quòd maiora etiam Regni negotia ipſius ac Lanchaſtrij arbitratu omnimodè gererentur; Quem tamen fœminæ dominatum Regiam Maieſtatem, ac Ordinum dignitatem nimis dedecorantem Procerum quamplurimi pertæſi, communicatis cum Epiſcopis conſilijs, unanimi conſenſu Lanchaſtrium & Aliciam deturbandos ſtabilierunt, quòd in Comitijs, quę iam Eduardus pro imponendo tributo currente hoc anno 1376. indixerat, fœlici exitu perfecerunt; etenim numero diminuta Lanchaſtrij factione, maiori ſuffragiorum parte electi fuere quidam Epiſcopi & Magnates, qui Eduardo ob mentis imbecillitatem in regenda Republica minus idoneo ſuis conſilijs aſſiſterent. Diſplicuit Eduardo inopinata Procerum deliberatio, quam tamen, ne Parlamenti placitis refragari videretur, Regio aſſenſu licèt invitus approbavit. Interim verò novi Conſiliarij paulatim ipſi ac leniter ſuadendo, id pro Regia dignitate bonoque Reipublicæ factum, per ſummam dexteritatem obtinuerunt, ut etiam in colabentis Religionis remedium miſsam faceret Aliciam, & Lanchaſtrium à publicis negotijs removeret. Hoc modo ſemotis à Rege *W*itclefi Protectoribus, ipſum quoque facili negotio unà cum hæreſi oppreſsum iri certiſsimè putabatur; Verùm Eduardus non multò poſt facti pœnitens, priſtinæ authoritati, Regnique adminiſtrationi Lanchaſtrium reſtituit, ac ſuam Aliciam inextinctæ libidinis ſenex redire iuſſit, quæ in vindictam illatæ ſibi offenſæ, ne quidquam ab Epiſcopis in *W*itclefum ageretur interpoſita Regis authoritate impedivit, eòque proceſsit frontoſæ fœminæ temeritas; *vt non modò* (ſunt verba Harpsfeldij Sæc. 14. cap. 4.) *regijs Iudicibus, ſed & Epiſcopis cauſas*

cogno-

cognoſcentibus ſe petulanter ingereret & ſimul aſſideret, & ea quæ concedi æqui ac boni ratio non patiebatur importunè flagitare auderet. Quæ tamen inſolens petulantia Deo prouidente haud diuturna fuit, nam Eduardus lethali morbo correptus vndecimo cal. Iulij an. 1377. ultimum diem obijt, & quod dolendum, nulla exomologeſi expiatus, equidem pro Confeſſario ſuam Aliciam ſibi ſemper aſſidentem volebat, quæ animæ ſalute poſthabita carnis ſolatia, & oblectamenta aſſiduè ſuggerebat, donec animam exhalaturus, ab eius manibus detractis anulis in extremis laborantem reliquit. Ita Epicureorum more, quàm Chriſtiani hominis vitam finivit Eduardus Rex aliàs prudentiſſimus, rerumque geſtarum gloria poſteris ęque ſuſpiciendus, niſi vltima ſenectute foedis Aliciæ Perſiæ amoribus, turpique *W*itclefi patrocinio nominis famam deturpaſſet. 1.

Polydorus Vergilius in ſua Anglica hiſtoria hæc inter alia in Eduardi morte refert: *Simulque amabat, ac amplificabat, qui probitate, modeſtia, atque vitæ innocentia alios antecederent*: & infra: *ut ille de altera vita frequentiùs cogitationem ſuſceperit, in remque Divinam multò ſtudioſiſsimè incubuerit.* Quæ an vera ſint ex hucuſque dictis Lectoris iudicio ſubijcimus, ne dicamus, in Anglia ſcribentem adulationis velamine veritatem obumbraſſe.

Cap. IV.

Philippi Mornæi mendacium de abrogato Sancti Petri Denario. De huius Denarij Origine & Authore diſputatur. Anglorum in celebrando Paſchate error exponitur; non fuerunt Hæretici neque Schiſmatici. Arnoldi, Spelmanni, & Michaelis Alfordi de Sancti Petri Denario opiniones reiectę. Bromtoni ſententia laudata atque defenſa.

EDuardum non ſolùm ob ſtatuta in Romanum Pontificem & Eccleſiæ libertatem decreta, ut præcedenti capite dicebamus, ſed etiam ob Sancti Petri *Denarium* abrogatum laudibus extollit *W*itcleſi ſectator & Calviniſta Mornæus in ſuo *Myſterio iniquitatis* teſtem falsò producens Polydorum Vergi-

Vergilium: quod mendacium obſervans doctiſſimus Gretſerus, ipſum in *Examine Myſterij Pleſſeani* cap. 60. pag. 490. ita perſtringit: *At ſatiùs fuiſſet ea petere ex Chronico Walſingami in Eduardo tertio, aut ex Hypodigmate Neuſtriæ eiusdem Scriptoris, ubi nihil ſimilium exaggerationum, & hyperbolarum viſitur. Nec vel Walſingamus vel Polydorus quidquam de abrogato per Eduardum Denario Sancti Petri memorat, & tamen Pleſſeus frontem commaſculat; & Polydorum hoc tradere affirmat.* Leonardus Coquæus mei inſtituti Scriptor hunc Denarium aboleviſſe Eduardum Mornæo nimia facilitate aſſentitur, quem reſtitutum poſtea ab Eduardi Succeſſoribus ex Polydoro Vergilio, qui ad illum exigendum Pontificij Quæſtoris munus in Anglia exercuit, refert in Antimornæo tom. 2. pag. 222. his verbis. *Atqui Polydorus Vergilius qui vivebat anno* 1533. *lib.* 4. *Hiſt. Angl. de inſtitutione huius vectigalis loquens, anno Chriſti* 740. *refert, adhuc ſuo tempore fuiſſe perſolutum*: Omnis Anglia, *inquit*, hoc tempore iſtud vectigal pietatis & religionis cauſa Romano Pontifici pendet domeſticatim collatum, & nummi illi argentei vocantur vulgò *Denarij Divi Petri*, quos Pontificis Quæſtor, quem non inſcienter Collectorem nuncupant, exigit. Nos hanc olim Quæſturam aliquot per annos geſſimus, eiuſque muneris obeundi cauſa primùm in Angliam venimus: *Si igitur Eduardus tertius illum abolevit, eum aut Succeſſores poſtea reſtituiſſe oportet*. Verùm nunquam abrogatum fuiſſe Denarium hunc ab Eduardo cuilibet patere poteſt legenti ſanctiones ab eodem contra libertatem Eccleſiaſticam decretas, ubi nihil de hoc Denario habetur; Scriptores quoque qui Anglorum geſta ſub eodem Rege literis conſignarunt de abolito divi Petri Denario nec verbum faciunt,

Digitized by Google

ciunt, unde purum putum mendacium dormitantis Mornæi fluxum cerebro ſine dubio eſt credendum.
Verùm quia Scriptores quamplurimi multa falsò vel confusè de hoc Denario prodidere, eius Originem variarum opinionum tenebris penè obſcuratam, diligentiùs inquirere perutile cenſuimus, ut antiquorum Britanniæ Regum ac populorum erga Romanum Pontificem pietatem & obedientiam videant Anglo-Fanatici noſtri temporis & erubeſcant.
Hoc vectigal, Sancti Petri *Denarium* latinè, anglicè varijs nominibus appellatum refert Andreas Arnoldus Norimbergenſis in quodam opuſculo cui titulus *Denarius Sancti Petri* quod anno 1679. evulgavit, mihique, dum Florentiæ Lectoris Artium munere fungerer, Vir clariſsimus Antonius Malgiabeccus Regiæ Celſitudinis Coſmi III. Magni Ætruriæ Ducis Bibliothecarius ſumma illa benevolentia, qua omnes ſtudiorum cupidos complectitur, impertijt: nempe *Rome-peny*, *Rome-ſeoh*, *Harth-peny*, præcipuè verò *Rome-ſcot*, quam vocem explicat Ioannes Cowell lib. de Significatione Verborum: Rome-ſcot *componitur ex* Rome *&* ſcot, *quod idem eſt, ac tributum Romæ debitum*. Scriptores anglici recentiores pariterque exteri Inam *Weſt*-Saxonum Regem Romano Pontifici Regnum ſuum tributarium primum feciſſe vnanimiter tradunt. Ex antiquis verò duos hoc idem ſcribentes prodit Arnoldus loco citato § 3. ſcilicet Ranulphum Ceſtrenſem ex Spelmanno tom. 1. Concil., & Matthæum *Weſt*monaſterienſem his verbis: *Celeberrimam etiam Inæ Regis eleemoſynam ex Ranulpho Ceſtrenſi lib. 5. cap.* 24. *refert ad A. C. DCCXXV. doctus Eques ac in primis eruditus Henricus Spelmannus*: Rex Ine (*inquit Ceſtrenſis*) commendato Regno ſuo *Weſt*-Saxoniæ Ethelardo Cognato ſuo Romam profectus eſt; qui primus omnium Regum, Denarium ex ſingulis domibus Regni ſui Beato Petro fertur conceſsiſſe

ceſsiſſe. *Idem ſentit Matthæus Veſtmonaſterienſis; niſi, quod ei de anno vigeſimo ſeptimo illius Sæculi ſermo ſit*: Ina Rex, *ait*, fœlix & potens Ethelardo cognato ſuo Regnum ſuum relinquens Romam petijt, ut pro Regno temporali commutaret æternum. Quò cum perveniſſet fecit in civitate *Domum* conſenſu & voluntate Gregorij Papæ I I, quam *Scholam* appellari fecit. Ad quam Reges Angliæ, & genus regium cum Epiſcopis, Presbyteris & Clericis in doctrina & fide Catholica erudiendi venirent, ne quid in Eccleſia Anglicana ſiniſtrum, aut Catholicæ unitati contrarium doceretur, & ſic in fide ſtabili roborati ad propria remearent. Fecit propterea iuxta *Domum* præfatam Eccleſiam in honorem Beatæ Virginis Mariæ fabricari, in qua Anglis Romam advenientibus divina celebrarentur Myſteria, & in qua poſſent, ſi quem ex Anglis Romæ mori contigeret ſepeliri. Et hæc omnia ut perpetuæ firmitatis robur obtinerent, ſtatum eſt generali decreto per totum Regnum Occidentalium Saxonum in quo prædictus Ina regnabat, ut ſingulis familijs *Denarius* unus, qui Anglicè *Romeſcot* appellatur, beato Petro & Eccleſiæ Romanæ mitteretur, ut Angli ibidem commorantes vitale ſuſsidium inde haberent. *Cum his concordant* Seldenus *ad Eadmerum*, & *Author Gloſſarij ſub finem Archeonomiæ Lambardi, licèt hic Inę Romanum iter in annum humanæ ſalutis DCCXX. collocet*. Hæc omnia Arnoldus. Sed labitur Vir eruditus hos Scriptores ſequtus; nam Regem Inam tributum hoc primum inſtituiſſe, & Anglorum Scholam Romæ ædificaſſe, apud vetuſtiores immo illius temporis Authores haud reperiri mox oſtendam; Priùs tamen de anno quo Rex Ina Romam profectus eſt accuratiùs inquirere debemus cum ab Arnoldo, quem inveſtigare piguit, citati Scriptores in-

inter ſe valdè diſcrepent.

Cedevalla Rex anno 689. Romam petijt, ubi à Sergio I. Summo Pontifice ſolemnijs Paſchalibus baptizatus paucos poſt dies morbo tactus viam univerſæ carnis ingreſſus eſt. In Regnum ipſi ſucceſsit Ina, qui poſtquam triginta ſeptem annos regnaſſet, Romam quoque relicto Regno ſimul cum uxore Ethelburga profectus eſt, ut habetur in Monaſtico Anglicano, cuius author *Vir egregius Rogerus Dodsworthius Eboracenſis vetuſtiſsimas pietatis memorias in latibulis dormitantes ſuſcitavit*, pag. 12. *Cedevalla ſucceſsit glorioſus Rex Ina in anno gratiæ 689.* item pag. 14. *Rex Ina poſtquam regnaverat triginta ſeptem annis, commendato Regno Ethelardo cognato ſuo de proſapia Cerdici oriundo, iterùm cum Ethelburga Regina ſua inſtinctu eiuſdem Romam abijt.* Rem fuſiùs denarrat venerabilis Beda illius temporis Scriptor lib. 5. Hiſt. Angl. cap. 7. *etenim illò perveniens* (ſcilicet Cedevalla) *Pontificatum agente Sergio, baptizatus eſt die Sancto Sabbathi Paſchali anno ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo octuageſimo nono, & in albis adhuc poſitus langvore correptus, duodecimo cal. Maiarum die ſolutus eſt à carne, & Beatorum eſt conſortio ſociatus in coelis.* Poſteà recitato metrico eiusdem Epitaphio ſubiungit: *Hic depoſitus eſt Cedevalla, qui & Petrus Rex Saxonum ſub die duodecima cal. Maiarum indictione ſecunda, qui vixit annos plus minus triginta imperante, domino Iuſtiniano piiſsimo Auguſto anno eius conſulatus quarto, pontificante Apoſtolico viro Domino Sergio Papa anno ſecundo. Abeunte autem Romam Cedevalla ſucceſsit in Regnum Huu* (cur hoc nomine Inam vocitet Beda plane ignoro) *de ſtirpe Regia, qui cum triginta & ſeptem annis Imperium*

rium tenuiſſet gentis illius, & ipſe relicto Regno, ac iunioribus commendato, ad limina Beatorum Apoſtolorum Gregorio Pontificatum tenente profectus eſt.

Ex quibus clariſsimè colligitur annus, quo Rex Ina Romanum iter ſuſcepit; additis enim annis trigintaſeptem, quibus regnavit, anno ſexcenteſimo octuageſimo nono, quo Imperium inijt, facta ſupputatione habetur annus ſeptingenteſimus vigeſimus ſextus, quo & triginta ſeptem annos Regni compleverat, & Romam profectus eſt: Hinc clarè patet, Scriptores ab Arnoldo citatos in anachroniſmum lapſos, licet ferendos eſſe idem contendat, ſolumque Baronium, qui Inæ iter ad annum ſeptingenteſimum quadrageſimum prodit, caſtigandum exclamet eodem § 3: *quidquid huius ſit, ferendi tandem ſunt hi Scriptores; illud verò maximam admirationem movet animo, & Annalium fidem ſuperat, quando iter cum donatione Inæ Baronius A. C. DCCXL. denarrat. Regnum ſuſcepit Inas A. C. DCLXXXIX. functus vita eſt A.C. DCCXXVII. ſi annos ſpectemus præpoſitos legibus eius apud Lambardum. Immo ſalva ſunt omnia, humani quid paſſum eſſe Cardinalem, ſi qua fides adhibenda (quæ certè maxima eſt) pervetuſtæ Chronologiæ Saxonicæ quam Abrhamus Whelocus Hiſtoriæ Bedæ ſubiunxit anno DCCXXVIII. hic Ina Romam adijt, ibique ſpiritum efflavit.*

Nulli dubium eſt, Eminentiſsimum Baronium methacroniſmum commiſiſse, attamen admirationis parùm vel nihil movet animo in tanta rerum Eccleſiaſticarum mole hominem quid humani paſſum eſſe, potiùs mirandum videtur, Arnoldum aliàs eruditum aliorum errores tanta cura atque ſolicitudine venari, & quod ſuum eſt præterire; omnia etenim in incerto relinquit,

quod

quod Hiſtoricum ſivè Chronologum haud decet: Dicant quid velint Authores, errent, concordent, vel diſcrepent, Regem Inam Romam adijſſe vel anno ſeptingenteſimo vigeſimo quinto, ut aſſerunt Ceſtrenſis & Spelmannus, vel anno ſeptingenteſimo ſeptimo, ut ſcribit *W*eſtmonaſterienſis, ſeù anno ſeptingenteſimo vigeſimo, ut vult Author Gloſſarij, parùm refert. His medendis ulceribus, hoc ſibi ſufficit Cataplasmate vti: *quidquid huius ſit ferendi tandem ſunt hi Scriptores*: Hìc quoque obſervandus venit Henricus Huntindonienſis, qui tempus itineris Inæ Anglia Romam ſatis confusè refert lib. 4. Hiſt. pag. 338. *Conſtantinus etiam, cuius Regni anno tertio Ine Romam profectus eſt*: & infra: *Gregorius, cuius tempore Rex Ine ſponte victor cupiditatis exulavit*. Longè errat hic Author, etenim annus 726, quo Ina Romam adijt erat decimus tertius Pontificatus Gregorij II, & undecimus Imperij Leonis Iſauri Iconomachi, qui Imperium inijt anno 616. obijtque anno 741. ut ſcribit magnus Panvinius lib. 3. Faſt. *Anno Chriſti DCCXLI. XXIIII. P. C. Leonis Imp. XIIII. cal. Iulij, Conſtantinopoli obijt impius Imperator Leo Iconomachus ind. 9.* Quo quidem labente anno Imperium ſuſcepit eiusdem filius Conſtantinus Copronymus; ex quo clarum fit, annum tertium Imperij ipſius Copronymi fuiſſe annum 744, qui fuit decimus tertius ab obitu Gregorij, & decimus octavus ab adventu Regis Inæ Romam.

Nunc ad Sancti Petri Denarium redeo, quem Romanæ Eccleſiæ, Regem Inam primum conceſsiſſe, commentitium potiùs quam veritati conſonum puto, cum neque dum Angliæ eſſet, vel Romæ moraretur, tributum hoc ab ipſo inſtitutum apud vetuſtiores Scriptores legatur; Anno 692. legibus ſancivit Ina, decimas

ſivè

ſive ſeminum primitias Eccleſiæ ſolvi tom. 6. Concil. Lab. pag. 1325. lege 4. *Primitiæ ſeminum ad celebre divi Martini feſtum redduntor : qui tum non ſolverit, quadraginta ſolidis multator, & ipſas præterea primitias duodecies perſolvito*. Et Exemplari Iornalenſi: *Cyriſceatta* (ideſt cenſus Eccleſiæ) *reddita ſint in feſto Sancti Martini . Si quis hoc non compleat reus ſit ſexaginta ſolidorum, & duo decuplo reddat ipſum Cyriſceattum*. Igitur ſi Ina *Romeſcot* ſive Sancti Petri *Denarium* Romanæ Eccleſiæ ſolvendum inſtituiſſet, aliqua lege ipſum quoque ſolvi certiſsimè imperaſſet, ſicuti quamplurimi ſubſequentes Reges fecere. Michael Alfordus Britannorum Annalium Scriptor magnam atulerat ſpem, Inam lege aliqua, immo generali decreto, tributum hoc Romanæ Eccleſiæ ſolvendum ſanxiſſe tom. 2. ad an. 726, num. 9. his verbis: *Porrò Inam generali decreto ſolvi mandaſſe, dicam ſtatim, cum eum in Urbem deduxero*. Sed ſpes evanuit, nam num. 36. in Vrbem Ina iam deducto ita ſcribit: *Quod autem Inas generali decreto mandaverit ſolvi tributum Eccleſiæ ita ex Weſtmonaſterienſis verbis probamus*. Profert huius Scriptoris verba ab Arnoldo pariter relata, quæ ut falſa reiecimus, cum nulla lex ſive *generale decretum* aliquod, quo Rex Ina *Denarium* hunc Romanæ Eccleſiæ ſolvi iuſſerit, reperiatur, ut ex mox citatis Inæ legibus clarè patet, clariùsque ex infrà dicendis apparebit.

Anglorum quoque Scholam ab eodem Rege Romæ fuiſſe ædificatam idem Author probare conatur, ita enim ſcribit ad annum 727. num. 2. *Memorant Authores ferè omnes, Inam Regem cum Romæ eſſet, erudiendæ iuventuti ſcholam poſuiſſe, quæ Anglorum in Urbe venientium refugium eſſet: & inſula nunquam*

careret

careret viris in Romana Eccleſia fide & ritibus perfectis. Et num. 3. *Error in primis de feſto Paſchatis, quem Scoti Britannis porrexerant, adhuc Britannorum reliquias tenebat, licèt illum Scoti exuiſſent: obſtinatio ergo & perverſus ritus non malè hæreſis appellatur: & benè cautum ab optimis, ut Eccleſiaſticorum rituum peritia non aliundè, quàm à Romana ſede deſcenderet; Et hoc in cauſa eſt, cur Anglo-Saxones in Vrbem frequentes iverint, quod Beda non ſolùm ſupra in Hiſtoria affirmat, ſed repetit iterum lib. de ſex Ætatibus in fine:* His temporibus, *inquit*, multi Anglorum gentis nobiles & ignobiles, viri & fœminæ, Duces & privati divini amoris inſtinctu de Britannia Romam venire conſueverunt. *Et quoniam hi nullam in Vrbe ſedem fixam habebant, Inas illis hoſpitium, locumque, quo diverſarent fecit, qui congruè ab antiquis Anglorum Schola nominatur, quia Anglorum quamplurimi ad diſcendos Romanæ Eccleſiæ ritus in Urbem itabant*. Ex quibus Alfordi verbis habetur, Regem Inam Scholam hanc ideo ædificaſſe, ut ſuis Anglis Romanæ Eccleſiæ ceremonijs inſtrui cupientibus eſſet hoſpitium, *& error in primis in feſto Paſchatis, quem Scoti Britannis porrexerant tolleretur*. At ignoraſſe tempus, quo error de celebratione Paſchatis per Angliam ſerpuerit, quove per Concilia penitus ablatus fuerit Alfordum fefellit: Res ut clarior fiat altiùs nobis repetenda eſt.

Mortuo Auguſtino Anglorum Apoſtolo ei ſucceſsit in Archiepiſcopatum Laurentius anno 604. qui videns Britannos & Scotos Hiberniam incolentes, ritus Romanæ Eccleſiæ in multis minus exercere, *maximè quòd Paſcha ſolemnitatem non ſuo tempore celebrarent*, ut ait Beda lib. 2. Hiſt. cap. 4. *ſcripſit cum Coepiſcopis*

pis ſuis exhortatoriam ad eos epiſtolam obſecrans & conteſtans vnitatem pacis & Catholicæ obſervationis cum ea, quæ toto orbe diffuſa eſt Chriſti Eccleſia tenere. Sed cum parum his literis profeciſſet, Mellitum Epiſcopum Londinenſem ad Bonifacium IV. Summum Pontificem Romam miſit, ut authoritate Apoſtolica ijs omnibus provideret; ubi convocato ab eodem Pontifice Concilio, quid tenendum obſervandumque eſſet decrevit, literasque Laurentio Archiepiſcopo, Clero, Edilberto Regi, Gentique Anglorum per eundem Mellitum direxit. Sed cum Edilbertus, qui Pontificias literas religioſiſsimè acceperat fatis paulò poſt cesſiſſet, in cauſa fuit, ut nil de hac re ſtabiliùs firmaretur. Anno poſtea 633. Honorius Papa ijſdem Scotis literas ſcripſerat, ut refert Beda lib. 2. Hiſt. cap. 19. quibus enixè hortabatur, *ne paucitatem ſuam in extremis terræ finibus conſtitutam ſapientiorem antiquis ſive modernis, quæ per orbem terræ erant, Chriſti Ecclesijs, extimarent, neve contra Paſchales computos & decreta Synodalium totius orbis Pontificum, aliud Paſcha celebrarent:* Quas tamen nihili facientes, conceptæ iam opinioni ita adhæſere, ut non ſolùm ſuos confirmarent, ſed Anglos quoque tali errore imbuerent, [Angli etenim ad erudiendos filios præceptoribus Scotis, ut idem Beda teſtatur lib. 3. Hiſt. cap. 3. utebantur] ita ut tota penè Britannia eorum partes ſequeretur. Mortuo Honorio Scotorum Epiſcopi ne Romanæ Eccleſiæ nimis obſtinatè adverſari viderentur, Severino eius Succesſori anno 639. literas de hac eadem re miſerunt, quòd cum eodem anno idem Pontifex è vita migraſſet, reſponſales literas dedit Romanus Clerus, quarum initium refert Beda libro ſecundo Hiſtoriæ Anglicanæ cap. 19.

Dilectiſſimis & Sanctiſsimis Thomiano, Columbano, Chromano, Dimano, & Batthano Epiſcopis: Chromano, Hermanoque, Lauſtrano, Stellano, & Segiano Presbyteris: Sarano cateriſque Doctoribus ſeu Abbatibus Scotis. Hilarius Archipresbyter & ſervans locum Sanctæ Sedis Apoſtolicæ &c.

Scripta quæ per latores ad ſanctæ memoriæ Severinum Papam adduxerunt, eo de hac luce migrante, reciproca reſponſa ad ea quæ poſtulata fuerant, ſiluerunt; quibus reſeratis, ne diu tantæ queſtionis caligo indiſcuſsa remaneret, reperimus quoſdam Provinciæ veſtræ contra Catholicam fidem, novam ex veteri hæreſim renovare conantes, Paſcha noſtrum in quo immolatus eſt Chriſtus nebuloſa caligine refutantes, & quartadecima luna cum Hæbreis celebrare nitentes &c.

Scoti his acceptis literis, licèt eorum opinio tanquam hæreſis à Sede Romana argueretur, morem ſuum deſerere minimè voluerunt; Hinc anno 664 quoniam diſsidia & contentiones in diem naſcebantur, à Rege Nordan-Humbrorum, qui à Scotis edoctus eorundem ritum obſervabat, & ab Alchifrido eius filio Romanum morem ſequente *diſpoſitum fuit ut in Monaſterio, quod dicitur* Strenaeshalch *quod interpretatur Sinus Fari, Synodus fieret, & hac quaſtio terminari deberet*; quo in Conventu interfuere Rex & eius filius, Colmanus Nordan-Humbrorum Epiſcopus cum Clericis ſuis

ſuis de Scotia. Agilbertus Occidentalium Saxonum Epiſcopus cum Agathone & Wilfrido Presbyteris, item Iacobus & Romanus Presbyteri, & Epiſcopus Cedda qui *interpres in eo Concilio vigilantiſsimus utriuſque partis extitit*. Poſt variè diſputatum inter Colmanum Epiſcopum, & Wilfridum Presbyterum, qui Dominicum Paſcha iuxta ritum Romanę Eccleſiæ celebrandum, utpote à divo Petro traditum, aſſerebat, Rex Oſuvi Apoſtolorum Principis veneratione ac authoritate motus Synodum dimiſit his verbis lepidè concludens: *Et ego vobis dico, quia hic eſt Oſtiarius ille, cui ego contradicere nolo, ſed in quantum novi vel valeo huius cupio in omnibus obedire ſtatutis, ne fortè me adveniente ad fores Regni Coelorum non ſit qui reſerat, averſo illo qui claves tenere probatur*. Ita finito, ut ait Beda, conflictu, Epiſcopus Colmanus videns ſpretam ſuam doctrinam cum ſuis in Scotiam regreſſus eſt, Cedda verò relictis Scotorum veſtigijs in ſuam ſedem redijt utpote agnita obſervatione Catholici Paſchæ.

Poſt annos novem iterum celebriori Conventu de eadem quæſtione actum fuit; Anno etenim 673 Theodorus Monachus Tarſenſis ex Cilicia, quem anno 668. Vitalianus Romanus Pontifex Archiepiſcopum Dorovernienſem (nunc Cantuarienſem vocamus) Romæ creaverat, & in Britanniam miſerat, Nationale Concilium coegit in loco qui Herudford die 24. Septembris indictione prima, cui adfuere ſex Epiſcopi ſcilicet Biſi Orientalium Anglorum Epiſcopus, Wilfridus Nordan-Humbrorum, Putta Epiſcopus Caſtelli Cantuariorum, quod dicitur Rotſcheſter, Leutherius Occidentalium Saxonum, & Winfridus Epiſcopus Provinciæ Merciorum; in quo præcipuè ſancitum fuit, *vt Sanctum diem Paſcha in commune omnes ſervarent Dominica*

poſt decimam quartam lunam primi Menſis, quod Concilium ab eodem Archiepiſcopo his verbis à Beda lib. 4. Hiſt. cap. 5. relatis, clauſum fuit: *Quam ſententiam definitionis noſtræ Titilo Notario ſcribendam dictavi, actum in menſe & indictione ſupradictis. Quisquis igitur contra hanc ſententiam iuxta decreta canonum noſtra etiam conſenſione ac ſubſcriptione manus noſtræ confirmatam quoquo modo venire eamque infringere tentaverit, noverit ſe ab omni officio Sacerdotali & noſtra ſocietate ſeparatum*. Ita igitur diligentia & zelo doctiſsimi huius ac pijſsimi Archiepiſcopi errorem de celebratione Paſchatis penitus deletum vidit Britannia; Scoti etiam in Hibernia anno 696. eundem ritum Romanæ Eccleſię Adamnano docente receperunt, qui tunc erat Abbas Monachorum Scotorum inſulam Hy, quæ nunc Iona teſte Camdeno appellatur, incolentium, quos cum non potuiſset ſicuti Scotos in Hibernia ad Catholicum Paſcha celebrandum perſuadere, dolore correptus è vita migravit. Sub eodem tempore gens quoque Pictorum, qui Septentrionales Britanniæ plagas incolebant eundem Romanum Paſchatis ritum ſequta eſt ſuaſione Ceolfridi Abbatis Monaſterij Apoſtolorum Petri & Pauli in loco qui vocabatur Ingrivum, ut habetur ex eodem Beda lib. 5. cap. 22. referente epiſtolam eiusdem Abbatis ad Naitanum illius gentis Regem, qua coram ipſo eiuſque Optimatibus perlecta, flexis genibus gratias Deo egit inquiens: *Palàm profiteor, uobiſque qui aſsidetis præſentibus proteſtor, quia hoc obſervare tempus Paſchę cum univerſa mea gente perpetuò uolo*: Regiaque authoritate perfecit. Hyenſes pariter Monachi Scoticæ, uti diximus, gentis, licèt contumaciores, tandem anno 706. hortante viro pijſsimo Ecgberto ſub Abbate Duumchado, obduratam cervi-

cervicem Romano ritui ſubmiſerunt. Ex quibus omnibus apertiſsimè habemus, errorem hunc ab Anglis-Saxonibus & Pictis Britanniam, à Scotis Hiberniam & Inſulam Hy incolentibus, per conciones, epiſtolas, ſuaſiones, & Concilia penitus fuiſſe ablatum. Quæ omnia à venerabili Beda poſteris tradita, ſi Alfordus maiori diligentia inſpexiſſet, à ſcribendo, Regem Inam Anglorum Scholam Romæ ædificaſſe ut *in primis hic error tolleretur*, calamum cohibuiſſet: Ab anno ſiquidem 706. quo Scoti, Anglo-Saxones, alijque populi falſam in Britannia de feſto Paſchatis opinionem exuère, ad annum 726, quo Rex Ina Romam adivit, anni viginti interceſsere. Negari tamen non debet, reliquias aliquas antiquorum Britonnum, qui cędibus Anglo-Saxonum, utpotè in aſperrimis montibus recepti, ſuperfuere, in Inſula remanſiſse, inteſtinaque odia in Victores eorumque Religionem ſemper foviſse, attamen quid curæ Anglo-Saxonibus de Britonnum Religione divinari poteſt, ut aliquis ex Heptarchis, qui cos ut acerrimos hoſtes perſequebantur, eorum beneficio hanc fabricari Scholam iuſserit vel curaverit? cum potius vndique preſsi ipſorumque armis obruti, capti trucidarentur, vel perpetuo ſervitio, ut ait Beda, mancipati, quòd altiſsimæ gratiæ ſtabat loco, vitam miſerrimè finirent.

Cæterum Scotos & Anglos ſeu Britannos tunc ſuum Paſcha ita celebrantes non fuiſse Schiſmaticos vel Hæreticos clarè docet Eminentiſsimus Baronius tom. 8. ad an. 634. num. 12. ita ſcribens: *Sed antequam de his agamus, illud neceſſariò præmittendum, Scotorum Eccleſiam licèt diverſo tempore (quod etiam ſupra dictum eſt) à Communi ritu Catholicæ Eccleſiæ Paſcha celebraret, non tamen ob id à communione ſedis Apoſtolicæ ſeparatam fuiſſe aliquando;*

do; etenim licèt error gravis eſſet, utpote toties in Eccleſia Catholica condemnatus, tamen quòd circa ritus, non autem circa fidei Catholica dogmata verſaretur, viſus eſt in gente illa à Sede Apoſtolica tolerandus, donec perfectiùs poſſet populus imbui veritate: cuius rei gratia crebras ad eos literas miſiſſe Romani Pontifices reperiuntur, (& ut nuper vidimus) ipſe Honorius id ipſum preſtitit & ſucceſſores: caterum nec fuiſſe videntur eo tempore Scoti eius erroris, ut inter Schiſmaticos à Sacroſancto Nicano Concilio reiectos quos vocavit Teſſeradecatitas, ideſt, quartadecimanos, collocari oporteret, ſiquidem etſi non Romano, neque tamen Iudaorum more Paſcha Domini celebrare conſueverunt. Quod etiam confirmat doctiſsimus Bellarminus tom. 2. Contr. lib. 3. cap. 12. de Cultu Sanctorum, aſſerens fuiſſe tantùm errorem fundatum in ſola imperitia, exiſtimabant enim ita Sanctum Ioannem celebrare ſolitum.

Præterea Venerabilis Beda illius temporis rerumque in primis Eccleſiaſticarum Scriptor diligentiſsimus, cum nullam de Denario hoc, vel Anglorum Schola, quæ duo non ſolùm Britannico, ſed Chriſtiano Orbe celebratiſsima fuere, mentionem fecerit, in argumento eſt, à Rege Ina nec Scholam ædificatam, nec vectigal Romeſcot fuiſſe inſtitutum; Beda ſiquidem vir pius, ac veraciſsimus Hiſtoricus ſuorum Principum pietatem erga Romanam Eccleſiam præcipuè, cui addictiſsimus erat, nullatenus ſiluiſſet; nil igitur fidei habendum Ranulfo Ceſtrenſi, nec Veſtmonaſterienſi, cum unus quinque ſæculis, anno ſcilicet 1203. alter ſex, nempè anno 1377, à Rege Ina & Beda vixerint. Huic tandem noſtræ opinioni maximè favent quæ ſuggerit Vir egregius Dodsworthius in laudato Monaſtico Anglicano pag. 14, ubi priùs denarrato Regis Inæ Romam adventu,

hæc

hæc leguntur: *Ne converſionis ſuæ pompam faceret; ſed ſolius Dei placeret oculis, amictu plebeio tectus clàm conſenuit; & tam ipſe quam Regina ſua non ſine magna miraculorum coruſcatione Sanctiſſimam clauſerant vitam.* Et pag. 31. *Iſte cum Regina ſua Ethelburga Romam petijt, ubi in plebeio habitu nulli hominum noti labore manuum Deo viventes, poſt tranſitum ſuum qui fuerint, & cuius meriti, miraculis oſtenderunt; dicitur enim, quòd ad tranſitum utriuſque ſigna Vrbis intracta ab homine & intacta ſonuerunt.* Igitur, ſi pijſsimus Rex amictu plebeio tectus clàm Romæ conſenuit, & nulli hominum notus ſupremum diem ſanctiſsimè obijt, ſolùmque poſt tranſitum ſuum quis eſset per miracula proditum; quomodo vera dixerimus quæ *W*eſtmonaſterienſis ſcribit, Inam ſcilicet conſenſu, & voluntate Gregorij II. Scholam condidiſse, & Denarij Sancti Petri vectigal inſtituiſse? Perdifficile ſanè mihi videtur tantæ pietatis opus clàm fieri potuiſse, vel Vrbem Romam naturali oblita curioſitate haud obſervaſſe, ut Ina populi Romani lætiſſimos plauſus pro tam inſigni beneficio Romanæ Sedi collato vitare potuiſſet.

Cæterum poſt Bedam Scriptores Anglici antiquiores, Offam Merciorum Regem huius vectigalis inſtitutorem tradunt, quod nos verius exiſtimantes libentiùs amplexi ſumus. Radulfus de Diceto in ſuis Chron. Abbreviationibus, pag. 446. num. 25. ita de Offa ſcribit: *Deditque Vicario Beati Petri Romanæ Vrbis Pontifici redditum ſtatutum de ſingulis domibus Regni ſui in æternum, de quo redditu ſingulis annis per vniverſam Britanniam colligendo, & Sanctæ Romanæ Eccleſię pro ſtabilitate Regni ſui & ſalute communi tranſmittendo decrevit:* Henricus Huntindonien-

ſis

ſis lib. 4. Hiſt. pag. 342. *Offa fuit vir religioſus; tranſtulit namque oſſa Sancti Albani in Monaſterium quod conſtruxerat, multiſque modis ditaverat, deditque Vicario Beati Petri Romanæ Vrbis Pontifici redditum ſtatutum de ſingulis domibus Regni ſui in æternum*. Idem quoque refert Rogerus de Hoveden priore parte Annalium pag. 409. Sed clariùs Ioannes Bromtonus pag. 754. num. 15. *Nam ut dicitur communiter, illum cenſum qui Romepeny, ſiue Petrespeny uocatur, Deo & Beato Petro, & Domino Papæ qui tunc fuerat, & ſucceſſoribus ſuis primò contulit pro perpetuò atque dedit*. Quod etiam repetit pag. 776. num. 35. *Et ſic demum Romam profectus limina Apoſtolorum Petri & Pauli humiliter viſitavit, deditque Vicario Beati Petri Romanæ Vrbis Pontifici redditum unius Denarij ſtatutum in perpetuum de ſingulis domibus Regni ſui, & primus fuit, ut dicitur, qui hoc dedit*. Quæ Bromtoni verba, cum refellere non ſit auſus Arnoldus ità explicare conatur loco ſupra citato: *Age, mitior adhuc ſupereſt interpretatio, quam Spelmannus ſuppeditat, de primo videlicet Rege Merciorum*. Spelmannus à clariſsimo Bromtoni teſtimonio ut citiùs ſe expediret, hanc è cerebro interpretationem eruit, quam poſtea quanti fecerit, legi poteſt in ſuo Gloſſario pag. 490. verbo *Denarius* ubi ita habet: *Cenſum hunc per Regnum ſuum annuò deponendum inſtituit primò Inas Rex occiduorum Saxonum (ut in Hiſt. ſua refert Malbes:) qui & Regio ſupercilio depoſito pauper inter pauperes religionis ergo Romam eſt profectus; nonnulli tamen hoc Offæ aſcribunt Merciorum Regi & narratione quidem multò magis perſpicua*. Ex quibus convincitur Spelmannum ſuæ interpretationis recordari minimè voluiſ-

ſe,

ſe immo ſententiam potius tenuiſſe, quæ tradit, Regem Offam huius Denarij vectigal Romanæ Sedi primum conceſsiſſe, cum ſincerè dicat, hanc inſtitutionem eidem Offæ à Scriptoribus nonnullis aſcribi *narratione quidem multo magis perſpicua*. Quod obſervari ab Arnoldo oportebat, nec tanta facilitate Bromtoni teſtimonium infirmare conari, ſed potius cum ipſo Spelmanno interpretationem illam omittere, ac libentius cum veritate fateri, Bromtonum, qui Petreſpeny vectigal ab Offa primò ſtatutum fuiſſe ſcribit, eſſe de illis, qui hoc idem tradunt *narratione quidem multo magis perſpicua* præ ijs qui Regem Inam eiusdem vectigalis aſſerunt inſtitutorem, ut ex ipſiuſmet Offæ geſtis, quæ mox referam perſpicuè apparebit. Rex igitur Offa cœlitùs admonitus Sancti Albani Martyris ſacras exuvias poſt quingentos & ſeptem annos ab eius martyrio meruit adinvenire, ut narrat Monaſticon Anglicanum pag. 176. *Angelica admonitus viſione, & cœleſtis lucis ad modum facula ſuper ſepulchrum glorioſi Protomartyris Anglorum Albani emiſsę, de loco humili & populo incognito ſublata in locellum ex auro, & argento, & lapidibus pretioſis fabricatum pij Martyris repoſuit pignora. Acta ſunt hęc à paſsione Beati Martyris anno DVII. Ab adventu Anglorum in Britanniam anno CCCXLIIII. indictione prima calendis Auguſti*. Eodenque menſe cum Humberto Lichefeldenſi Epiſcopo Concilium coegit Verolamij in Provincia Hartfordienſi ut habetur tom. 7. Concil. Lab. pag. 1012, in quo actum fuit de condendo Cœnobio cum Eccleſia in qua totius Britanniæ Protomartyris Sacra pignora venerarentur. Inſuper *ut authoritate Romani Pontificis: & ſi aliàs hoc factum fuerit, quia non iterari inutiliter dicitur, quod non ſcitur perpetratum, canonizetur, ſimiliter & privilegetur*

H *Mona-*

Monaſterium in honorem eiuſdem Martyris noviter conſtruendum. Et hac omnia ut digniorem & firmiorem ſorciantur effectum, conſilium Virorum ſanctorum & diſcretorum ſuſcipit & exaudit, ut per legatos ſolemnes à latere Regis deſtinatos, aut potiùs in propria Rex ipſe ſuper his in Curia Romana tractet diligenter. Offa igitur Rex pijſſimus ſuorum Magnatum ſano aquieſcens conſilio divino ductus ſpiritu tranſalpinum valde ſibi laborioſum et ſumptuoſum iter arripit ſine mora diſpendio; nec eum cura rei familiaris, vel Regni cuſtodiendi neceſsitas, vel comminantis ſenij gravitas (regnaverat enim iam triginta et ſex annis) nec laboris immunitas vel pecunia inaſtimabilis effuſio ipſum poterant retardare; Ex quibus antequam ad ulteriora gradum faciamus, notari debet, annum, quo Romanum iter Offa ſuſcepit, fuiſse ſeptingenteſimum nonageſimum tertium, nam Sanctum Albanum Martyrio coronatum anno 286. ſub Diocletiano referunt Beda lib. 1. Hiſt. cap. 6. & Laurentius Surius ad diem 22. Iunij, cui additis ex Monaſtico Anglicano annis 507. erit annus 793. Præterea Offa Regnum adeptus eſt anno 757, ut teſtatur idem Beda in Epit. hiſt. *Eodem anno*, ſcilicet 757. *Offa fugato Beonredo Merciorum Regnum Sanguinolento quaſivit gladio*: Adde annos triginta ſex ex Concilio nuper citato, quibus regnaverat, omni procul dubio habebis annum 793. Igitur nulla fides Crhonologiæ Saxonicæ *W*elochi, licèt maximam eſſe habendam depredicet Arnoldus, quæ Offæ iter anni 792. caractere deſignat. Corrigendi pariter veniunt Centuriatores tomo 8. Centur. 8. cap. 16. Genebrardus lib. 3. Chron. pag. 507, & 509. Polydorus Vergilius Hiſt. Anglic. lib. 4. pag. 74. Ricciolius tom. 2. Chronolog. reformt. in magno Chronico. Na-

talis

talis Alexander tom. 5. pag. 591, § 7. num. 8. ult. edit. & alij, qui hoc iter ad annum ſeptingenteſimum ſeptuageſimum quintum denarrant.

Romam igitur profectus Rex Offa Britanniæ Protomartyri Sanctorum honoribus procuratis, eiuſdem Monaſterium ampliſsimis privilegijs decorandum ab Hadriano Summo Pontifice impetravit, cui munificentiſsimus Rex ob tanta beneficia vices rependere cupiens, Regnum ſuum Romanæ Eccleſiæ vectigale fecit imperato in ſingulas domos Denario argenteo in feſto Sancti Petri ad Vincula annuatim ſolvendo in memoriam inventionis Sancti Albani, quæ eadem feſtivitate, calendis ſcilicet Auguſti, acciderat; quod in cauſa fuit ut nummus ille impoſterum Denarius Sancti Petri ſemper appellaretur: Audiamus Authorem vitæ Offæ ab Arnoldo relatum § 8. *idcircò Beati Petri Denarius appellatur, quia ſæpè dictus Rex Offa die Sancti Petri qui dicitur ad Vincula ipſum Martyrem ipſo die meruit cœlitùs invenire, et ipſum annuum redditum ipſo die Romanæ Eccleſiæ pro redemptione animæ ſuæ contulit*. Quod etiam confirmatur ex capitulo undecimo Concilij Ænhamenſis ſub Ælfeorgio Porobernenſi, & Vlſtano Eboracenſi Epiſcopis, & Æthelredo Rege indicti tom. 9. Concil. Lab. ad an. 1009. *Cenſus Romæ debitus, quem Denarium Sancti Petri vocant, ad feſtum Sancti Petri ad Vincula (aliàs Miſſam Petri) perſolvatur*. Item ex lege decima Sancti Eduardi Regis: *Iſte verò Denarius debet ſubmoneri in ſolemnitate Apoſtolorum Petri & Pauli, & colligi ad feſtivitatem quæ dicitur ad Vincula, ita ut ultrà illum diem non detineatur*; Eadem verba leguntur in lege Wilielmi Conquæſtoris relata à Rogero de Hoveden parte poſteriore Annalium pag. 603. Spelmannum pariter huius rei teſtem habe-

mus tom. 1. Concil. ad an. 794 ut refert Arnoldus loco cit. § 5. *Petri feſtum Spelmannus, ratione deſumpta ex ipſa Offæ inſtitutione, contendit eſſe feſtum Sancti Petri ad Vincula, quo nummus iſte fuerit perſolvendus, ut memoria haberetur diei inventionis reliquiarum Sancti Albani in eadem feſtivitate contingentis.* Ex his clariſsimè conſtat, hunc Denarium appellatum Sancti Petri, eò quòd in feſtivitate eiusdem Apoſtoli ad Vincula ſolvebatur ob inventionem Martyris Albani illo eodem die ſequtam. Igitur, cum Scriptores omnes corpùs Sancti Albani ab Offa fuiſſe repertum unanimiter tradant, ſolidiſsimè concluditur eundem Regem huius Denarij inſtitutorem fuiſſe, ſuumque Regnum Apoſtolicæ Sedi vectigale primum omnium Regum feciſſe, *et cenſum qui Romepeny, ſive Petreſpeny uocatur Deo et Beato Petro et Domino Papæ,* ut ait Bromtonus, primum contuliſſe. Similiter fateri debemus Anglorum Scholam ab eodem Offa primò ædificatam fuiſſe, non verò à Rege Ina, qui nulli hominum notus, ut mox ex Monaſtico Anglicano oſtendimus, vitam Romæ finivit. Rectè Wilielmus Malmesberienſis lib. 2. de Geſtis Regum Anglorum cap. 2, loquens de Rege Ethelnulfo ſcribit: *Ibi ergo integro moratus anno Scholam Anglorum quæ, ut fertur, ab Offa Rege Merciorum primitùs inſtituta proximo anno conflagraverat, reparavit egregiè.* Idem teſtatur Polydorus Vergilius lib. 5. Hiſt. pag. 97. & Cardinalis Baronius tom. 10. ad an. 847. *idem fertur inſtauraſſe Romæ Scholam quandam, primò ab Offa Merciorum Rege conditam, et paulò ante eius adventum in Vrbem incendio ferè conſumptam.*

In Angliam poſtea reverſus Monaſterium ampliſsimum ædificavit, templumque Anglorum Protomartyri Albano

no

no etiam noſtris temporibus magnitudine, & elegantiâ ſuſpiciendum conſtruxit, maximiſque prædijs, & redditibus auctum, etiam à vectigali Romeſcot, quod *neque Rex, neque Archiepiſcopus vel Epiſcopus Abbas vel Prior, aut quilibet in Regno ab illius ſolutione eſt liber*, ut eſset immune ab Apoſtolica Sede obtinuit, immò ut eundem *Romeſcot ab omni Herfordienſi Provincia in qua ſita eſt Eccleſia ſupradicta fideliter colligeret, & collectum in uſus proprios retineret*. Quod poſtea cum Henricus VIII. in odium Catholicæ Religionis deturbatis Monachis boniſque publicatis ſolo æquandum iuſsiſſet, ab Oppidanis pretio quadringentarum librarum monetę Anglicæ fuit redemptum, in quo nunc etiam inter alia mirandi operis pulcherrimum ex ære ſolido Baptiſterium viſitur, quod è Scotici belli manubijs Richardus Leus Eques auratus Cunicularionum Præfectus hac inſcriptione decoravit.

Cum Læthia oppidum apud Scotos non incelebre, &
Edimburgus primaria apud eos Civitas incendio
conflagrarent Richardus Leus Eques auratus
me flammis ereptum ad Anglos perduxit.
Huius ego tanti beneficij memor, non
niſi Regum liberos lavare ſolitus,
nunc meam operam etiam infimis Anglorum libentèr condixi. Leus Victor ſic
voluit. Vale. Anno
Domini
1543.

Quanti verò hoc vectigal ſubſequentes Reges fecerint ex legibus à Lab. tom. 9. Concil. relatis, quilibet comprehendere poterit, immò ex pœnis renuentibus inflictis clarè

clarè patet quanta ſolertia ac ſedulitate Denarium hunc Romano Pontifici ſolutum voluerint, ut de Henrico VI. Anglorum Rege refert idem Lab. tom. 13. Concil. pag. 857. *Regnabat eo tempore in Anglia Henricus VI. qui in odium decreti Baſilenſium ſeſ. 21. contra annatas, voluit continuari per ſuos ſolutionem annatarum Apoſtolicæ Sedi*, & Denarii Sancti Petri, *ut teſtatur Antonius Maſſa in Tractat. de annatis num.* 25. Igitur de hoc abrogando Denario nec Witclefum vel alium quempiam unquam loqui auſum evidentiſsimè deducitur, cum id neque in antiquorum Regum legibus legatur, neque apud Scriptores Anglicos reperiatur, niſi ad tempora Henrici VIII. qui primus eum amplius ſolvi inhibuit, cæteraque omnia Romani Pontificis iura penitùs delevit ut ex eiuſdem epiſtola legibus Eduardi VI. præmiſsa refert Arnoldus § 9. in fine: *Leges omnes, decreta, atque inſtituta, quæ ab Authore Epiſcopo Romano profecta ſunt prorſus abroganda cenſuimus*. Et Spelmannus in ſuo Gloſsario pag. 490. *Abrogata fuit huiuſmodi Denarij & pecuniæ ſolutio ſtatuto 25. Henrici VIII. cap. 25. reſtituta autem anno primo & ſecundo Philippi, & Mariæ, ſed abrogata denuò anno primo Eliſabethæ*. Nec amplius poſtea reſtituta.

Quod verò profert Alfordus ex Beda de frequenti Anglorum itinere Romam, ut Eccleſiæ Romanæ ritus perdiſcerent, parum veritatis habet; Beda enim ab eodem ſupra citato lib. de ſex Ætatibus ad annum Mundi 4671, qui eſt annus Chriſti iuxtà eundem Bedam 719. ita ſcribit: *His temporibus multi Anglorum gentis nobiles, & ignobiles viri & fœminę, Duces & privati divini amoris inſtinctu de Britannia Romam venire conſueverant*. Vbi nihil de adiſcendis

ritibus

ritibus loquitur, ſed tantummodo *divini amoris inſtinctu* has peregrinationes Anglos ſuſcepiſse teſtatur. Quid enim Laici in primiſque fœminæ cum Eccleſiaſticis ritibus? Quaſi in Angliam reverſæ cæteras eſsent edocturæ? quid abſurdius? Attamen harum peregrinantium fœminarum frequentia non diu perduravit, quoniam poſthabita Religione, honeſtateque deperdita in ſummum totius Nationis dedecus ceſsit, ut ſcribit Sanctus Bonifacius Germanorum Apoſtolus in epiſtola ad Cuthbertum Archiepiſcopum Cantuarienſem apud Baronium ad annum 740.

Spiritalis affinitatis neceſsitudine copulando fratri Archiepiſcopatus infula ſublimato Coepiſcopo Cuthberto Bonifacius Legatus Germanicus Catholicæ, & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ optabilem in Chriſto ſalutem intimè.

Ad epiſtolæ finem—Prę terea non taceo charitati veſtræ, quia omnibus ſervis Dei, qui hìc vel in ſcriptura vel in timore Dei probatiſsimi eſſe videntur, diſplicet, quod bonum & honeſtas pudicitiæ veſtræ Eccleſiæ illuditur, & aliquod leuamentum turpitudinis eſset, ſi prohiberet Synodus & Principes veſtri mulieribus frequentiam, quam ad Romanam Civitatem veniendo & redeundo faciunt, quia ex magna parte pereunt paucis remanentibus integris. Perpaucæ enim ſunt Civitates in Longobardia vel in Francia, aut in Gallia in qua non ſit adultera vel meretrix generis Anglorum, quod ſcandalum eſt & turpitudo totius Eccleſię veſtræ.

Digitized by Google

Cap. V.

Richardus II. puer Eduardi nepos in Regnum ſuccedit. Lanchaſtrius eius Tutor. Witcleſus corrupta Patria Oxonium revertitur, nouos in Hæreſi ſocios aquirit, eius ſequaces Lolardi vocari capti, de huius nominis cauſa et origine diſputatur. Gregorius XI. contra Witcleſum agi per literas iubet. Oxonienſis Vniverſitatis decreto Witcleſi concluſiones damnatæ, eiuſdem ſcripta combuſta. Londinum citatus Archiepiſcopo ſe ſiſtit, impunè dimittitur. In Concilio Oxonienſi iterum citatus, ſe verum Chriſtianum profitetur, nonnullas propoſitiones damnat, quaſdam de Sacramento Euchariſtię cum Berengario dogmatizat. Quoties quotue Concilijs antè Witcleſum Berengarij Hæreſis damnata, exponitur.

MOrtuo Eduardo Richardus nepos defuncti Principis Walliæ filius iure hæreditario, ac totius Regni Procerum conſenſu apud Weſtmonaſterium undecim annos natus in Regnum ſucceſsit,

ceſsit, cui propter puerilem ætatem Lanchaſtriæ Dux, & Edmundus huius frater Cantabrigiæ Comes Patrui, ex Eduardi teſtamento Tutores fuere. Vix Lanchaſtrius Regis tutelam Regnique adminiſtrationem ſuſceperat, *W*itcleſus relicta Patria iam hæreſeos labefactata Oxonium redijt, ubi reſumptis publicis lectionibus immanius quàm antea bellum contra Catholicos inſtauravit, victoriam eò certius ſibi pollicitus, quòd ob auctam ſui Patroni potentiam, ſtatim *W*itcleſiſtarum aucta quoque factio apparuiſſet, ijs præſertim faventibus qui clàm eius opiniones hactenus ſequti ad ipſas propugnandas in medium prodiere. Hos inter, quatuor numerabantur publici Profeſſores, nempè Ioannes Ashwarby Presbyter in Academiæ Eccleſia Vicarius, Ioannes Ayſton Presbyter, Philippus Repington Canonicorum Lateranenſium Abbas, & Petrus Pateshull Auguſtinianus, quorum inopinata tamque aperta ad *W*itcleſi partes defectio Doctores Catholicos magnopere anxit, Thomam præſertim *W*intertonum inſignem mei inſtituti Theologum, qui *W*itcleſo propter ſtudiorum communionem, parem ætatem, & longam uſque ab adoleſcentia in Collegio Mertonenſi educationem arctiſsimo neceſcitudinis vinculo coniunctus, ne amicitiæ ius iniquè violatum ſibi imputaretur omnem adhibuit operam, ut amicum, & collegas à tam turpi incæpto reuocaret; ſed videns nec rationibus, nec ſalutaribus monitis ſe quidquam proficere, immo potius eius verbis inſolentiores fieri, veteri amore in perfectum odium commutato contra fidei rebelles in arenam deſcendit. Hinc in partes diviſa Univerſitas, caninis quotidie diſputationibus quaquaverſum perſtrepebat, quæ ſæpius in convicia deſinentes, infame illud *Lolardorum* nomen ad perpetuam *W*itcleſi ſectatoribus ignominiam inuſtum, peperere.

Authores qui hac de re ſcripſerunt huius nominis ori-

ginem variè tradunt : Alphonſus de Caſtro lib. 2. Adverſ. hæreſes, verbo *Aqua*: Stapletonus tom. 2. princip. fidei doct. 3. pag. 605. lit. B. Antonius Marſilius in Hydragiol. ſect. 3. pag. 437. num. 14. & Prateolus in Elench. lib. 10. ex *W*itclefiſtarum ſecta ortum referunt. Cur verò *W*itclefi ſectatores tali nomine fuerint appellati, nec verbum faciunt. Raynaldus Eccleſiaſticorum Baronij Annalium Continuator aliter ſcribit. *Præter Beguardos, quos in Germania incerto Authore pullulaſſe ex Alvaro Pelagio antea dictum eſt, aliam Lolardorum peſtem graſſatam ferunt. Et quidem unà cum Beguardis Lolardos emerſiſſe, cum Henricus VII. ſceptrum Germanicum ſuſcepit indicat Hocſemius eius temporis Author*: Eodem, *inquit*, anno, nimirum 1309. quidam hypocritæ gyrovagi qui Lolardi, ſive Deum laudantes vocabantur per Hannoniam, & Brabantiam quaſdam mulieres deceperunt. *Ex quo conſtat eos hallucinatos, qui ad poſteriora longè tempora Lolardorum originem retulerunt, quod Witclefo primùm ſuas ſpargente hæreſes Lolardorum nomen infame Witclefiſtis inditum vulgò fuerit: Quare Walſingamus paſsim Witclefiſtas Lolardos vocat. Cęterum de Lolardorum principe Waltero quodam hoc tempore nefaria dogmata diſſeminante per Germaniam, Auſtriam, & Bohemiam meminere Trithemius, Sanderus, Genebrardus & alij.*

De Lolardis, quos anno 1309. emerſiſſe ſcribit Hocſemius, mentionem facit Trithemius ad annum 1315. in Chron. Hiſſau. *Eodem quoque anno in Civitate Cremenſi Patavienſis Diœceſis in Ducatu Auſtriæ plures nefandiſsimi Hæretici per fratres Prædicatores inquiſiti inventi & combuſti fuerunt*. Hos fuiſſe Lolardos manifeſtat in eodem Chron. ad annum

1322. *Anno ſequenti qui fuit quintus Sigiſmundi Abbatis, Dominicæ autem Nativitatis* 1322: *Coloniæ deprehenſus fuit Lolardus quidam nomine Waltherus Magiſter & princeps Scholæ hæreticorum illius ſectæ de qua ſupra fecimus mentionem anno Henrici Abbatis ſecundi decimo quinto*: qui paulò poſt hæreſi pertinaciter hærens igni adiudicatus in eadem Vrbe combuſtus fuit; eius ſectatores, quos non tantùm Coloniæ, ſed foris maiori numero ſuæ impietatis hæredes reliquerat, ſicuti Ariani ab Ario, Pelagiani à Pelagio, ita à *W*althero Lolardo eorundem Magiſtro nomen ſumpſere, quo tamen combuſto brevi poſtea evanuere. Undè facta ſupputatione ab anno 1309. cum Hocſemio, vel 1315. ut ſcribit Trithemius uſque ad annum, quo Vitclefus ſua dogmata ſpargere cæpit, nempè anno 1352. habemus, iſtos Lolardos annis triginta ſeptem, vel quadraginta tribus ante *W*itclefum in Provincijs Germaniæ extitiſse. Quæ Chronologica obſervatio Raynaldum fortaſse impulit, ut ſcriberet: *Eos hallucinatos, qui ad poſteriora longè tempora Lolardorum originem retulerunt*: exiſtimans nullam aliam Lolardorum fuiſse ſectam, niſi à *W*althero Lolardo prognatam, quod falſum planè eſt; etenim iſta Lolardorum ſecta impuro *W*itclefi ſemine orta, alia ab illa *W*altheri Lolardi longèque diverſa fuit, de qua Authores, quos hallucinatos perperam aſſerit Raynaldus, pertractantes, *W*itclefi tempore exortam veriſsimè prodidere; Noverant enim Lolardorum nomen in Anglia ignominiæ tantummodo cauſa *W*itclefi ſequacibus inditum, ipſoſque, & *W*itclefiſtas & Lolardos promiſcuè appellatos, ut teſtatur *W*alſingamus diligentiſsimus illarum rerum Scriptor. Cæterum quamvis ambæ iſtæ ſectæ nominis ſimilitudine convenire videantur, eiuſdem tamen nominis origine toto Cœlo diſtant, equidem illa

ab Authore Walchero Lolardo utique nomen ſumpſit, iſta nequaquam à ſuo Authore Witclefo, ſed ab alia cauſa nomen traxit, quam breviter mox ſubijciam.

Dum rabidis, uti dicebamus, diſputationibus Univerſitas Oxonienſis tota ebulliret, Doctores Catholici videntes putido Witclefi ſemine à Profeſsoribus quibusdam utpote infectis non ſolùm Scholaſticam Iuventutem, ſed Oxonienſem quoque plebem Evangelicæ libertatis obtentu in dies labefactari, Witclefo eiusque ſectatoribus hæc verba inter diſputandum in faciem illidebant: *Inimici homines in agro Dominico lolium ſeminatis*: quo lolij nomine à Vulgo ſæpiſsimè audito, Witclefiſtæ, Anglicana pronunciatione *Lolard* hoc eſt lolium ſeminantes, vocari cæperunt. Gvilielmus Somnerus Cantuarienſis noſtri ſęculi Scriptor in Gloſſario ad calcem tom. 2. Hiſt. Anglic. verbo *Lolardi*, ſcribit: *Nomen in Anglia ſub exceſſu Eduardi tertij exortum, atque his, qui Witclefiana dogmata amplexi ſunt, impoſitum. A Lolio perperam ductum: Trithemius enim in Chron. oſtendit eos à Gvaltero Lolardo Germano quodam, qui floruit circa annum Domini* 1315. *originem traxiſſe*; quæ eſt ipſiſsima Raynaldi opinio, cui etiam adhæſit Floremundus Ræmundus in Synopſi lib. 4. cap. 2. num. 4. *Hinc Witclefiſtarum & Lolardorum nomina exorta ſunt; ſic enim illi ex Anglia progreſsi Hæretici appellabantur, ſumpto ab jis nomine quos anno* 1313. (corrige 1315) *extitiſſe Trithemius ſcribit*. quam tamen opinionem à veritate alienam nobis oſtendit nunquam ſatis laudatus Waldenſis Witclefiſtarum ac Lolardorum perpetuus oppugnator quippequi vicinioribus Witclefi temporibus vivebat, ut ipſemet refert tom. 2. Doctrin. fid. de Sacr. Doctrin. 10. *Sed verè nec mihi Witclef quidquam ſurripuit, nec in mea generatione, niſi fortè*

dum

dum infans fueram, ipſe fuit. Plura magni huius Viri teſtimonia proferam, quibus potior fides habenda, cum toto ferè ſuæ vitæ curſu admirabili illa in ſacris literis eruditione non ad aliud quàm *W*itclefi lolium ab agro Dominico eradicandum inſudaverit tom. 1. Doctrinal. fid. lib. 2. art. 3. cap. 71. num. 3. ait. *Nunquid videtur iſte vobis delicatus Magiſter ad fovendum hæreſes mollis nutritius. Lolardorum præceptor, beniuolus tutor & protector dulciſonus*. Et lib. 3. art. 3. cap. 29. num. 2. *Ita caſſetur ipſe inventor, & patronus profani ordinis, quem invenit, & tota plenariè religio Lolardina*. Item tom. 2. de ſacram. Ordinis cap. 121. num. 4. *Breviter autem nihil in hac re tam pœnitendum de numero, quam eſt de numero perdito Lolardorum, quem ipſe non genuit ſed generat. Proh dolor cur tam fœcunda eſt hæreſis? cur eis tam numeroſa proles?* Inſuper tom. 3. tit. 9. de Religioſ. Sacramental. cap. 86. num. 10. *Hoc intendit impius iſte* SATOR *lolij, provocare ſcilicet religioſos viros ad circumeundum per ſæculum, & clauſtri continentiam fugere*. Ecce quomodo *W*itclefum vocat lolij Satorem, Lolardorum Inventorem, Nutritium, Præceptorem, immeritò igitur à Raynaldo carpitur *W*alſingamus, quod *W*itclefi aſſeclas, *W*itclefiſtas, & Lolardos promiſcuè appellaverit. Somnerus quoque ſi hæc conterranei ſui inſignia teſtimonia inſpexiſſet ſine dubio Angliæ Lolardos tempore *W*itclefi ortos, & tale nomen à lolio derivatum in ſuo Gloſſario ſcripſiſſet.

Interim dum Catholici & *W*itclefiſtæ adverſis ſcriptis ac iurgioſis certaminibus ſe ſe invicem inſectarentur, novem ſupra decem concluſiones quas inter cæteras *W*itclefus eiusque ſocij publicè dogmatizabant Romam ad Apoſtolicam Sedem tranſmiſſæ, pervenerant. Grego-

rius

rius XI. qui tunc ſupremo Eccleſiæ Regimini præerat, ipſas plurium doctiſſimorum Virorum examini commiſit, qui accuratè ac diligenter iniuncto munere perfuncti, omnes ut hæreticas reprobarunt, ac cenſorio ſtigmate confixerunt. Summus Pontifex approbato Cenſorum iudicio, tres ſcripſit epiſtolas, omnes ſub eodem die ſignatas, nempè undecimo cal. Iunij ſeptimo ſui Pontificatus anno, ad Simonem Suthbery Archiepiſcopum Cantuarienſem, & *W*ilielmum Epiſcopum Londinenſem, ut contra *W*itclefum procederent, deque illius erroribus ſedulò inquirerent ſub hac forma.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei.
Venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Cantuarienſi,
& Epiſcopo Londinenſi ſalutem,
& Apoſtolicam benedictionem.

Regnum Angliæ glorioſum &c. *non multò poſt*. Sanè plurium fide dignorum ſignificatione admodum dolenter audivimus, quòd Ioannes *W*itclef Rector Eccleſiæ de Lutterworth Lincolnienſis Diœceſis ſacræ paginę Profeſſor utinam non Magiſter errorum, in illam deteſtabilem veſaniam dicitur temerè prorupiſſe, quòd nonnullas propoſitiones & concluſiones erroneas, & falſas in fide malè ſonantes, quæ ſtatum totius Eccleſiæ ſubvertere & enervare conatur, quarumque aliquæ, licèt aliquibus mutatis terminis, ſentire videntur perverſas opiniones & doctrinam indoctam damnatæ memoriæ Marſilij de Padua, & Ioannis de Ganduno, quorum liber per fælicis recordationis Ioannem P. XXII. Prædeceſſorem noſtrum reprobatus extitit & damnatus, non veritur in præfato Regno aſſerere, dogmatizare, & publicè prædicare, nonnullos Chriſti fideles malignè inficiens, ac à fide Catholica, ſine qua non eſt ſalus;

faciens

faciens deviare &c. *paucis interiectis*: Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus receptis præſentibus, vos vel alter veſtrum de dictarum propoſitionum & concluſionum aſſertione, quarum copiam vobis mittimus ſub Bulla noſtra incluſam, vos ſecretè informantes, ſi inveneritis ita eſse, præfatum Ioannem faciatis authoritate noſtra capi, & carceribus mancipari eiusque confeſsionem ſuper eiſdem propoſitionibus ſeu concluſionibus recipere ſtudeatis &c.

In ſecunda epiſtola iubet citari *W*itclefum, ſi capi non poſset, ad comparendum &c.

Gregorius Epiſcopus &c.

Nuper nos &c. *Ad medium*: Conſiderantes itaque, quòd præfatus Ioannes huiuſmodi captionem & carcerationem fortè præſentiens, poſset, quòd abſit, per fugæ, latitationis præſidia dictum noſtrum mandatum in grauiſſimum fidei detrimentum eludere. *paulò poſt*: Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum per vos vel alium ſeu alios præfatum Ioannem, ſi per vos capi & carcerari non poſsit per edictum publicum proponendum in Studio Oxonienſi dictæ Diœceſis, & alijs locis publicis, de quibus ſit veriſimilis coniectura, quòd ad dicti Ioannis notitiam pervenire valeat, & de quibus vobis expedire videatur ex parte noſtra peremptoriè monere & citare curetis, quòd infrà trium menſium ſpatium à die citationis huiuſmodi in antea computandum ubicunque tunc nos eſſe contigerit compareat perſonaliter coram nobis &c.

In tertia verò epiſtola Archiepiſcopo mandat, ut Regem, Regnique Principes & Magnates ſtudeat *facere plena-*

riè

riè informari ac eis oſtendi, quanta verecundia devoto Regno Angliæ oriatur exindè, & quòd non ſolùm ſunt ipſæ concluſiones erroneæ in fide, ſed ſi benè advertatur innuunt omnem deſtruere politiam &c.

Has Gregorij literas Archiepiſcopum Cantuarienſem tardiùs accepiſse facilè puto, vel longa itineris intercapedine, ſive alia fortaſſe cauſa obverſante, cum ſolùm ſex poſt menſes exactos Pontificis iuſſa exequtioni demandaverit, mandatum ſiquidem quod ad Univerſitatis Cancellarium miſit, ut de Witclefo inquireret ipſumque ad comparendum citaret, ſubſcribitur decimo quinto cal. Ianuarij: Do eiusdem mandati verba ex Concil. Lab. tom. XI. p. 2, pag. 2042.

Simon permiſsione Divina Archiepiſcopus Cantuarienſis &c.

Propè finem: Citetis inſuper ſeu citari faciatis peremptoriè dictum Ioannem, quòd triceſimo die iuridico poſt citationem ſibi factam in Eccleſia Sancti Pauli London compareat perſonaliter coram nobis, ſeu alijs ſubdelegatis noſtris, ſive Commiſſarijs in hac parte &c.

Dat. apud Otteforde XV. cal. Ianuarij anno Domini M.CCCLXXVII, & translationis noſtræ anno tertio.

Ex quo ſatis probabile videtur, poſt acceptas Pontificis literas parum temporis interceſsiſſe antequam dictum mandatum ad Univerſitatis Cancellarium transmiſerit; haud enim credibile eſt Archiepiſcopum in re tanti ponderis longas moras interponere voluiſse.

Wilielmus de Berton, qui tunc Cancellarij munere fungebatur, accepto Archiepiſcopi mandato, duodecim doctiſ-

doctiſsimos Viros ex Univerſitate ſelegit, ſex ex mendicantium Ordinibus, ex Doctoribus ſæcularibus reliquos partim Theologos, partim Iuriſperitos, qui ſimul in ipſa Univerſitate congregati, cum *W*itclefi opuſcula, quæ ad ipſorum manus pervenire potuerant, diligenti examine per aliquot dies perpendiſsent, tandem ducentis & amplius erroribus compacta detegentes, impietatis plena, fideique Catholicæ obnoxia declararunt. Quia verò in dictis opuſculis duæ præſertim propoſitiones contra Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum pervicatius aſtruebantur ipſas nominatim publico damnationis decreto inſeruerunt ſub hac forma.

*W*ilielmus de Berton Cancellarius Univerſitatis
Oxoniæ omnibus dictæ Univerſitatis filijs
ad quos præſens noſtrum mandatum
pervenerit ſalutem &
mandatis noſtris
firmiter obedire.

Ad noſtrum non ſine grandi diſplicentia pervenit auditum, quòd cum omnium hæreſum inventores, defenſores, ſeu fautores cum eorum pernicioſis dogmatibus ſint per ſacros canones *ſententia* maioris excommunicationis *damnabiliter* invoľuti, & ſic à cunctis Catholicis rationabiliter evitandi; Nonnulli tamen maligni ſpiritus repleti conſilio, in inſaniam mentis producti, molienteſque tunicam Domini, videlicet ſanctæ Matris Eccleſiæ ſcindere unitatem, quaſdam hæreſes ſufficienter ab antiquis Patribus reprobatas, & per Eccleſiam ſolemniter condemnatas ijs diebus, proh dolor! innovant, & tam in iſta Univerſitate quàm extra publicè dogmatizant: Duo inter alia ſua documenta peſtifera

 aſſeren-

aſſerentes; primò. *In Sacramento Altaris ſubſtantiam panis materialis, & vini poſt conſecrationem realiter remanere*. Secundò, quod execrabilius eſt auditu; *In illo venerabili Sacramento non eſſe corpus Chriſti & ſangvinem æqualiter, nec ſubſtantialiter nec etiam corporaliter*. Ex quibus documentis fides Catholica periclitatur, devotio populi minoratur, & hæc Univerſitas Mater noſtra non mediocriter diffamatur. Nos igitur advertentes, quòd aſſertiones huius partis ſe deteriores haberent, ſi diutius in hac Univerſitate ſic tolerarentur, convocavimus omnes ſacræ Theologiæ Doctores, & iuris Canonici Profeſſores, quos ad hoc aptiores credidimus, & in Univerſitate præſentes reperimus,* & præmiſsis aſſertionibus, in eorum præſentia patenter expoſitis, ac diligenter diſcuſsis, tandem finaliter eſt compertum, atque iudicio omnium declaratum, ipſas eſſe erroneas, fidei orthodoxæ contrarias, & determinationibus Eccleſiæ repugnantes &c. Authoritate igitur noſtra monemus primò, ſecundò, & tertiò, ac diſtrictius inhibemus pro prima monitione aſsignando unum diem, pro ſecunda alium diem, pro tertia monitione canonica & peremptoria unum alium diem, ne quis cuiuſcunque gradus, ſtatus, aut conditionis exiſtat, præmiſſas aſſertiones erroneas, vel earum alteram publicè tenentem, docentem, ſeu defendentem quoviſmodo audiat vel auſcultet; ſed ſtatim cum perceperit tanquam ſerpentem venenum peſtiferum emittentem fugiat & abſcedat, ſub pœnis in iure expræſſatis, & ſub pœnis incarcerationis & ſuſpenſionis ab omni Actu Scholaſtico, etiam ſub pœna excommunicationis maioris &c.

Promulgata huiuſmodi decreto *W*itclefi errorum damnatione, quamplurimi eiusdem libelli, ac codices combuſti fuere, quod *W*aldenſis *W*itcleſiſtis exprobrat tom. 2. de

de Sacrament. doctrin. 6. num 3. his verbis. *Quando audietur in mundo quomodo per publicum duodecim electiſſimorum Virorum decretum, Oxonienſe Studium pluſquam ducentarum hæreſum eius dogma delevit, & codices concremavit*. Verùm Cancellarius alijque Catholici Doctores ut Witclefum ſaltem Chriſtiana charitate lucrarentur, quàm humaniſſimè admonuerunt, enixèque rogarunt, ut à diſſeminandis docendiſque erroribus desiſteret, ingenij ſui dotes Sanctæ Matris Eccleſiæ placitis humiliter ſubijceret, nec vellet impudens in hæreſi obſtinatè perſiſtendo perpetuam tantæ infamiæ notam ſibimet inurere; ſed nolenti intelligere ut benè ageret prohibuit ſtatim Cancellarius, ne publicas habere lectiones in Univerſitate impoſterum auderet, deindè per publicum eiuſdem Univerſitatis nuntium citari fecit, ut triginta dierum ſpatio coram Cantuarienſi Archiepiſcopo Londini compareret.

Ex his videns Witclefus ſe vndique preſſum iri, & tanquam læſæ Religionis reus omnia in ſui perniciem comparari, veluti immanis fera vi è latibulis protracta, rabie furijsque agitatus, ſæpè ſæpiuſque exclamabat, *ſe velle & paratum eſſe ire in carcerem, & ignem, atque mortem ſubire pro defenſione earum propoſitionum ſi neceſsitas temporis illud ab eo poſtulaſſet*. Quaquidem pertinacia fultus ne apud aſſeclas aliquid exiſtimationis deperderet, ad comparendum è veſtigio Londinum ſe contulit; ubi Lanchaſtrij patrocinio, cæteriſque fautoribus ad extremum uſque pro ipſo ſtare promittentibus, munitus, omnem, ſi quem fortaſſe conceperat, metum ita excuſsit, ut hilaris ſtatum Conuentui tempus vnicè percupere videretur.

Elapſo die Citationi præſcripto, ad divi Pauli Eccleſiam, ubi Archiepiſcopus, & Londinenſis Epiſcopus convene-

 rant,

Digitized by Google

rant, viam ſuſcepit, magnoque comitatu medius inter Lanchaſtrium & Henricum de Percy magnum Angliæ Mareſcallum magnificè incedebat. Ad hanc famam viæ paſsim ingenti hominum multitudine ipſum videndi curioſitate accurrentium complebantur, ita quòd divi Pauli Eccleſia aliàs capacißima tantam populi frequentiam haud capere potuerit. Hac pompa ingreſſus Eccleſiam, cum ſe coram Iudicibus ſtitiſset, monitus fuit, ut omiſsis ambagibus ad quæſita tantùm clarè & ſincerè reſponderet; quod ita ſe facturum toto capite annuit; vix tamen cæperat interrogari, quod Mareſcallus, cum ipſum ſtantem ſudore æſtuare vidiſſet, alta voce, *ſede*, dixit, *nam longus ad diſceptandum tibi labor ſupereſt*. Quibus Mareſcalli verbis Londinenſis Epiſcopus de Sella ſurgens reſpondit, indecens eſſe, & omni iudiciorum rationi repugnare, reum ante Iudicis tribunal ſedere, nec id ſe unquam permiſſurum. Ad hæc Mareſcallus in iram prolapſus vindictam minitatur, ſimulque cum Lanchaſtrio Epiſcopum probroſiſsimis verbis proſcindere cæpit. Londinenſis populus ſuum Præſulem ita contumelioſè laceſsiri minimè ferens, arreptis armis utrunque interfeciſſet, niſi Epiſcopus repentino plebis motui occurrens, impetum continuiſſet, ipſiſque aditum impunè abeundi, iratum populum blandientibus verbis remorando, opportunè præbuiſſet. Itaque ſedato Ducis ac Mareſcalli diſceſſu omni ex parte tumultu, iterum interrogatur *W*itcleſus, an libellos hactenus ſub eius nomine vulgatos pro ſuis haberet, & concluſiones ab Univerſitate Oxonienſi ſpecialiter damnatas defendere vellet? Ad quæ reſpondens, proteſtatus eſt, concluſiones, quæ in illis opuſculis continebantur, *ab alijs inventas, & nomine eius prędicatas fuiſſe, ipſique aſcriptas: Se verum Chriſtianum ſemper extitiſſe, nec unquam*

unquam contra Catholicam fidem quidquam ſcienter ſcripſiſſe vel docuiſse. Verùm cum præter iſta nil aliud, iteratis etiam interrogationibus, ab ipſo erui poſſet, ſub cuſtodia detinendum quidam ex Aſſeſsoribus cenſuere, id tamen ambo Præſules reſpuerunt, ne ipſo capto exaſperatis Protectoribus, maiores quàm antea tumultus excitarentur; tempori porrò cedendum, ſatiuſque iudicarunt liberum pro tunc dimitti, impoſito tamen ſilentio, ne ſcilicet privatim vel publicè deinceps doceret, dato iuſuper mandato, ut coram ipſis quotieſcunque vocatus iterum compareret; Quibus omnibus *W*itclefus ſe obtemperaturum ſanctè pollicitus, impunè Londino diſceſsit. Vix tamen Oxonium perventus, palàm & ubique iactare cæpit, ſe Londini fuiſse, omnia ſibi ab adverſarijs impoſita facili negotio diluiſse, ſuorumque dogmatum veritatem tam validè defendiſse, ut nemo prorſus contra vel quidquam exequi vel agere fuerit auſus. Hac intolerabili contumacia offenſus Archiepiſcopus *W*itclefum itidem citari iuſſit, diemque dixit, ut Oxonij coram ipſo iterum compareret; deindè Epiſcopis Lincolnienſi, Nortuicenſi, *W*igornienſi, Salisbyrienſi, Herefordienſi, & Londinenſi per nuntios ſignificavit, ut Oxonium ſuper *W*itclefi hæreſes tractaturi quamprimum convenirent.

Conventum hunc Lambethi factum opinatur Harpsfeldius cap. 5. pag. 684. *Initur poſt & propter has literas nova Epiſcoporum deliberatio, qui Lambethi convenientes ad exſcindendam pernicioſam illam doctrinam omni animi contentione ſe confirmarunt; ſed paucis tamen Domini Richardi Cliffordi verbis contra dignitatem labaſcunt, qui mandabat illis, ne ſententiam aliquam contra Witclef pronunciarent*. Lambethum, ſive Lambith vicus eſt ad alteram Tameſis ripam Archiepiſcoporum Cantuarienſium Ædi-

bus

bus conſpicuus conſurgens, qui contiguum habet celeberrimum illud Suburbium de Southwortke nuncupatum, quod Londinenſi ponte Vrbi coniungitur, de quo Camdenus pag. 264. ſuæ Britanniæ ſcribit: *Lambith*, ideſt, ſinus luteus *Canuti fortis Angliæ Regis morte olim celebris, qui ibi inter pocula animam eructavit; nunc verò locus celebrior eſt Archiepiſcoporum Cantuarienſium Palatio; circa annum enim* 1183. *Baldwinus Archiepiſcopus Cantuarienſis facta cum Roffenſi Epiſcopo permutatione, prædium hoc in loco aquiſivit, in quo Palatium ſibi & ſucceſſoribus inchoavit, quod illi paulatim adauxerunt*. Canutus iſte à Camdeno fortis dictus, antiquiores Angliæ Scriptores Hardecanutum, ſeu Hardecnutum appellant, quos Polydorus Vergilius ineptiæ arguit lib. 7. ſuæ Hiſt. pag. 135. num. 24. ita ſcribens: *Deceſsit Canutus poſt annum vigeſimum quàm regnare cœperat, & Vintoniæ ſepultus eſt. Genuit ex Emma uxore Canutum, quem Anglici Scriptores ineptè Hardecanutum vocant*. At perperàm carpit Scriptores illos Polydorus, nam ſemper Anglis in uſu fuit, ut apud omnes eiusdem gentis Hiſtoricos videre eſt, cognomenta quædam ſuis Regibus & Magnatibus ob aliquod patratum facinus, vel corporis vitium imponere, ut de Richardo I. legitur, qui dum ſub cuſtodia ab Henrico Imperatore detineretur, leonis ad eum devorandum immiſsi cor euellens crudumque devorans, cognomentum *Cor Leonis* meritus eſt, vel ut alij ſcribunt, ob animi magnitudinem ac ferociam ita vocatus. Edmundus Egelredi Regis filius & ſucceſsor propter fortitudinem, inque armis peritiam *iron-ſide* Anglico idiomate, ideſt, *ferreum latus* appellatus. Haroldus quoque eiusdem Hardecanuti frater nothus eò quòd corpus ad modum leporis haberet *Harfot* fuit vocatus

tus, ita pariter huic nomini *Canutus* quod paternum erat, propter filij membrorum duritiem, ſive corporis firmitatem *Harde* verbum Anglicum addidere, quod, ut mihi Anglus quidam explicavit, durus, vel fortis latinè ſonat.

Ad Harpsfeldium revertor cuius opinionem haud probare poſſum; Henricus etenim Knyghton illius temporis Scriptor Conventum iſtum non Lambithi ſed Oxonij indictum fuiſſe ſcribit lib. 5. num 30. *Iſtis & alijs ab Archiepiſcopo & Conſilio eius conſideratis, noluit ea vice plenariè procedere in cauſa, donec deliberaret plenariùs cum Conſilijs Coepiſcoporum ſuorum, & tunc aſsignavit dicto Magiſtro Ioanni Witclef alium diem ad comparendum coram eo apud Oxoniam, ut cum Conſilio Cleri Univerſitatis poſset luculentius procedere & finem imponere in præmiſsis.* Quod verò ait Harpsfeldius de Richardo Cliffordo haud verum puto, nullum etenim ex Cliffordiorum familia illis temporibus tali nomine appellatum legitur, ni forſam Richardum pro Ludovico dixerit, quem laudatus Knyghton eodem libro num. 48. inter *W*itclefianæ ſectæ promotores enumerat; quomodo autem & undè tantam authoritatem habuerit Vir militaris ordinis duntaxat tale exturbandi Concilium, planè hæreo; mihi namque perdificile videtur, hominem privatum, nulla dignitate vel poteſtate inſignitum paucis tantùm verbis præcipuos Angliæ Præſules ita terruiſse, quòd contra dignitatem, ut ait Harpsfeldius, labaſcerent.

Oxonium igitur ſtatim ac pervenere Archiepiſcopus alijque Præſules, *W*itclefus iam antea citatus coram ipſis comparuit, qui, uti ſolebat, verum piumque Catholicum ſe fingens, omnia ſumma cum humilitate eorundem iudicio ſubmiſit, ac nonnullas ex propoſitionibus, quæ in ſuis opuſculis continebantur retractavit ſub hac formula,

formula, quam pariter Raynaldus ſub ijsdem verbis refert ex *Walſingamo*.

In principio proteſtor publicè ſicut ſæpè feci aliàs, quòd propono & volo ex toto corde meo, mediante Dei gratia eſse integer Chriſtianus, & quandiu manſerit in me halitus profiteri atque defendere quantum ſufficio legem Chriſti: & quòd, ſi ex ignorantia, vel quacunque alia cauſa in iſto defecero, rogo Deum meum de venia; & nunc prout ex tunc revoco, & retracto ſubmittens me humiliter correctioni ſanctæ Matris Eccleſiæ.

Abſit credere, quòd intentionis meæ ſit, ſæculares Dominos licitè poſſe auferre bona Eccleſiæ quandoque, & quomodocunque voluerint, vel nuda authoritate ſua, ſed omnino authoritate Eccleſiæ in caſibns & forma limitatis à iure.

Non intendo derogare poteſtati Papæ vel cuiuſcunque Prælati Eccleſiæ, quin poſſint in virtute Capitis ligare & ſolvere.

Hoc debet credi pro Catholico, quòd quilibet Sacerdos ritè ordinatus ſecundum legem gratiæ habet poteſtatem ſecundum quam poteſt Sacramenta quælibet ſecundum ſpeciem miniſtrare, & per conſequens ſibi confeſſum de quocunque peccato contritum abſolvere.

Cum autem nullam de Sacramento Altaris mentionem faceret, monitus fuit, ut falſas illas propoſitiones quas contra totius Eccleſiæ ſenſum de Venerabili Sacramento docuerat, anathematizaret. Hæſit ad hæc aliquantiſper, mox hæc Anglicè reſpondit, quæ ex Knyghton exſcripta in latinum vertit Paulus Mac Dermott Roe Auguſtinianus nobilis Hibernus, dum in Veronenſi noſtro Cœnobio Philoſophiæ Lector exiſteret.

Agnoſco & teneo, quòd Sacramentum Altaris ſit ipſum Chriſti

Chriſti Corpus in forma panis, alio tamen modo quàm eſt in cœlis; nam in cœlis eſt viſibilis faciei in forma & figura carnis & ſangvinis, in hoc verò Sacramento eſt Corpus Chriſti per miraculum Dei in forma panis, nec eſt viſibilis faciei neque in figura hominis, ſed ſicut qui videt imaginem aliquam depictam in quercu vel ſalice cogitat eum cuius eſt imago, ita qui videt hoc Sacramentum videt panem, ſed cogitat Corpus Chriſti, nam ipſius Corpus eſt idem panis qui eſt Sacramentum Altaris. Quarè tenendum firmiter eſt, in hoc Sacramento eſse Corpus Chriſti cum ſubſtantia panis. Vndè qui cum omni munditia, omni devotione, & omni charitate accipit hoc Sacramentum, ſpiritaliter ſumit Corpus Chriſti, & quidem cum maiori merito, quàm ipſe Sacerdos qui in Miſſa cum minori charitate hoc Sacramentum ſumit, quia manducatio Corporalis nihil prodeſt animæ ſine charitate. Hæc ſententia eſt approbata à Chriſto qui mentiri non poteſt, nam ut dicit Evangelium, Chriſtus illa nocte, qua traditus fuit à Iuda Iſcariote, accepit panem in manibus ſuis, & benedixit, fregit, & dedit illum Diſcipulis ſuis ad manducandum & dixit, hoc eſt Corpus meum.

Ex qua impia aſſertione clarè colligitur, *W*itclefum non ſolùm aſſeruiſſe Corpus Chriſti non eſse in Euchariſtia, niſi in ſigno, ut tradit Robertus Bellarminus tom. 3. Controverſ. de Sacrament. Euchariſtiæ lib. 1. cap. 1. ſed etiam Corpus Chriſti eſse realiter in Sacramento Altaris ſimul cum ſubſtantia panis, quos errores bifrons Hæreticus hauſit à Berengario Turonenſi, & Eccleſiæ Andegavenſis Archidiacono, qui primus anno 1046 in apertum propugnavit & propagavit. Verùm licèt *W*itclefus in hoc Berengario ſubſcribat, quòd ſcilicet in Sacramento Altaris verè & realiter ſit Corpus Chriſti ſimul cum ſub-

ſtantia panis, attamen ab eodem diſcrepat, veram impanationem dogmatizando, quam Berengarius non admiſit, ut diſertiſsimè probat cum Sancto Guitmundo Doctiſsimus Lupus tom. 3. Synodorum pag. 545. *Non verum, ſed neſcio quod incorporeum ac intellectuale Domini Corpus impanari admiſit à toto Euchariſticam veritatem profitente Mundo compulſus & confuſus Berengarius, ideoque non veram impanationem, ſed doloſum huius erroris monſtrum.* Et pag. 546. *Per Corpus intellectuale non aliud quàm ab intellectu apprehenſam Corporis figuram intellexit Berengarius atque ita nec veram impanationem docuit, ſed doloſis verbis omnem Eccleſiam conatus eſt circumſcribere.* Hinc patet Berengarium veræ impanationis Authorem non fuiſſe ut quampluri-mis Scriptoribus viſum eſt, ſed alium quendam, quem quis fuerit, ſequenti capite videbimus.

Cæterum Berengarij hęreſim, quam Witclefus poſt tria ſecula recoxit, varijs Concilijs damnatam prodit Cardinalis Bellarminus loco nuper citato lib. 3. cap. 8. ita ſcribens: *Primùm diſcuſſa fuit in Concilio Romano ſub Leone IX. & damnata hæreſis Berengarij. Secundò in Vercellenſi, eodem Leone præſente ac præſidente eadem quæſtio diſcuſſa, & eodem modo explicata, quò etiam Berengarius vocatus eſt, & cum accedere noluiſſet, cum eius confœderatis, qui ſe Berengarij legatos nominabant, diſputatum eſt: Tertiò, mortuo Sancto Leone iterum in Concilio Turonenſi præſidentibus legatis Victoris Papæ, qui Leoni ſucceſſerat, cum ipſo Berengario acerrimè diſputatum, eoque convicto, & hæreſim abiurante, eadem fides confirmata eſt. Quartò, cum Berengarius ad vomitum rediiſſet, iterum Romæ generali Concilio Nicolao II. præſidente, & Berengario præſente*

eadem

eadem quæſtio propoſita , & diſcuſſa diligentiſsimè fuit, & tum ſecundò Berengarius abiuravit , & librum ipſe ſuum coram omnibus cremavit. Atque horum quatuor Conciliorum meminit Lantfrancus in lib. contra Berengarium , qui omnibus interfuit. Quintò, cum Berengarius iterum ſecunda abiuratione contempta ad ſuam hæreſim rediiſſet , coactum eſt quintum Concilium Romæ à Gregorio VII. & rurſus quæſtio diſcuſſa diligenter & hæreſis damnata fuit, ubi etiam Berengarius tertiò abiuravit, neque amplius defecit.

Concilium in quo primùm Berengarius damnatus fuit coactum fuiſse à Leone IX. anno 1050. hebdomada poſt Dominicam in Albis , cuilibet Acta eiusdem inſpicienti clariſsimè patet ; Hinc Franciſcus de Roye Authorem vitæ Lantfranchi iure optimo corrigit , eò quòd Concilium hoc Leoni VIII. tribuat , ut refert Gabriel Coſſartius in eiuſdem notis tom. 9. Concil. pag. 1053. in eo verò quod idem Coſsartius ſubiungit nempè eundem Authorem lapſum item fuiſse, *eò quòd & Berengarium* , dicat , *eò reſponſales Clericos duos pro ſe miſiſſe , nam in Romano Concilio neque per ſe neque per alium ullum auditus eſt , neque Clericos duos niſi ad Vercellenſe miſit* , ex parte hæreo; cum doctiſsimus Lupus tom. 3. Synod. pag. 548. idem ſcribat : *Hinc delatum ſibi Berengarium Leo Pontifex evocavit ad præſentem Synodum, verùm ille timens venire diſtulit , quòd enim Romanam Urbem pluſquam barbaricam obſidionem timeant paſsim Hæretici, ad Ruffinum verè ſcripſit Sanctus Hieronymus. Duos interim Reſponſales miſit Berengarius.* Item pag. 549. *Quarè eadem ſentientes eius Reſponſales in carcerem coniecit, ipſum verò Berengarium Leo Pontifex à communione ſuſpen-*

dit, utique uſque ad proximè futuram, quò evocandus, & perſonaliter audiendus, Synodum Vercellenſem. Cæterum Lantfrancus ex cuius commentario horum Conciliorum Acta habuimus, in Concilio Vercellenſi duntaxat de Clericis à Berengario miſsis mentionem facit. Do eius verba ex tom. 9. Concil. Lab. pag. 1056. *Duo Clerici qui legatos tuos ſe eſſe dixerunt volentes te defendere in primo ſtatim aditu defecerunt & capti ſunt*. Quòd ſi ad Romanam Synodum etiam Reſponſales Clericos Berengarius miſiſſet, omni procul dubio ſicut de illis qui ad Vercellenſe, ita de ijs qui ad Romanum Concilium venere; Lantfrancus meminiſset. Sequitur Bellarminus: *Secundò in Vercellenſi &c.* Ante Vercellenſe Concilium fuit convictus & damnatus Berengarius in Conventu Brionenſe, quòd haud obſervavit Bellarminus, à Guilielmo notho Normanorum Duce coacto, ad quem à Summo Pontifice Leone appellaverat, ut refert laudatus Lupus pag. 550. *quòd nempè noſſet Iuvenem & calidum atque offenſum à Leone Pontifice ob negatam diſpenſationis, & relaxati interdicti gratiam, ac ab omni Romana Eccleſia alienum. Quidquid ſit, Divina gratia direxit Iuvenem principem, & Leonis de Hæreſiarcha iudicium fecit per ipſum Synodaliter confirmari*. Vide tom. 9. Concil. Lab. pag. 1054. Poſtea calendis Septembris eiusdem anni celebratum fuit Concilium Vercellenſe eodem Pontifice præſidente, quò vocatus Berengarius non comparuit, ſed duos Clericos miſit, qui convicti in carcerem coniecti ſunt, ipſumque Berengarium Summus Pontifex uſque ad reſipiſcentiam iterum anathematizavit. Pergit Bellarminus; *Tertiò: mortuo Sancto Leone iterum in Concilio Turonenſi etc.* Synodi Pariſienſis obliviſcitur vir doctiſsimus, quæ eodem anno 1050.

calendis Novembris celebrata fuit, ut habetur eodem tomo Concil. Lab. ex Durando Abbate Troarnenſi pag. 1060. qui ait: *Contigit ut ad aures etiam Regis Francorum Henrici perveniret, qui conſultu ſui Regni Pontificum, Procerumque, Concilium Pariſijs cogi decimo ſeptimo cal. Novembris pręcepit.* Et paulò poſt: *Sed iam dictus Berengarius malæ conſcientiæ perculſus terrore, ut iuſſus erat eò venire diſtulit, ſeque cum Brunone ſuo, videlicet Epiſcopo Andegavenſi ſub quo Archidiaconi fungebatur honore pro eo maxime continuit, quia eodem errore, utpotè tanti viri credulus, & ipſe noſcebatur involvi.* Et infrà: *Damnato proindè communi ſententia talium Authore, damnatis eius complicibus cum codice Ioannis Scoti ex quo, ea, quę damnabantur ſumpta videbantur; Concilio ſoluto dimiſſum eſt, ea conditione, ut niſi reſipiſceret eiuſmodi perverſitatis Author cum ſequacibus ſuis ab omni exercitu Francorum, præſentibus Clericis cum Eccleſiaſtico apparatu, inſtanter quæſiti, ubicunque conveniſſent eoſque obſiderentur, donec aut conſentirent Catholicæ fidei, aut mortis pœna luituri caperentur*; Hactenus ex Durando Collector, qui mox hæc ſua ſubiungit: *addit*, ſcilicet Durandus, *eos in alio poſtea Concilio, nempè Turonenſi anno* 1055. *errorem abiuraſſe; moxque ad vomitum rediſſe.* Durandi à Collectore truncata verba, minuſque rectè interpretata profert Lupus tom. cit. pag. 557. *Quamobrem territi non multo poſt in Concilio ſuper fidei ſuæ ſtatu conventi, ita ſe ſicut Eccleſia tenet Catholica credere fideliter & ſapere publicè profeſſi ſunt, delatiſque Sanctorum pignoribus, ut omnibus ſatisfacerent, atque de veritate fidei, quam profeſſi fuerant, eos qui aderant, certos facerent, Sacra-*

mentum

mentum dederunt. Quibus verbis Durandus non dicit, *eos*, ideſt Berengarium eiuſque Complices, *in alio poſtea Concilio nempè Turonenſe errorem abiuraſſe*, ut vult Collector, ſed ait, *non multò poſt in Concilio*, videlicet Pariſijs iterum coacto, *de veritate fidei Sacramentum dediſſe*; Turonenſe ſiquidem Concilium *non multò poſt* ſed longè poſt, annis nempè quinque à Pariſienſe celebratum fuit. Undè optimè infert Lupus ibidem: *Ex hinc interim nata eſt ſecunda Galliæ Synodus in qua Catholicam fidem eſt publicè profeſſus* Hanc autem, quam vocat Galliæ Synodum, Pariſienſem fuiſſe, innuit tom. 4. Synod. pag. 7. *Hinc ipſam*, ſcilicet Berengarij hæreſim, *ut in duplici Pariſienſi Henricus Rex Francorum, ita in hac Florentina Synodo coram ſe damnandam curavit Henricus Imperator*. Hanc quoque Synodum omiſit Bellarminus, quæ Florentiæ celebrata fuit ante Concilium Turonenſe licèt eodem anno 1055. Victore II. ſummo Pontifice, & Henrico III. Imperatore præſentibus, ubi damnatus item fuit Berengarius, quippequi hæreſim quam ob Regij gladij metum evomerat, mox reſorbuerat.

Verùm quia nec Romæ neque Vercellis coram Leone IX. nec Florentiæ coram Victore II. comparere voluerat, immo potiùs per continuos relapſus tot Conciliorum authoritatem contemneret, ipſamque Pontificiam dignitatem ſcurrilibus dicterijs perſtringeret, Leonem quippe iam vita functum, ſummum non Pontificem, ſed Pompificem ac Pulpificem appellabat; Pontifex Victor Concilium Turonenſe, in ipſa ſcilicet ſub qua Andegavenſis Civitas, ne hæreticus aufugere poſſet, Turonum Metropoli, per Hildebrandum eius à latere legatum celebrari iuſsit. Comparuit ad hanc Synodum Berengarius, ac hæreſim abſque ulla diſceptatione eiu-

ravit,

ravit, ſuoque more Sacramento firmavit; Qua in re fallitur Bellarminus ibidem ſcribens, *cum ipſo Berengario acerrimè diſputatum*; nam Lantfrancus contra Berengarium agens ait: *Denique in Concilio Turonenſi, cui ipſius Victoris interfuere Legati, data eſt tibi optio defendendi partem tuam, quam cum defendendam ſuſcipere non auderes, confeſſus coram omnibus communem Eccleſiæ fidem, iuraſti, te ab illa hora ita crediturum*; ſi igitur cauſam ſuam ſuſcipere defendendam haud auſus fuit, *quomodo cum ipſo acerrimè diſputatum?*

Proſequitur Bellarminus; *Quartò cum Berengarius ad vomitum rediſſet &c.* Abiuratam vix hæreſim reſumebat verſatilis Berengarius, eòque confidentius, quòd in nullo ex præhabitis Concilijs fidei profeſſionem ſub aliqua formula in ſcriptis unquam probaverat vel ſubſcripſerat, ſed verbotenus duntaxat iureiurando firmaverat; Hinc Nicolaus II. poſt Turonenſem Synodum quatuor iam elapſis annis, nempè anno 1059. Romæ Concilium indixit, cui centum & tredecim Epiſcopos interfuiſſe teſtatur Lantfrancus, quò citatus Berengarius è veſtigio ſe contulit, quòd mirum ſanè fuit, nam à Romanorum Pontificum conſpectu ſemper ita abhorruerat, ut coram Leone & Victore, ut ſupra dicebamus, nunquam ſe ſiſtere voluerit; cauſam tamen expediti huius adventus innuit idem Lantfrancus: *Cum veniſſes Romam fretus ijs, qui plus impenſis à te beneficijs, quàm ratione à te audita opem tibi promiſerant*. Quinam verò fuerint, quos ſibi obſtrinxerat Berengarius, quibuſve beneficijs, ignoro. Interim à Concilij Patribus eiusdem ſcriptis, quæ ſecum detulerat examinatis, erroribuſque diſcuſſis, à Summo Pontifice ſi aliquid pro ſui defenſione dicere vellet data optione, nihil eſt auſus reſpondere, niſi quod Lantfrancus

cus ipſum Berengarium alloquens, narrat ; *Poſtulaſti Nicolaum Pontificem eiusque Concilium quatenus, fidem, quam teneri oporteret, verbis tibi traderet, ſcriptura firmaret ; Iniuncta eſt huius rei cura Humberto Epiſcopo; itaque verba fidei ſcripſit, recitavit, aſſenſu omnium ad legendum & confitendum tibi tradidit. Tu verò aquieſcens accepiſti, legiſti, confeſſus es, te ità credere iureiurando confirmaſti, tandem propria manu ſubſcripſiſti*. Et hæc fuit prima Berengarij in ſcriptis abiuratio, quam ſequenti capite recitabimus. Ut enim profeſſionis ſcripto libello ab Hæreticis facta firmetur abiuratio, & ad perpetuam memoriam in Eccleſiæ Archivis ſervetur, eſſe Canonem Apoſtolicum, & perpetuam fuiſſe conſuetudinem omnium Eccleſiarum docet Lupus tom. cit. pag. 226. His itaque peractis, & accenſo coram omnibus igne, ſua & Ioannis Scoti ſcripta proprijs manibus Berengarius combuſſit, ac ita de hæreſi purgatus Roma in Gallias remeavit.

Ultimò pergit Bellarminus ; Quintò, *cum Berengarius &c.* Concilium Pictavienſe pariter omittit, quod celebratum fuit anno 1076. cal. Ianuarij præſidente Giraldo Apoſtolicę Sedis Legato, ut habetur in Chronico Maleacenſi ; *Pictavis fuit Concilium, quod tenuit Giraldus Legatus de Corpore & ſangvine Domini, in quo Berengarius fermè interemptus eſt ; fueratque aliud Concilium apud Sanctum Maxentium ſeptimo cal. Iulij, in quo erat Maior Goſcelinus Archiepiſcopus Burdegalenſis, qui Archimbaldo ſucceſſit, Wilielmus Petragoricus & alij multi : iſtud primum fuit ſeptimo cal. Iulij, & aliud idibus Ianuarij*. Cur autem Berengarius fermè fuerit interemptus conijcit Lupus tom. 5. Synod. pag. 312 : *Exiſtimo quòd ob toties iteratum relapſum in horrendas*

das blaſphemias, quas Apoſtolicæ dignitatis tenaciſſimus Galliarum populus, quia videbat per Synodalia decreta & iterata in ipſis iuramenta, non corrigi, cenſuit lapidibus obruendas, atque ita cum blaſphemo & periuro Hæreſiarcha, apud inferos ſepeliendas. Synodum quoque apud Sanctum Maxentium antea celebratam Præſide Goſcelino eadem decreviſse tradit Ioannes Chanutus in Notitia Burdegalenſium Archiepiſcoporum: Immò plures alios Conventus ſuper eandem materiam indictos fuiſſe non dubitandum idem Lupus exiſtimat.

Tandem Gregorius VII. ut peſtiferum iſtud ſemen penitus extirparet, anno 1079 coacto iterum Concilio Berengarium, ipſum in primis accedere iuſsit, qui Gregorij mandatis obediens, extrema quamvis ſenectute confectus Romam ſe contulit. *Verùm ubi cæpit res agi*, ita legitur tom. 10. Concil. Lab. pag. 378. *prius etiam quàm tertia die ventum fuerit in Synodo, defecit contra veritatem pars altera.* Ex quo convictus Berengarius, errorem poſt varios relapſus, diuque dogmatizatam impietatem, confeſſus eſt, veniam petijt, obtinuit, fideique profeſſionem iureiurando dedit ſub hac formula.

Ego Berengarius corde credo & ore confiteor &c. quæ fuit ſecunda & ultima ipſius in ſcriptis abiuratio, quam pariter exſcriptam proferam capite ſequenti. Mox deindè anathemate ſolutus, acceptiſque ab ipſo Pontifice commendatitijs literis unà cum Fulcone eius converſionis oculato teſte domum redijt, ubi pœnitens & Catholicus ex hac vita poſtea deceſsit propè nonagenarius; *Moriens* etenim, ut ſcribit Wilielmus Malmeſberienſis, *gemituque producto recordatus, quòd miſeros quondam adoleſcens primo ætatis calore ſecta ſua infecerat: Hodie, inquit, in die apparitionis meæ apparebit mihi Dominus meus Ieſus Chriſtus*

propter pœnitentiam, ut ſpero ad gloriam; propter alios, uti timeo ad pœnam. Hæc de Berengario inſerere libuit; ab ipſo etenim *W*itcleſus ex Cathedra peſtilentiæ Magiſtro horrendas in Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum blaſphemias eructare didicerat; & utinam ſicuti Berengarium hæreſi labefactatum ſequtus eſt, ita pariter imitatus fuiſſet pœnitentem.

Cap.

Cap. VI.

Witclefus impanationis hæreſim deteſtatur : Cur eandem poſtea adoptaverit atque defenderit ? De Authore librorum de Divinis Officijs inquiritur. Waldenſis opinio reicitur. Chriſtianus Lupus antilogia notatus. Rupertum Tuitienſem Abbatem horum librorum Authorem fuiſſe oſtenditur. A Bellarmino de impanationis hęreſi accuſatus defenditur : Franciſci Suarez pro Ruperto inanis excuſatio refellitur.

IMpium impanationis dogma ut horrendum idolatriæ monſtrum abhorviſſe primò *Witcleſum*, lucet ex ijs, quæ in 4. Trialogi ſcribit : *Sum certus quòd ſententia iſta impanationis*

eſt impoſsibilis atque hæretica, quia ſic Corpus Chriſti nedum foret factum à Presbytero celebrante, ſed etiam à piſtore, & generaliter Sacerdos celebrans collum & omnia membra Chriſti frangeret; & item tunc ille panis eſt factus realiter Chriſtus Deus: ſed quæ idololatria foret amplius deteſtanda. Cur verò deteſtandam hanc idololatriam tanquam præcipuum ſuæ doctrinæ dogma poſtea autumaverit, mordicuſque defenderit, ipſemet aſsignat in de Sermone Domini in monte cap. 39. *Sed Author de Diuinis officijs declarat, ut de fide Eccleſiæ quòd ſicut Chriſtus eſt ſimul Deus & homo, ſic hoc Sacramentum panis & Calicis eſt ſimul panis & vinum & Corpus & Sangvis Domini Ieſu Chriſti.* Et lib. de Apoſtaſia cap. 7. huiuſce Authoris fidem ampulloſis verbis exaggerat vocans eum Ambroſium, poſtea eius diſcipulum, qui ex ſecretis mediæ Miſſæ Natalis Domini eiuſdem Ambroſij iſtam acceperit ſententiam; ita enim ibidem ſubiungit: *Iſte Doctor Catholicus & ſolemnis in capite de materia Sacramenti Altaris ſic inquit. Materia vel ſubſtantia Sacrificij, quod tunc erat, & nunc eſt in manibus Pontificis noſtri non ſimpla eſt, ſicut nec Pontifex ſolius Divina vel humana ſolius eſt ſubſtantia, eſt enim tam in Pontifice quàm in Sacrificio Divina ſubſtantia, eſt & terrena. Terrena in utroque eſt illud quod corporaliter vel localiter videri poteſt; Divina in utroque, Verbum inviſibile, quod in principio erat Deus, apud Deum; nam cum diceret idem magnus Pontifex panem & vinum tenens,* Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſangvis meus; *vox erat Verbi Incarnati, vox æterni Principij, Verbum antiqui Conſilij, Verbum quod humanam acceperat naturam; idem in carne manens panis & vini acci-*

accipiebat ſubſtantiam; vita media panem cum ſua carne vinum cum ſuo iungebat ſanguine. Quæ cum ex veteris Patris codice deprompta, ſancta, ſincera, Catholica, atque fidei Chriſti conſona deprędicaret, varia pro ſacris Aris diſcrimina inter Catholicos excitavit, quæ perinde ad ſua uſque tempora viguiſſe refert ipſe Waldenſis cap. 47. de Sacra. Euchar. *Fateor de Doctore iſto, plures commovit ignaros; nam ante plures annos me tunc Oxonijs converſante, verbum iſtud ibidem petitione Regis Anglorum Henrici quarti iugiter volvebatur. Quærebatur Author, quærebatur & liber, quibusdam dicentibus, quòd Ambroſius diceretur ſed nunquam hoc reperto, alij autumabant, quòd eſſet Iſidorus. Multa difficultate accerſito de procul Iſidoro de officijs, defecerunt ſcrutantes ſuo ſcrutinio. Tempore medio eruditi quidam diſputatione ſcholaſtica, ſed de lectura veterum tyrones novelli videntes antiquitatem ſermonis eius ceſpitare cæperunt. Tandem illuminante Deo oculos ſervorum ſuorum, compertum eſt eundem Authorem ſcripſiſſe diebus Anſelmi, & ab eo curialiter increpatum, conſultumque, ut prædictum opus exquiſitum faceret priuſquam ad manus pergeret exterorum*. Poſtea ſequitur referens verba, quibus Anſelmus hunc Authorem corripit ex quodam opuſculo cui titulus eſt, *De Corpore & Sangvine Domini*, quod in alicuius Bibliothecæ angulis adhuc latère, vel potius deperditum ſuſpicor, cum à nullo alio Scriptore præter Waldenſem citatum reperiatur, ita incipit: *Anſelmus fratri in Chriſto cariſſimo illuminatos oculos cordis. Lego & relego cariſsime opus veſtrum de Officijs, multumque me delectat eius lectio tum pro ſui utilitate, tum pro Authoris dulciſsima mihi charitate; ſed quoniam veritas*

chari-

charitatis, *& charitas veritatis adulationis odit fucum, videor mihi videre in facie pulchri operis nævum unum, qui etſi interim inter vos benevola quadam diſsimulatione tegatur, ſi opus hoc exierit in manus eorum qui carpere amant aliorum & benè dicta, futurus es in ſignum, quod tibi à multis contradicetur*. Quod opuſculum ſive epiſtolam minus rectè *W*aldenſis Sancto Anſelmo tribuit, opus nanque de Officijs completum fuiſſe eodem vita functo patet ex ijs quæ eiuſdem operis Author ſcribit de quodam miraculo, lib. 8. cap. 4. *Sed ecce dum hæc ſcribimus iucundo per quendam fratrem noſtrum gratia reſurgentis nobis arridet miraculo*. Paulò poſt: *Res huiusmodi eſt*; *Hoc ſancto Paſcha Sabbato, quo Cereo, de cuius quoque præconijs ſuperius aliqua diximus, annus ab Incarnatione Domini milleſimus centeſimus undecimus inſcriptus eſt*. Poſtea miraculum narrat; quod idem ſe legiſse fatetur *W*aldenſis citato cap. 47. *Legi autem in eodem libro huius Authoris capite ſcilicet quarto octavi libri, eum annotaſſe annum Domini MCXI. tunc inſertum Cereo Paſchali*; *quo cuidam fratri ſuo Monacho Sancti Laurentij extra muros (de quo Comeſtor in Hiſtorijs) viſum eſt reſurrectionis miraculum ipſo præſente*. Qui annus milleſimus centeſimus undecimus ; fuit poſt Sancti Anſelmi obitum ſecundus, etenim Lantfranco Magiſtro ſuo in Archiepiſcopatum Cantuarienſem ſucceſſerat anno 1093. & anno 1109. ultimum diem clauſit, ut teſtatur Edinerus eius convictor in vita eiuſdem oculatus teſtis ; igitur duobus poſt mortem Sancti Anſelmi præteritis annis opus de Officijs nondum compleverat Author ; ex quo clarum fit *W*aldenſem hunc errorem commiſiſſe, quia annum quo Sanctus Anſelmus obierat, ignoravit. Porrò epiſtolam illam

fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe conſcriptam ab aliquo Monacho Anſelmi nomine nuncupato magis veritati conſonum mihi videtur, cum in eiusdem epiſtolæ epygraphe, Anſelmi nudum nomen, nulla expreſſa Abbatis vel Archiepiſcopi dignitate ſcriptum ſit. Quiſnam verò fuerit iſte ſine nomine Berengarij Symiſta, qui opus illud de Officijs concinnarit, poſt varias diſquiſitiones, Regijs etiam ſumptibus adhibitis, ſe comperiſſe ſcribit idem Waldenſis citato cap. *Reperi tamen poſtmodum Doctorem Herdeclei Cancellarium Oxonienſem dicere in quadam quæſtione, cuius titulus eſt*, Utrum de neceſsitate ſalutis eſt ponere accidens ſine ſubiecto in Sacramento Altaris, *quòd Auctor iſte de Officijs eſt Walerannus Epiſcopus Naumburgenſis; quod item Toloſæ quidam providus Inquiſitor comperit eſſe verum*. Et cap. 93. *Cancellarius Oxonienſis herclè dicit eum Walerannum Naumburgenſem Epiſcopum, & hoc in antiquis exemplaribus rectius invenitur*. Verùm Eminentiſsimus Bellarminus has coniecturas abſque veluti fundamento reicit lib. 3. de Sacr. Euchar cap. 11. *Neſcio quibus coniecturis ſuſpicati ſint Authorem illum fuiſſe Waleramum ſeu Walerannum, ad quem extant duo opuſcula Sancti Anſelmi unum de Azimo, alterum de diverſitate Sacramentorum; Hinc Dominicus à Soto, Claudius Sanctius, Guilelmus Alanus & alij qui ſcribunt de Euchariſtia primum Authorem impanationis faciunt Waleramum. Sed nec ille fuit primus, cum præceſſerint Berengariani, nec fuit Waleramus, ſed Rupertus Tuitienſis ex cuius libris eruenda eſt eius ſententia, quam ſanè perperam exponit Dominicus à Soto in 4. diſt. 9. quæſt. 2. art. 2.* Certum eſt Scriptores ante Bellarminum Waldenſi adhærentes, Waleramum librorum de Officijs Authorem, ſimulque primum impanationis

tionis Patronum uno ore tradere; Rupertum verò ab iiſdem nec nominari, Dominico Soto excepto, qui licèt Waleramum huiuſce erroris Authorem fateatur, Rupertum tamen tali errore non liberat, eius ſententiam exponendo, ut vult Bellarminus, immo hac labe conſpurcatum clariſſimè tradit, ut rectè obſervavit Franciſcus Suarez tom. 3. de Sacramentis quæſt. 75. art. 2. diſp. 49. ſect. 2. *Ego verò nec invenio, ubi Soto eum excuſaverit; nam potius in eo loco, quem ipſe citat, ſcilicet in 4. diſt. 9. queſt. 2. art. 2. illi tribuit hunc errorem.*

Cæterum ſicuti opus de Officijs non fuiſſe tempore divi Anſelmi conſcriptum ſuperiùs oſtendimus, ita neque Waleramum illud edidiſſe ex quibuſdam eiuſdem operis ſumptis teſtimonijs, quæ mox proferam, clarum habebimus. Interim certum eſt, opus illud, quod tempore Witclefi ſine nomine vagabatur, idem eſſe, quod nunc inſertum habetur tomo ſecundo operum Ruperti; Vtriuſque enim prȩfationi idem eſt initium, nempè, *Ea quæ per anni circulum*, omnes quoque textus, quos Witclefus ex illo contra Catholicos obiecebat, in hoc ad ungvem reperiuntur, quod eſt vnum ex argumentis quibus utitur Bellarminus, ut probet, Rupertum huius operis Authorem fuiſſe. In libro igitur huius operis ſeptimo, cap. 25. hæc leguntur: *Rectè & laudabiliter à noſtris, ideſt Monachi Ordinis, maioribus traditum eſt*. Et lib. 8. cap. 3. *Quamvis ea, quæ ſupra dicta ſunt, rationem habeant theoricam, noſtri tamen ideſt Monachi Ordinis aquè authenticam non debent immutare regulam*. Item eodem lib. cap. 4. narrato miraculo, quod ſupra innuimus de Reſurrectione, verſus finem ita ſequitur: *Hoc igitur ubi accepi, manè quippe ubi primùm loquendi copia fuit, duobus tantùm fratribus, quorum unus ex-*

titi,

Digitized by Google

titi, attonitus adhuc frater ille rem geſtam retulit obnixè poſtulans, ut creditum nobis ſecretum nunquam cum ſuo nomine proderemus. Ex quibus manifeſtè colligitur, Authorem huius operis Monachum fuiſſe, non autem Valeramum, qui antequam opus hoc inciperetur Naumburgenſis erat Epiſcopus, ut conſtat ex epiſtola Sancti Anſelmi de Fermentato, & Azimo tom. 3. pag. 126. quæ incipit: *Anſelmus Servus Eccleſiæ Cantuarienſis Waleramo Naumburgienſi Epiſcopo: Scienti breviter loquor; ſi certus eſſem prudentiam veſtram non favere ſucceſſori Iulij Cæſaris & Neronis & Iuliani, & poteſtati contra ſucceſſorem & Vicarium Petri Apoſtoli, libentiſsimè vos & amiciſsimum, & Reverendum Epiſcopum ſalutarem &c.* Opus verò de Officijs duobus poſt mortem Sancti Anſelmi annis nondum completum fuiſſe ſuperiùs oſtendimus. Prętereà verba illa ultimo loco citata clariſſimè indicant fuiſſe Monachi, non autem ſcribentis Epiſcopi; ait enim ipſummet unum ex duobus illis fratribus ſive Monachis extitiſſe, quibus miraculum illud de Reſurrectione narratum fuerat. Hinc ſapientiſsimum Lupum haud probare poſſum, qui tom. 5. Synod. pag. 368. Waleramum librorum de Officijs Authorem aſſerit: *Et in hoc poſterius barathrum* (ſcilicet impanationem) *lapſi ſunt quidam etiam Catholici; etenim Waleramum Naumburgenſem Epiſcopum, licèt quandoque Henrico IV. Imperatori & laicis Antiſtitum inveſtituris adhæſerit contra Romanam Eccleſiam, fuiſſe tamen Orthodoxum, & Paſchali ſecundo Pontifici poſtea plenè reconciliatum lucet ex ipſius epiſtola ad Sanctum Anſelmum & tamen eius liber de Divinis Officijs habet hęc verba*: Materia vel ſubſtantia Sacrificij &c. Sunt illa verba adeo toties plenis buccis

ab *W*itclefo decantata, quæ ſuperiùs recitavimus: Quam opinionem ipſum quoque à *W*aldenſe accepiſſe haud dubito ex ijs quæ ibidem ſubdit: *etiam de neſcio quo Doctore Ioanne Pariſienſi ſcribit in opere de Sacramentis Thomas Waldenſis*. Illud tamen admirationem movet, quòd Scriptor tam celebris opus de Officijs hoc loco *W*aleramo aſcribat, cum antea tom. 4. Synod. pag. 323. expendens decretum Alexandri II. Summi Pontificis de Feſto Sanctiſsimæ Trinitatis, Ruperto Abbati tribuerit: *Ex eadem radice ipſum uti convenientiſſimum prædicat in opere de Divinis Officijs Rupertus Abbas Tuitienſis: videlicet homo Gallus educatus in Leodienſi Eccleſia, ubi ſingulariſsimè hoc Feſtum viguiſſe ſtatim audivimus à Micrologo. Addit tamen ipſum non in prima, ſed celebrari in ſecunda Dominica poſt Pentecoſten. Et hinc lucet, quòd libros iſtos non Leodij in Sancto Laurentio ſed Tuitij apud Coloniam ſcripſerit, aut certè compleverit*. Ex quo apparet, Virum eruditum duobus Authoribus idemmet opus aſcribere, ni fortaſſe libros de Officijs Ruperti diverſos ab illis, quos *W*aleramo tribuit *W*aldenſis, exiſtimaverit, quod uti à veritate alienum ſuperiùs reicimus.

Verùm quamvis ex hactenus dictis opus de Officijs à Ruperto Abbate fuiſſe conflatum haud obſcurè colligatur, doctiſsimus tamen Bellarminus evidentiſsimè loco mox laudato ita probat: *Eſſe autem Rupertum Authorem illorum librorum de Officijs Divinis in quibus iſti errores continentur, dubitari nullo modo poteſt: nam ſententiæ omnes, quas citabat Witclefus apud Waldenſem inveniuntur ad verbum in ſecundo libro Ruperti de Officijs cap. 9. Initium quoque librorum de Officijs apud Waldenſem eſt.* Ea quæ per anni circulum. *Et idipſum eſt initium librorum*

Ru-

Ruperti; *denique conveniunt iſti errores librorum de Officijs Divinis cum alijs eiuſdem Ruperti in Comment. in Exodum, & in Ioan. Vnde non ſine cauſa libri iſti Ruperti ſine honore & titulo iacuerunt annis fermè quadringentis, nam ætate noſtra primùm lucem liberè aſpexerunt; neque dubium eſſe poteſt, an libri iſti de Officijs Divinis eiuſdem Ruperti ſint, cuius ſunt omnia alia opera, quæ eidem aſcribuntur; nam in Prologo horum librorum de Officijs Divinis enumerat ipſe omnia alia ſua opera*. Eadem habet lib. de Scriptoribus Ecclesiaſticis pag. 181. quæ etiam exſcripſit Antonius Poſſevinus in Appar. Sac. tom. 3. Quibus Bellarmini rationibus pauca quædam mox ſuperaddere duximus, ut huiuſce facti veritas clariùs eluceat. Rupertus opus hoc de Officijs adhuc Iuvenis Leodij in Monaſterio Sancti Laurentij compoſuerat, quod tamen ſuo nomine ſolùm poſtea evulgavit cum Tuitij illius Monaſterij Abbas moraretur; cur diu ita diſtulerit ipſemet prodit in epiſtola nuncupatoria eiuſdem operis ad Cunonem Ratiſponenſem Epiſcopum antea Abbatem Sigebergenſem: *Primitias frugum terræ quas Dominus dedit mihi nunc offero ſecundum præceptum ſanctæ ac myſticæ legis, dum præſens opuſculum, quod de Divinis ſcripſeram Officijs diu expeditum mitto tibi, Cuno Pater mi hactenus Abbas Sigebergenſis, nunc autem adaucta ſuper te Domini gratia, Pontifex Eccleſiæ Ratiſponenſis. Primitiæ nanque ſunt iſta cunctorum operum quæ mihi à Domino proveniſſe gaviſus es*. Paulò poſt: *Hoc autem quod primum erat & alia pauca ſine ſplendore cuiuſquam tituli dimiſeram, ut ipſe noſti*. Poſtea cauſam narrat: *Nondum alicui notus Pontifici, & Sacerdos qui erat in diebus illis non curaret, neque ad-*

 mitteret

mitteret me ad profeſsionem huiuſmodi. Et paulò infrà: *Quia dicebatur adverſum me, iſte ſcribit quod neceſſarium non eſt. Sancti ſcripſerunt, Sanctorum ſcripta ſufficiunt & ſuperabundant; non ſufficimus legere quæ ſancti ſcripſerunt, nedum hæc, quæ iſti ignoti ſine authoritate de corde ſuo ſcribunt. Hæc & alia multò graviora ſurda aure præteriens, ut totus eram poſſeſſus ab ea, quæ me facere non ſinebat dilectione Verbi Dei & primitias iſtas, & alia nonnulla in Cartallo meo congeſsi, donec venires tu amicus & patronus fidelis*. Aliam quoque epiſtolam ad eundem Cunonem cum Sigebergenſis Monaſterij eſſet Abbas antea ſcripſerat, in qua de patrocinio gratias referens, ſimiles quærimonias profert: *Proindè actum eſt, credo, per providentiam Dei & Patris, ſine quo nec unus paſſer in terram cadit, ut in notitiam venirem tuæ charitatis & fidei, utque poſtmodum migraturus ab hoc ſæculo Pater meus vir vita venerabilis & ſapientia memorabilis Berengarius Abbas Sancti Laurentij in publico monte Leodij tuæ committeret fidei, tanquam pupillum tutori; Solus enim is qui nunc ſucceſsit ei vir fidelis & prudens Heribrandus qui & ipſe literarum peritus pueritiæ meæ Magiſter extitit, illuc uſque non poſsit mihi patrocinari, quò, ſicut ſcis, invidia pervenerat nominis mei*. Vix etenim opus de Officijs in aliquorum eiusdem inſtituti manus pervenerat, quòd Andegavenſis Berengarij recenter demortui ſcabie pollutum iudicantes lingva, acrique ſtylo inſequi ocæperunt, ut ipſemet teſtatur in Prologo de gloria & honore filij hominis, eundem Cunonem alloquens: *Adde, quod ipſe noſti quod audiſti & vidiſti, quia ſcripta mea ſic plerique legunt ut inſidientur mihi.* Deindè ſequitur: *Poteram iam hìc in*

capite

capite ſermonis, illi, quem bene noſti, reſpondere iuxtà quòd meruit; qui quoniam non ſimplici oculo legit, ambulavit in tenebris, & ita offendit, ut ſemetipſum non ſolùm invidum, verùm etiam demonſtraret ſatis imperitum. Licèt hunc ſibi ſuiſque ſcriptis adverſarium non nominet, illum tamen fuiſſe facilè ſuſpicor, qui opuſculum *de Corpore & Sangvine Domini* contrà ipſum ſcripſerat, quod Sanctum Anſelmum edidiſſe *W*aldenſis exiſtimavit, ut ſuperiùs narravimus. Hinc Rupertus ut illam infamiæ notam quam ſibi inurere in dies videbat, elueret, omnia ab ſe hactenus edita infallibili Romanæ Eccleſiæ iudicio ſubmiſit, ut habetur ex eius epiſtola ad Romanum Pontificem, quæ tom. 3. ſuorum operum legitur: *Ita nunc plures ſcribuntur libri, quàm neceſſarium ſit, ſemper licuit ſemperque licebit unicuique dicere ſalva fide quod ſentit, nolentem autem noſtra nemo compellit. Vellem, quoniam lex precepit Domini, tibi ſummo Sacerdoti probata vel accepta eſſe hæc fidelis animæ oblata, ut verè primitias dignè in opus Domini ſuſcipiendas.* Aliis recenſitis operibus verſùs finem ſubiungit: *Scripſeram & antè hæc omnia opuſculum de Sacramentis ſive Officiis Divinis per circulum anni diſtinctum libellis ſive tomis duodecim. Hoc donum ſicut initio memini ex Salomone dicente, donum hominis dilatat viam eius, & ante Principes ſpatium ei facit. Hoc, inquam, donum quis prohibere debet, ne huius hominis viam dilatet, & ante Principes ſpatium ei faciat, præſertim clamante deſuper authoritate Divina: Ab omni homine qui offert ultroneus accipietis primitias.* Ex quibus omnibus lucidè habemus, Rupertum non ſolùm illius operis Authorem fuiſſe ſed etiam ex omnibus illud primùm elucubraſſe dum Leodii in Mona-

Monaſterio Sancti Laurentij moraretur, plura etenim edidiſse antequam Tuitium Abbas veniret ex ipſius mox recitatis verbis perſpicuum eſt. Hoc tamen haud placet eruditiſsimo Lupo, qui tale opus Tuitij ſcriptum aut ſaltem completum aſſerit loco nuper laudato de Feſto Sanctiſsimæ Trinitatis ita ſcribens: ***Addit tamen***, nempe Rupertus, ***ipſum***, Feſtum ſcilicet Trinitatis, ***non in prima, ſed celebrari in ſecunda Dominica poſt Pentecoſtem; & hinc lucet, quòd libros iſtos non Leodij in Sancto Laurentio, ſed Tuitij apud Coloniam ſcripſerit aut certè compleverit.*** Quod infert ex teſtimonio Radulphi Decani Tongrenſis in libro de Obſervantia canonum ſcribentis: ***Super octaua Pentecoſtes magna eſt adhuc diverſitas, cum enim Romani in hac Dominica non ſervarent Feſtum Trinitatis, aliquæ Nationes, ut Alemani, eadem die ſervant octavas Pentecoſtes, in Hedomada, & Dominica ſequenti ſervantes Officium Trinitatis; alij, ut Gallici, plures illo plenum faciunt die Feſtum Trinitatis cum octavis.***

Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis primùm invexiſſe Carolum Magnum Regem Chriſtianiſſimum propter quoſdam errores de proceſsione Spiritus Sancti, qui in Gallijs graſſabantur, nos eruditiſsimè docet idem Lupus, quod poſtea etiam Germani celebrare cœperunt diverſo tamen tempore, ut refert citatus Radulphus, Galli etenim hoc Feſtum peragebant, ut nunc Romana Eccleſia, Dominica ſcilicet octavæ Pentecoſtes; Germani verò octavam Pentecoſtes ſervabant, & Dominica ſubſequenti, prima nempè poſt octavam, Feſtum Trinitatis colebant: Igitur, concludere videtur Lupus, libros de Officijs Rupertum exaraſſe Tuitij, ubi more Germanico, non verò Leodij, quò Gallico ritu Trinitatis Feſtum celebrabatur, cum dicat idem Rupertus, ***non in***

Digitized by Google

in prima, ſed celebrari in ſecunda Dominica poſt Pentecoſten. At labitur Vir inſignis, nusquam enim Trinitatis Feſtum celebrari in ſecunda Dominica poſt Pentecoſten Germanorum more tradidit Rupertus, ſed Dominica prima ipſa ſcilicet octava evidentiſsimè aſſerit. Do clariſsima ipſius verba ex libro undecimo de Officijs cap. 1. *Celebrata ſolemnitate de adventu Sancti Spiritus ſtatim è veſtigio gloriam Sanctæ Trinitatis Dominicæ ſubſequentis officio recta diſpoſitione concinimus*. Quod repetit in eiuſdem capitis calce: *igitur celebrata, ut ſupra dictum eſt, ſolemnitate de adventu Sancti Spiritus, quo accepto, ſtatim Sanctæ Trinitatis fidem prædicare cæperunt Apoſtoli: rectè huius ſequentis Dominicæ tam nocturno quàm diurno officio, nomen & gloriam prædicamus eiuſdem Sanctæ & individuæ Trinitatis*. De Dominica verò ſecunda poſt Pentecoſten, ſeù prima poſt eiuſdem octavam lib. 12. cap. 1, quem in margine pro ſe citat Lupus, ita ſcribit: *Dominica prima poſt octavas Pentecoſtes officium voces emittit pauperis illius, qui per Lazarum in Evangelio figuratur. ſcilicet Gentilis populi &c.* Quod nunc in Miſſali & Breviario Romano non ſervatur, cum talis Dominica ſit infrà octavam Corporis Chriſti, in qua pro Evangelio de Lazaro, recitatur Evangelium, *Homo quidam fecit Cœnam magnam*, quod optimè convenit cum officio dictæ ſolemnitatis. His igitur rectè notatis ſatis evidens fit Officiorum libros Leodij non Tuitij Rupertum concinnaſſe, ſimulque compleviſſe ex eo patet, quòd in epiſtola ad ſummum Pontificem, quam ſupra exhibuimus, ait: *Scripſeram & ante hac omnia opuſcula de Sacramentis ſive Officijs Divinis per circulum anni diſtinctum libellis ſive tomis duodecim*. Igitur ſi tomis duodecim diſtinctum ſcripſit opus de Officijs,

neceſsariò

neceſſariò ſequitur, ipſum procul omni dubio pariter abſolviſse, cum iam perfectum, libellis duodecim tantummodò conſtet.

Hinc impanantium Principem extitiſſe Rupertum dicere ex parte poſſumus, non quòd hanc hæreſim primus invexerit, ſed quia minus rectè ſcribendo fæcatæ mentis hominibus inſinuaverit, multi namque ex Berengarij ſpermate tale dogma tenentes, ipſum præceſsere, ut refert Guitmundus Archiepiſcopus Averſanus lib. 3. De Corporis & Sangvinis Chriſti veritate tom. 6. Bibliothecæ Sanctorum Patrum edit. Pariſ. pag. 388. *Alij verò rectis Eccleſiæ rationibus cedentes, nec tamen à ſtultitia recedentes, ut quaſi aliquo modo nobiſcum eſſe videantur, dicunt ibi Corpus & Sangvinem Domini revera, ſed latenter contineri, & ut ſumi poſſint quodammodo, ut ita dixerim, impanari*. Horum tamen quempiam huiuſce rei ante Rupertum ſcriptis evulgaſse aut ſaltem aliquid innuiſſe apud Scriptores non reperitur; haud tamen id aſsero, ut Virum aliàs pium hæreſi inſimulare velim, cum ex ipſius ſcriptis admirabilem in Sacramento Euchariſtiæ tranſubſtantiationem confiteri ſatis euidenter appareat, ſed quia in re tanti momenti nimium ſtylo indulſerit, & Witclefo alijsque eiusdem farinæ erronibus tot erudandi blaſphemias occaſionem præbuerit. Verùm Cardinalis Bellarminus nullam excuſationem admittens, inſigniter erraſse conſtantiſsimè aſserit, eò quòd non ſolùm in opere de Officijs hanc hæreſim docuerit; verumetiam alijs ab ſe editis libris ſparſim, & præſertim in Ioannem Commentarijs inſeruerit, ſic enim loquitur loco ſupra citato: *Rupertus igitur docuit, panem Euchariſtiæ hypoſtaticè aſſumi à Verbo, eo prorſus modo, quo natura humana ab eodem Verbo aſſumpta eſt; id patet ex lib. 6. in Ioan. ubi*

expo-

exponens illa verba: Panis quem ego dabo caro mea eſt, dicit, Verbum Æternum per Incarnationem factum hominem non deſtruendo vel mutando, ſed aſſumendo perſonaliter humanitatem, & eodem modo per conſecrationem Euchariſtiæ idem Verbum fieri panem non deſtruendo vel mutando, ſed aſſumendo perſonaliter panem. Vbi apertè fatetur Chriſtum dici & eſſe panem facta conſecratione, ſicut dicitur, & eſt, homo per Incarnationem. Franciſcus tamen Suarez inter Societatis Ieſu Theologos doctrina, ac pietate inſignis ita ſuo Bellarmino reſpondet: *Deindè cenſeo non fore reprehenſione dignum eum, qui varia huius Authoris dicta obſervando eum piè interpretari ſtuduerit; Sunt enim in prædictis eius locis multa, quæ indicare poſſunt, illum non habuiſſe erroneum ſenſum*. Ruperti loca, à quibus cum Bellarmino impanationis error erui quodammodo poteſt, ad oculos ponam, deindè, quæ ipſum ab hac hæreſi procul fuiſſe clariſſimè indicant, recitabo. Hæc lib. 6. in Ioan. cap. 6. habet: *Et ſic Verbum quod eſt panis Angelorum caro factum eſt, non mutatum in carnem, ſed aſſumendo carnem: Sic idipſum Verbum iamdudum caro factum, panis viſibilis fit non mutatum in panem, ſed aſſumendo, & in unitatem perſonæ ſuæ transferendo panem*. Et in Exodum lib. 2. cap. 10. *Item quomodo Verbum à ſummo demiſſum caro factum eſt, non mutatum in carnem, ſed aſſumendo carnem; ſic panis & vinum utrunque ab imo ſublevatum fit Corpus Chriſti, & Sangvis non mutatus in carnis ſaporem ſive in ſangvinis horrorem, ſed aſſumendo inviſibiliter utriuſque, Divinæ ſcilicet, & humanæ, quæ in Chriſto eſt, immortalis ſubſtantiæ veritatem*. Item in Geneſim lib. 6. cap. 32. *Quomodo, inquis, panis*

panis qui videtur eſt Chriſtus? Ad hæc, inquam, quomodo qualibet metalli ſpecies, verbi gratia, aurum ſive argentum valido igne conflatum, atque reſolutum revera & aurum eſt, & ignis quoque dicitur, & eſt, etenim aurum videtur & eſt quod erat, & tamen veriſſimè ignis dicitur & eſt, quod non erat; idcirco ſic omnino panis admotus vel immerſus terribili atque ineffabili myſterio paſsionis Chriſti adhuc panis videtur eſſe, quod erat, & tamen in veritate Chriſtus eſt quod non erat. Quibus exemplis veram ſolummodo realemque Corporis Chriſti præſentiam in Sacramento Euchariſtiæ explicare voluiſſe veriſimile eſt, nonnullos fortaſſe Sanctos Patres imitatus, qui Euchariſtiam cum Incarnatione, non quòd in omnibus pares ſint, ſed propter quamdam ſimilitudinem, ut myſterij veritatem adſtruant, comparant. Tali exemplo utitur Ambroſius lib. de Initiandis cap. 9. *Sermo ergo Chriſti qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt in id mutare quod non erant? Non enim minus eſt novas rebus dare quàm mutare naturas; ſed quid argumentis utimur? Suis utamur exemplis, Incarnationiſque exemplo adſtruamus myſterij veritatem.* Et Sanctus Iuſtinus Martyr in Apologia pro Chriſtianis ad Antoninum pium Imperatorem pag. 42. *Neque enim hac communem uſitatumque panem, uſitatamque potionem capimus, ſed quemadmodum per Dei Verbum homo factus eſt Ieſus Chriſtus conſervator noſter, & carnem & ſanguinem pro ſalute noſtra habuit, ſic etiam cibus, qui per preces ſermonis, quem ab eo accepimus conſecratus eſt.* Præterea Sanctus Remigius Rhemenſis Archiepiſcopus in epiſtolam primam ad Corinthios cap. 10. Sanctus Euthymius Eremita in Math. cap. 64. Haymo Epiſcopus

pus Halberſtatenſis in primam ad Corinth. alijque plures, quos nimis longum eſſet recenſere, ad Euchariſticum myſterium explicandum, ineffabilis Incarnationis exemplo uſi ſunt. Cæterum, quòd auro ſive argento igne conflato Euchariſtiam ſimiliter comparaverit Rupertus, cum ignis nec in aurum, neque aurum in ignem convertantur, ſed ambo verè & realiter in tota ſua ſubſtantia permaneant, immo nec propriè & phiſicè uniantur, ut de ferro candenti in cuius poris ignis includitur Philoſophi quamplures tradunt, excuſari meretur, exempla etenim, ut vulgari illo proloquio utar, currendo claudicant, & claudicando currunt, vel cum Auguſtino melius loquar Tractatu 110. in Evangelium Ioan. cap. 17. *Neque enim ſemper æqualitatem ſignificat, qui dicit, ſicut illud, ità & illud, ſed aliquando tantùm, quia eſt illud, eſt & illud, aut quia eſt illud, ut ſit et illud*. Immo magni nominis Scriptores ad hoc mirabile Sacramentum, quantum fas eſt, declarandum, id generis exempla adhibuere Petrus Cluniacenſis lib. 1. epiſt. fol. 24 & Sanctus Thomas opuſculo 58. de Sacramento Altaris cap. 11. & 12.

Ut autem Rupertum non ſolùm excuſatione dignum, verùm & de dicta hæreſi immeritò culpari omnino eluceat, ipſum ex ore ſuo iudicandum exhibeo, lib. 6. in Ioan: ſupra citato eodenque cap. 6 ex quo, ut ita dicam, veluti ex fodina plumbum ſolummodò extraxit Bellarminus, aurum alijs eruendum relinquens, hęc leguntur. *Veritas dicit*: Hoc eſt Corpus meum, & *addit*, quod pro vobis tradetur. *Et tu dicis, non eſt idem Corpus? Nempè ſi non eſt idem Corpus, ſi non eſt idem qui de Cœlo deſcendit panis vivus, non eſt hoc Corpus quod pro vobis traditur. Sed iamdudum liquet omnibus, in quo ſenſus tuus ha-*

reat carnalis totuſque animalis, ideoque non percipiens ea quæ ſunt Dei, videlicet, quia nec panis nec vinum aliquid de EXTERIORI SPECIE mutavit, idcircò ſapere non potes, nec vis, quòd verè factum ſit Corpus et Sangvis Domini. Conſequitur ergo, ut cum albus Epiſcopus te fortè Maurum hominem baptizaverit, non credas te ipſum apud Deum factum eſſe, quod eſt is qui te baptizavit, ſcilicet, quòd de filio Diaboli factus ſis filius Dei, de filio mortis filius vitæ, de filio iræ filius gratiæ ſempiternæ; pro eo quod capillus tuus niger non refloruit, facieſque tua non renituit; quod ſi concedere perhorreſcis, ne infideli deterior ſis, et mavis confiteri, quòd quamvis de EXTERIORI SPECIE nihil mutaveris, verè de alio corpore Diaboli, quod eſt omnis maſſa perditorum, in aliud Corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia tranſieris; crede et hoc, quia panis iſte viſibilis, et vinum, quibus ex rebus temporaliter vivis, quamvis nihil de EXTERIORI SPECIE mutatum ſit in alium tranſierint, & in illum cibum potumque converſa ſint, qui Angelorum victus eſt, quo paſcuntur immortaliter. Ibidem pag. 137. *Ibi, inquam, figuratio hæc perimitur, & permanet ſenſus verbi conſonus, ſcilicet, quòd panis in* veram ſubſtantiam *Corporis eius Diuina virtute convertatur.* Et in Exodum lib. 3. cap 7. *Videlicet quia paſsionis eius opus res & virtus eſt Sacramenti, qua* ſubſtantia *panis & vini in veritatem nobis convertitur Corporis eius et Sangvinis.* Item eodem lib. cap 11. *Præterea ſi dignè manducare cupimus, ab omni curioſitate corporei ſenſus egrediamur, ut videlicet, viſu, guſtu, odoratu, & tactu diiudicandum non eſſe arbitremur, an verè ſit Corpus Chriſti, an vera ſit caro* id

id quod ſumimus. Nam iſtis permanentibus colore, odore, atque ſapore *eſt quod ſufficiat fidei, quod ſatis ſit Catholicæ pietati. Spiritus eſt, inquit, qui vivificat, caro non prodeſt quidquam: Verba quæ loqutus ſum vobis ſpiritus & vita ſunt; Verba fidei, verba veritatis ſufficit prolata eſſe ſuper ſubſtantiam panis & vini, ut inſpiretur ſpiritus, & vita æterna creaturis inanimatis quamvis SPECIES EXTERIOR non mutetur in illis: ſufficit, inquam, ad ſalutem credentis, ad vitam dignè percipientis. Tantum ergo unuſquiſque colligat, quia tantum ſufficit. Colligat unuſquiſque quæ ſufficiant, ideſt, credat, verba Domini ſpiritum eſſe & vitam, & per ea panem & vinum EXTERIORI SPECIE non mutata transferri in veram viventis Corporis & Sangvinis Chriſti ſubſtantiam.* Rurſus lib. 4. cap. 7. *Sed accedit ſubſtantiarum atque ſpecierum creator Deus, atque formator Spiritus Sanctus, aurumque Verbi Incarnati, aurum Chriſti crucifixi, mortui, et ſepulti, atque poſt glorioſam Reſurrectionem aſſumpti in Cœlum ad dexteram Patris, non ſuperficie tenus inducit, ſed efficaciter hæc in carnem et ſangvinem eius convertit permanente licèt SPECIE EXTERIORI.*

Quid clariùs, quid expræſsiùs à Ruperto unquam dici potuit? Panis vinique ſubſtantiam in verum Chriſti Domini Corpus potentiſsimis eiuſdem Salvatoris noſtri Dei verbis mirifica tranſubſtantiatione converti, exterioribus licèt ſpeciebus non mutatis? Hæc ne eſt impanationis ſententia, *ex cuius libris*, ut ait Bellarminus, *eruenda eſt, quam ſanè perperam exponit Dominicus à Soto*. Purgato Lectoris iudicio id ponderandum relinquo, qui ſanè Bellarminum vel alienis oculis, aut minus accuratè Ruperti libros legiſſe, conijciet;

at quandoque bonus dormitavit Homerus. Suarez loco ſupra laudato eundem Rupertum ſatis excuſatum putat his verbis: *Potuit enim errare: ſi tamen erravit, à culpa et pertinacia excuſatur, quia nondum erat res tam apertè explicata & definita quoad hanc partem de abſentia ſubſtantiæ panis*. Optimam voluntatem laudo, excuſationem tamen non approbo: Ab omnibus ſiquidem Synodis, quæ Berengàrium anathemate fulminarunt, apertiſsimè definitum fuit, panis vinique ſubſtantiam in verum Chriſti Corpus converti, nec quidquam panis, ac vini, præter accidentia ſive ſpecies, remanere. In Concilio Romano ſub Nicolao II. primam fidei profeſsionem à Berengario factam habemus ſub his verbis.

Ego Berengarius indignus Diaconus Eccleſiæ Sancti Mauricij Andegavenſis cognoſcens veram & Apoſtolicam fidem anathematizo omnem hæreſim præcipuè eam de qua hactenus infamatus ſum, quæ adſtruere conatur panem & vinum, quæ in Altari ponuntur, poſt conſecrationem ſolummodò Sacramentum, & non verum Corpus & Sangvinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe, nec poſſe ſenſualiter, niſi in ſolo Sacramento, manibus Sacerdotum tractari vel frangi, vel fidelium dentibus atteri.

Conſentio autem Sanctę Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedi, & corde, & ore profiteor de Sacramento Dominicæ menſæ eam fidem me tenere, quam Dominus & venerabilis Papa Nicolaus & hæc Sancta Synodus authoritate Evangelica & Apoſtolica tenendam mihi firmavit: ſcilicet *panem & vinum quæ in Altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolùm Sacramentum, ſed etiam verum Corpus & Sangvinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe, &*

ſenſua-

ſenſualiter non ſolùm Sacramento, ſed in veritate manibus Sacerdotum tractari, & frangi, & fidelium dentibus atteri, iurans per ſanctam & Homouſion Trinitatem, & per hæc Sacroſancta Chriſti Evangelia; Eos verò qui contra hanc fidem venerint cum dogmatibus & ſectatoribus ſuis, æterno anathemate dignos eſse pronuncio; quòd ſi ego ipſe aliquando aliquid contra hæc ſentire ac prædicare præſumpſero ſubiaceam canonum ſeveritati. Lecto & perlecto ſpontè ſubſcripſi.

Illa verba ſcilicet, *panem & vinum quæ in Altari ponuntur, poſt conſecrationem, non ſolùm Sacramentum, ſed etiam verum Corpus & Sangvinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe*, apertiſſimè indicant ſubſtantiæ panis abſentiam, aliter nec hæreſim in dicta fidei profeſſione abiuraſſet, nec catholicum dogma de venerabili Euchariſtiæ Sacramento coram Concilio confeſſus eſſet. Duos teſtes omni exceptione maiores, qui eidem Concilio interfuere, producam, ſanctum nempè Lantfrancum lib. de Sacramento Euchariſtiæ Berengarium alloquentem: *Nicolaus Papa comperiens te docere panem vinumque Altaris poſt conſecrationem ſine materiali mutatione* in priſtinis eſſentijs remanere. *Conceſſa tibi, ſicut ſuperiùs dictum eſt reſpondendi licentia, cum non auderes pro tuæ partis defenſione aliquid reſpondere, pietate motus ad preces tuas præcepit tradi ſcripturam tibi, quam ſuperiùs poſui, eius principium erat*: Ego Berengarius &c. Et Sanctum Guitmundum Archiepiſcopum Averſanum, qui lib. 3. de Corporis & Sangvinis Chriſti veritate ſic loquitur; *Nam ſi illud quod ſemper Eccleſia tenuit nullis munitum Concilijs, Apoſtolicum eſt, quanto magis illud quod & ſemper tenuit, & mul-*

tis

tis eſt, ut dixi, Concilijs Generalibus confirmatum ex Apoſtolica authoritate traditum eſſe, credendum eſt; Sed panem & vinum Altaris Domini in Corpus & Sangvinem Chriſti ſubſtantialiter *commutari, non ſicut delirat Berengarius, Corporis & Sangvinis Domini figuras tantùm eſſe et umbras, aut intra ſe latentem Chriſtum tegere, univerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt*. Item in ſexto Gregorij VII. Romano Concilio hoc idem de abſentia ſubſtantiæ panis & vini ſancitum fuit, ut ex altera eiuſdem Berengarij, quam ibidem edidit, fidei profeſſione clarioribus verbis declaratur ſub hac forma.

Ego Berengarius corde credo & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in Altari per myſterium ſacrę orationis, & verba noſtri Redemptoris ſubſtantialiter converti in veram & propriam ac vivificatricem carnem & ſangvinem Ieſu Chriſti Domini noſtri, & poſt conſecrationem eſſe verum Chriſti Corpus, quod natum eſt de Virgine, & quod pro ſalute mundi oblatum in Cruce pependit, & quod ſedet ad dexteram Patris, & verum Sangvinem Chriſti, qui de eius latere effuſus eſt; Non tantùm per ſignum & virtutem Sacramenti, ſed in proprietate naturæ, & veritate ſubſtantiæ, ſicut in hoc Brevi continetur, & ego legi, & vos intelligitis, ſic credo, nec contra hanc fidem vlterius docebo. Sic me Deus adiuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Ex quibus evidentiſſimè colligitur, dogma catholicum de abſentia ſubſtantiæ panis, quòd ſcilicet convertatur ſubſtantialiter in verum Corpus Chriſti ante Rupertum à Catholica Eccleſia decretum, apertè explicatum atque definitum fuiſſe; *Quis enim*, ait

ait nuper laudatus Lantfrancus pag. 365. *Compos ſui credat rem aliquam converti in aliam, nec tamen ea parte deſinere eſſe quod erat?* Quæ ſi obſervaſſet Suarez, alias proculdubio, quæ ſuperabundant, excuſationes protuliſſet, ut à nimium rigida Bellarmini cenſura Rupertum vindicaret.

Digitized by Google

Cap. VII.

Concilium Oxonienſe ob exortum in Romana Eccleſia Schiſma diſſolvitur. Witcleſus indemnatus relinquitur. De Origine ac Duratione huius Schiſmatis agitur. Severtij errata notantur. Variæ hac in re opiniones reiciuntur. Vera Sententia ſtabilitur.

DVm Cantuarienſis Archiepiſcopus cæterique Præſules Oxonij congregati vineam Domini Sabaoth ab *W*itclefi erroribus ipſam demoliri conantibus, ſanioris doctrinæ ſepibus cuſtodire alaborarent, eandem Romæ conflato Schiſmate, qua-

qua-

quaverſum devaſtabatur; etenim Vrbano VI. in Summum Pontificem canonicè & legitimè nuper electo denegata ab offenſis quibuſdam Cardinalibus obedientia, Robertum Cardinalem Gebennenſem in Pſeudopontificem elegerunt, qui Clementem VII. ſe nominans, lethalem illam Chriſtianæ Reipublicæ convulſionem excitavit, quæ Catholicam Eccleſiam obfirmatis Principum ac Præſulum diſcordijs perdiu divexavit. Vix autem harum turbarum rumor in Angliam pervenerat, quòd Epiſcopi relicto Oxonio ad proprias ſedes, ne populi novarum rerum plerunque cupidi ad Pſeudopontificis partes traherentur, è veſtigio convolarunt, quorum vigilantia factum eſt, ut Richardus Rex totumque Angliæ Regnum veri Pontificis partibus inconcuſſe ita adhæſerint, ut plenis Comitijs lata lege ſancitum fuerit, omnes proventus cuiuſcunque generis Eccleſiaſticorum qui Pſeudopontifici faverent, Regio fiſco inferendos, ut refert Harpsfeldius ſæc. 14. Hiſt. Angl. cap. 8. *Noſtri ſummis Regni Comitijs Vrbanum complectendum edixere, cautumque, ut Cardinalium & aliorum quorumcunque Anglorum Sacerdotia & dignitates, qui ad Clementem deſciſcerent, ad Regis uſum devolverentur, utque ij qui diploma aliquod Pontificium ab alio Romano Pontifice quàm Vrbano impetraret, inſtar Regis & Regni hoſtium haberentur.*

Verùm repentinus iſte Archiepiſcopi ab Oxonio diſceſſus Witclefo maximè profuit, equidem hoc modo interrupto Concilio, nec ulla damnationis ſententia vel anathemate percuſſus, hac etiam vice ex iudicio evaſit, quod in cauſa fuit, ut audaciore conatu pro ſtabilienda hæreſi in peiora prorumperet, quæ antequam denarrare proſequamur, hìc aliquantiſper bona Lectoris venia immorandum duximus, ut pauca quædam de

huiuſce Schiſmatis origine ac duratione minus clarè à Scriptoribus prodita in meliori lumine collocaremus.

Anno 1304. Benedictus XI. Italiæ rebus componendis Roma Peruſium profectus, veneno, ut refert Sanctus Antoninus tom. 3. tit. 20. cap. 9. ficubus à quàdam Sanctæ Petronillæ Abbatiſsa impoſito, vel ut alij ſcribunt, à Bernardo Delicioſi Ordinis Minorum, & Araldo de Villanova conſpiratoribus propinato extinctus, obijt; cuius execrandi facinoris cauſam conijcit Papirius Maſſonus lib. de Epiſcopis Urbis pag. 1269. *Sed ut veriſimile videtur Gentiles Bonifacij qui tunc multum poterant, & hunc oderant fortaſſe propter Bonifacij hoſtes reſtitutos in gratiam, viventem diu ferre non potuerunt.* De anno obitus Sanctiſſimi huius Pontificis Scriptores omnes, uno excepto Platina, conveniunt; De menſe verò ac die valde diſcrepant. Magnus Panvinius in Epit. P. P. R. R. lib. 2. pag. 198. ad duodecimum cal. Maij refert his verbis: *Benedictus XI. Peruſij veneno ficubus ſibi dato mortuus eſt*. Iacobus Gordonus, & Collect. Concil. tom. 11. parte 2. In vita eiusdem, nonis Iulij mortuum tradunt: *Verùm in ea deliberatione Peruſium profectus, ibidem mortuus eſt ipſis nonis Iulij 1304. cum ſediſſet menſes octo, & dies ſeptendecim*. Ricciolius in magno Chronico, quarto nonas Iulij deceſſiſſe aſſerit: *Benedictus Papa Regem Regnumque Francorum abſolvit ab anathemate & interdicto: duos Cardinales Columnenſes à Bonifacio depoſitos reſtituit, moriturque Perusij die quarta Iulij*: & laudatus Maſſonus lib. 3. Annal. pag. 361. die vigeſimo ſeptimo eiuſdem menſis Iulij obijſſe ait: *Illa ætate ſexto cal. Auguſti Benedictus Sanctiſſimus Pontifex deceſſit*. Quos tamen omnes à veritate abeſſe clarè

clarè demonſtrat Epitaphium eiuſdem Pontificis ſepulcro in parva Eccleſia Sancti Dominici Peruſij poſito, inciſum, in quo die ſexta Iulij mortuum legitur his verbis.

O quàm eſt laudandus, quàm dulciter eſt venerandus
Inclytus iſte Pater, prius extitit Ordine frater
Sancti Dominici Chriſti vigilantis amici
Effectus talis fit fratrum Dux Generalis
Sic homo doctrinæ poſt hæc fit Cardo Sabinæ
Oſtia Velletrum titulum ſibi dant duo lætum
Præfuit Ungariæ Legatus gemma ſophiæ
Fit Pater ipſe Patrum caput Orbis gloria fratrum
Eſt meritò dictus re nomine Vir Benedictus
Tervigij natus hic primo Pontificatus
Anno decesſit ſibi recte ſubdita rexit
In nono menſe mortis proſternitur enſe
Hunc hominem tantum reddunt miracula Sanctum
Innumeris ſignis dans grata iuvamina dignis
Lector habe menti currebant mille trecenti
Quatuor appoſitis dum tranſit hic homo mitis
Menſe die ſexta Iulij ſunt talia geſta

Ex quo pariter caſtigandus venit fabulator Platina; qui eundem adhuc vivum tumulat ita ſcribens: *Sepelitur autem magna pompa ut par fuit in Eccleſia Fratrum Prædicatorum nonis Iunij milleſimo CCCIII.* cum tali tempore nondum Pontifex eſſet; electus enim fuit die vigeſimo ſecundo Octobris eiuſdem anni, ut tradit Panvinius lib. cit. pag. 196. *Quo deinceps mortuo* (ideſt Bonifacio) *Romæ omnium Cardinalium conſenſu Pontifex maximus factus eſt die XI. cal. Novembris*. Quod idem aſſerunt Concil. Collect. in eiuſdem Pontificis vita.

Mortuo

huiuſce Schiſmatis origine ac duratione minus clarè à Scriptoribus prodita in meliori lumine collocaremus.

Anno 1304. Benedictus XI. Italiæ rebus componendis Roma Peruſium profectus, veneno, ut refert Sanctus Antoninus tom. 3. tit. 20. cap. 9. ficubus à quadam Sanctæ Petronillæ Abbatiſsa impoſito, vel ut alij ſcribunt, à Bernardo Delicioſi Ordinis Minorum, & Araldo de Villanova conſpiratoribus propinato extinctus, obijt; cuius execrandi facinoris cauſam conijcit Papirius Maſſonus lib. de Epiſcopis Urbis pag. 1269. *Sed ut veriſimile videtur Gentiles Bonifacij qui tunc multum poterant, & hunc oderant fortaſſe propter Bonifacij hoſtes reſtitutos in gratiam, viventem diu ferre non potuerunt*. De anno obitus Sanctiſſimi huius Pontificis Scriptores omnes, uno excepto Platina, conveniunt; De menſe verò ac die valde diſcrepant. Magnus Panvinius in Epit. P. P. R. R. lib. 2. pag. 198. ad duodecimum cal. Maij refert his verbis: *Benedictus XI. Peruſij veneno ficubus ſibi dato mortuus eſt*. Iacobus Gordonus, & Collect. Concil. tom. 11. parte 2. In vita eiusdem, nonis Iulij mortuum tradunt: *Verùm in ea deliberatione Peruſium profectus, ibidem mortuus eſt ipſis nonis Iulij 1304. cum ſediſſet menſes octo, & dies ſeptendecim*. Ricciolius in magno Chronico, quarto nonas Iulij deceſſiſſe aſſerit: *Benedictus Papa Regem Regnumque Francorum abſolvit ab anathemate & interdicto: duos Cardinales Columnenſes à Bonifacio depoſitos reſtituit, moriturque Perusij die quarta Iulij*: & laudatus Maſſonus lib. 3. Annal. pag. 361. die vigeſimo ſeptimo eiuſdem menſis Iulij obijſſe ait: *Illa ætate ſexto cal. Auguſti Benedictus Sanctiſsimus Pontifex deceſſit*. Quos tamen omnes à veritate abeſſe

clarè

Digitized by Google

clarè demonſtrat Epitaphium eiuſdem Pontificis ſepulcro in parva Eccleſia Sancti Dominici Peruſij poſito, inciſum, in quo die ſexta Iulij mortuum legitur his verbis.

O quàm eſt laudandus, quàm dulciter eſt venerandus
Inclytus iſte Pater, prius extitit Ordine frater
Sancti Dominici Chriſti vigilantis amici
Effectus talis ſit fratrum Dux Generalis
Sic homo doctrinæ poſt hæc ſit Cardo Sabinæ
Oſtia Velletrum titulum ſibi dant duo lætum
Præfuit Ungariæ Legatus gemma ſophiæ
Fit Pater ipſe Patrum caput Orbis gloria fratrum
Eſt meritò dictus re nomine Vir Benedictus
Tervigij natus hic primo Pontificatus
Anno deceſsit ſibi recte ſubdita rexit
In nono menſe mortis proſternitur enſe
Hunc hominem tantum reddunt miracula Sanctum
Innumeris ſignis dans grata iuvamina dignis
Lector habe menti currebant mille trecenti
Quatuor appoſitis dum tranſit hic homo mitis
Menſe die ſexta Iulij ſunt talia geſta

Ex quo pariter caſtigandus venit fabulator Platina; qui eundem adhuc vivum tumulat ita ſcribens: *Sepelitur autem magna pompa ut par fuit in Eccleſia Fratrum Prædicatorum nonis Iunij milleſimo CCCIII.* cum tali tempore nondum Pontifex eſſet; electus enim fuit die vigeſimo ſecundo Octobris eiuſdem anni, ut tradit Panvinius lib. cit. pag. 196. *Quo deinceps mortuo* (ideſt Bonifacio) *Romæ omnium Cardinalium conſenſu Pontifex maximus factus eſt die XI. cal. Novembris*. Quod idem aſſerunt Concil. Collect. in eiuſdem Pontificis vita.

Mortuo

Mortuo Benedicto Cardinales in eadem Urbe Conclave ingreſſi, Raymundum Gothum Archiepiſcopum Burdegalenſem quamvis Philippo Pulcro Francorum Regi ſub Bonifacij Pontificatu maximè infenſum, ipſius tamen favore in ſummum Pontificem elegerunt; Huius inopinatæ reconciliationis cauſam luculenter narrat Sanctus Antoninus tom: 3. tit. 21. cap. 1. & Maſſonus de Epiſcopis Urbis pag. 272: Platina, & Concil. Collect. Bertrandum non Raymundum vocant, immo decretum & epiſtola ad ipſum à Cardinalibus Burdegalam miſſa quæ habentur tom. 11. Concil. p. 2. pag. 1496. ita inſcribuntur *Sanctiſſimo Patri ac Domino Domino Bertrando Archiepiſcopo Burdegalenſi*. Panvinius in citata Epitome lib. 3. pag. 199. Raimundum ſcribit: *Sanctiſsimus Dominus noſter Clemens V. Pont. Max. Vaſco gallus Raymundus del Goth Bertrandi militis filius*. Unde Bertrandum à Cardinalibus appellatum arbitror, eò quia vulgò nomine Patris vocaretur, ut innuit Genebrardus in Chronographia pag. 664. *Vnde antequam electus eſſet Pontifex dicebatur Bertrandus Burdegalenſis Archiepiſcopus*. Iacobus Severtius in Crhonologia Hiſtorica parte 3. cap. 1 ſect. 6. § 4. pag. 280. hunc Pontificem varijs nominibus à diverſis Scriptoribus appellatum tradit, quæ tamen nomina licèt eandem perſonam refferant, non approbat, ſed Bertrandum cum Beraldo Lugdunenſi Archiepiſcopo confundens tot in errores labitur, ut nec una periodus, ita dicam, à reprehenſione abſit; eiuſdem ipſiſſima verba referam, ne id ipſi iniuſtè affigere videar. *Bonifacio autem poſt Benedictum X. ſucceſsit eodem anni circulo Clemens V. Pontifex Maximus, qui antea Platinæ vocitabatur Bertrandus Gotho, apud Æmilium Vaſco, & Gaguino Gothus, dictuſque eſt apud hos Archie-*

chie-

chiepiſcopus Burdegalenſis. Sancto autem Antonino nuncupabatur Raymundus Gothus Bertrandi filius; qui quidem veriùs idem ſit quem ſupra nominavimus Beraldum de Bloco Lugduneum Archipræſulem, aut quem vetus Homeliarium Lugdunenſis Eccleſiæ appellat Beraudum delgoth de Gaſconia; & Sarrazinus in Catalogo Lugdunenſi Bertrandum delgel, inde Cardinalem creàtum, & tunc fortè Henrico Villario cedentem, atque Burdegalam tranſlatum ante obtentum Summi Pontificatus apicem. Et paulò infrà ſubdit: *Quòd verò hæc nomina eandem referant perſonam, quæ Lugdunenſem primævam Civitatem ſuam dilexerit, comprobat inauguratio ſacra quam ibidem delegit celebrandam*. De hoc Beraldo, quem, ut ipſe ait, ſupra nominavit, in eadem Chronologia parte prima pag. 106. ſic pariter ſcribit: *Ad noſtrum Beraldum Primatem redeamus. Nonnulli exſcribunt Onuphrium eſſe Authorem, quòd is ex Archiepiſcopo Lugduneo devenit Epiſcopus Cardinalis Albanus anno* 1294. *in quatuor temporibus Septembris opera Cæleſtini V. Pontificis Maximi anno primo ſui Pontificatus; ſed id non lego in Venetiana Onuphrij editione & epitome anni* 1557. *ſub præfato Cæleſtino eiuſue Cardinalibus. Verùm habentur egregij alij Authores de ipſius Cardinalatu, qui decentius à nobis proponuntur parte* 3. *cap. primo, ſect.* 6. *Inſuper plerique admittunt eundem eſſe quem Paradinus vocat Bernudum del Goth, & Genebrardus Bertrandum, utrobique Vaſconum genere, electum Papam dictum Clementem V. anno* 1305. Quæ Severtij dicta quantum à veritate abſint facilè oſtenditur; Nam Bertrandus ſive Raymundus, poſtea Clemens V. nunquam Lugdunenſis Eccleſiæ Præſul fuit, ſed Convena-

rum

rum primò Epiſcopus, quæ Vaſconiæ Vrbs eſt ad Garumnam fluvium & radices Pyreneorum ſita, deindè ad Burdegalenſem ſedem à Bonifacio VIII. translatus, ut teſtatur magnus Panvinius in citata epitome pag. 199. *Hic à Bonifacio VIII. Epiſcopus Convenarum primò, mox Archiepiſcopus Burdegalenſis creatus eſt.* Ex quo apparet quàm inepta ſit Severtij utriuſque citati loci ratiocinatio, qua probare vult Clementem ad ſui in ſummum Pontificem inaugurationem Lugdunum eò elegiſſe, quia Civitatem illam tanquam primævam, in qua ſcilicet Archiepiſcopale munus primò obierat, præ alijs dilexerit. Quòd autem nec Cardinalitia dignitate fuerit unquam inſignitus clarè patet ex verbis illis, quibus Cardinalis Caietanus eundem Clementem ſuo, aliorumque Cardinalium nomine Pontificem declaravit, quæ ex electionis decreto ſupra citato exſcripſimus: *In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti: Ad honorem Dei, & Beatæ Mariæ ſemper Virginis Matris eius; Ego Franciſcus Sanctæ Mariæ in Coſmedim Diaconus Cardinalis, Venerabilem Patrem Dominum Bertrandum Archiepiſcopum Burdegalenſem nomine meo & omnium qui eum in Summum Pontificem elegerunt & nominaverunt, conſenſerunt, & acceſſerunt, eligo in Summum Pontificem & Paſtorem.* Archiepiſcopum ſolummodo dicit, quòd ſi Cardinalis fuiſſet omni procul dubio talem cum ſuo titulo expreſſiſſet; At Bertrandi & Beraldi nomina utpotè penè ſimilia Severtium decepere; putavit enim eandem perſonam per dicta nomina ſignificari, quod falſiſſimum eſt, nam Beraldus, quem vetus Lugdunenſis Eccleſiæ Homiliarium, mutata amanuenſis imperitia litera L in U, *Beraudum delgot de Gaſconia* appellat, Bertrandi Burdegalenſis Archiepiſcopi, poſtea Clementis, frater fuit, primò

Lugdu-

Lugdunenſis Archiepiſcopus, inde Cardinalis Albanenſis creatus, miſſuſque à Bonifacio VIII. in Galliam & Angliam Legatus, ut ex eiuſdem Pontificis literis mox infrà ponendis, patebit. Interim Maſſoni calculum accipiamus qui ex Victorianis Annalibus hoc idem refert pag. 272. *Et Philippus reſcribit amicis Cardinalibus, ut Bertrandum Gothum Pontificem crearent, cuius fratrem meminiſſent Beraldum Albanenſem Epiſcopum & Cardinalem ex Archiepiſcopo Lugdunenſi factum, miſſumque à Bonifacio in Galliam legatum*. Legationis cauſam prodit idem Scriptor. pag. 262. *Bellum exortum erat inter Francos & Anglos, ad pacem componendam duo Cardinales cis Alpes miſſi Beraldus Albanenſis, & Simon Praneſtinus Epiſcopi*. Eiuſdem legationis mentionem pariter facit Knyghton lib. 3. de Event. Angliȩ pag. 2504. *Eodem anno circa feſtum Pentecoſtes venerant in Angliam duo Cardinales miſsi à latere Papa ad Regem Anglia cum Epiſtolis papalibus*: quas ut irefragabile teſtimonium exhibeo:

Bonifacius ſervus ſervorum Dei cariſſimo in Chriſto filio Eduardo Regi Angliæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Movet animum mentemque ſolicitat fili cariſsime, ſincera & affectuoſa dilectio, quam ab olim, dum cura nobis officij minoris incumberet, ad perſonam Regiam tuumque Regnum inclitum geſsimus, & continuatis benivolis Studijs gerere non ceſſamus, ut celſitudinem Regiam, cuius exaltationem & gloriam ſummis deſiderijs affectamus, à Deo inducamus ſolicitè, per quem

Q in

in conſpectu Regis altiſsimi per quem Reges regnant & Principes dominantur, de bono ſemper in melius reddaris acceptior, occurras gratior, carior habearis, ac in Regno mundi clarius, nominiſque titulis copioſum proveniat incrementum. Sanè ab ipſis noſtræ promotionis auſpicijs ad generalem ſtatum fidelium mentis aciem extendentes, & conſiderantes gravem immo graviſsimam & ideò contrariam votis noſtris inter te & cariſsimum filium noſtrum Philippum Regem Franciæ illuſtrem proxima tibi conſangvinitate coniunctum, procurante pacis æmulo incentore malorum diſcordiam ſuſcitatam, firma & ſtabili diſpoſitione devenimus, ut ſuper huiuſmodi negotio cordi noſtro potiſsimo, ſolemnes nuntios ad præſentiam Regiam, & literas mitteremus. Sed propter noſtrum de Civitate Neapolitana diſceſſum, ubi tunc Romana curia præſidebat, noſtrumque acceſsum ad Vrbem, quem viarum periculoſa diſcrimina non modicum retardarunt, ac etiam ad noſtræ inibi celebrata conſecrationis ſolemnia impediti, nequivimus citiùs nuntios prædictos & literas deſtinare. Revera Fili nequaquam ſumus immemores, quia potius tenaci memoria retinemus, quod nos hactenus dum eſſemus in minori officio conſtituti ſinceris affectibus dilexiſti plenis favoribus proſequtus. Idemque dum ſolerter oſtendimus quantis, & quàm grandibus prædicta diſcordia noſcitur onuſta diſpendijs, quot & quanta pericula ſecum trahit, quàm damnoſa fidelibus redditur, quàm graviter turbat & impedit negotium Terræ Sanctæ, quantumque propterea Deo diſplicere dinoſcitur, anxiamur ut Pater, ſauciamur ut Mater, in animo turbamur amariùs ut amator, nec poſſumus quietis refoveri dulcedine, donec prælibatum negotium optatum & celerem exitum iuxtà cordis noſtri deſiderium

ſortia-

ſortiatur. Cumque venerabiles fratres noſtros Beraldum Albanenſem, & Simonem Præneſtinum Epiſcopos ſedis Apoſtolicæ nuntios exhibitores præſentium, viros utique profundi conſilij, literarum ſcientia præditos, ac diverſarum virtutum titulis inſignitos, nec non pacis Angelos, licèt eorum inviti careamus præſentia, deſtinamus, Excellentiam Regiam rogamus, hortamur, & obſecramus in Domino Ieſu Chriſto, quatenus ad Divinam, & Apoſtolicæ Sedis reverentiam memoratos Epiſcopos magnas utique columnas Eccleſiæ tuique honoris & famæ fervidos amatores tanquam filios benedictionis & gratiæ reſpiciens, honeſteque proſequtus, & honorificentia condigna pertractans, attentè audias, diligenter intelligas, & efficaciter ſtudeas adimplere, quæ ipſi & eorum quilibet coram te ſuper eodem negotio duxerint proponenda, ſic te in his devotè ac promptè habiturum ut ſperamus & cupimus, ut difficultatis & repulſæ cuiuslibet more profugato Regiæ devotionis ſinceritas exindè clariùs illuceſcat, tuæque famæ præconium quamvis amplum & diffuſum in ſæculo, propenſiùs augeatur, ac Sedis Apoſtolicæ gratiam, quæ circa filios devotos exuberat, abundantiùs merearis. Dat. Laterani decimo cal. Martij Pontificatus noſtri anno primo.

Quæ omnia hactenus recitata clariſſimè indicant; Beraldum fuiſſe Archiepiſcopum Lugdunenſem, indè Cardinalem & Epiſcopum Albanenſem, aliumque, licèt eiuſdem gentis, à Bertrando Burdegalenſi Archiepiſcopo extitiſſe, quos tamen nominum, uti diximus, familiæque ſimilitudine hallucinatus Severtius intoleranda metamorphoſi in unum conflavit. Eundem lapidem offendit Antonius Manchiarenus qui tom. 2. de Divino Sacrificio Miſſæ cap. 16. Bertrando in Burde-

galenſium Præſulum ſerie prius collocato : *Bertrandus qui Clemens V. dictus eſt Papa*. Eundem poſtea cap. 27. in Archiepiſcoporum Lugdunenſium Catalogo inſerit, ac Cardinalem facit : *Bertrandus Delgel Cardinalis & Papa Clemens quintus dictus poſtea*.

Interim Raymundus accepto electionis decreto ipſi à Cardinalibus Peruſio Burdegalam tranſmiſſo, Clemens, mutato nomine, vocari voluit, ſtatimque conſtitutionem tulit, qua non ſolùm Burdegalæ, ſed cæterarum quoque urbium beneficia in poſterum vacatura ſibi ſedique Apoſtolicæ conferenda reſervavit; indè Burdegala Lugdunum veniens, quò pariter Cardinales commigrare iuſſerat, decimo octavo cal. Decembris ſumptuoſo apparatu, magnoque populorum & Principum concurſu coronationis inſignia ſuſcepit, Curiamque Romanam eluſis Italis maximo Vrbis Romæ totiuſque Chriſtiani Orbis incommodo, ut Philippo Regi gratificaretur, trans alpes in Gallijs conſtituit. Cæteri quinque ſubſequentes Pontifices videlicet Ioannes XXII. Benedictus XII. Clemens VI. Innocentius VI. & Urbanus V. omnes Galli Auenione locata Sede Pontificatum geſſere uſque ad Gregorium XI. qui licèt eiuſdem nationis eſſet, anno ſui Pontificatus VI. Italia rebellionibus atque tumultibus occupatâ Romæ Apoſtolicam Sedem, quam tot annorum ſpatio fleverat exulantem reſtituit. Nauclerus, Gordonus, Æmilius, Gualterius, Genebrardus, Miræus alijque plures tradunt, Romanam Sedem ſeptuaginta annis in Gallijs manſiſse, quos ſequti ſunt Concil. Collect. tom. 11. parte 2. pag. 2036. in vita eiuſdem Gregorij: *Idibus Ianuarij Romam pervenit anno* 1376. *qui erat à translatione Curiæ Romanæ in Gallias per Clementem facta annus ſeptuageſimus.* At duos committunt errores, unum, Gregorium idibus Ia-

Ianuarij anno 1376. Romam perveniſſe; alterum, curiam Romanam ſeptuaginta annis extrà Urbem extitiſſe; Primus reſſelitur teſtimonio Petri Amelij Alectenſis Auguſtiniani eiuſdem Pontificis à Sacrarijs & in itinere perpetui comitis, qui in Itinerario, quod diligentiſſimè conſcripſit, ait, Pontificem Romam adventaſſe *die ipſà Sabbathi XVII. Ianuarij*, quod etiam tradit Panvinius in Epitome pag. 235. *Quapropter anno Dominicæ nativitatis milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſexto menſe Septembri ſuper triremes ex Gallia & Avenione ſolvens ad Urbem Romam applicuit die XVII. Ianuarij anni ſequentis* 1377. In hoc tamen fallitur Panvinius, videlicet Gregorium ſuper triremes Avenione ſolviſſe, ſicut etiam Bzovius qui ad annum 1376. ita ſcribit: *Ac tandem menſe Septembri Avenione egreſſus, ampliſſimi Ordinis Collegio comitatus, Rhodano flumine in Italiam navigavit*. Avenione namque diſcedens ſuper Druentiam Orgonem uſque profectus eſt, inde in Aquenſem Urbem, poſtea Maſſiliam terreſtri itinere ſe contulit, ubi poſt duodecim dies conſenſis triremibus Romam navigavit, ut in laudato Itinerario narrat Amelius. Do ipſius verba hinc inde deprompta, ne prolixior efficiar.

Exivit gemmà grata, & clarè præditâ cœleſtibus
Nobili proſapia generata, annexa regalibus
Deo accepta, & placita hominibus Sacerdos Altiſſimi Gregorius
Die tertia decimâ menſis ſeptimi
——————— vocataque dies ſabbathi
In Novis nova Civitas & nova habitatio
In te prima Cœna & prima ſtatio.

Manet

Manet dies Dominica ſecunda dicta omnibus olim grata

In Orgone terra abundans lapidibus die tertia Petrus iacitur

Mars Deus belli crudele ac mortale texitur bellum

In Solis ortu ad Imperiale palatium acceſſit gemma Sacerdotum

Meritò Colonus nuncupatus, quaſi de Cœlo ſis, aut de Cœlo deſcendis,

Idcirco tellus fertilis &c.

Dies Mercurij ——————

In Aquenſem Regiam Vrbem ante Solis ortum viam direximus

Longa lataque fuit via, ſed dulcis & amœnus adventus

Gemminata dieta in te manſit dignitas Sacerdotalis

Veneris dies Ægiptiaca liquido in ortu dici Aue nunciata

Proceſſit exindè Antiſtes ſumpto Sabbathinali prandio

Pergit per arbuſta &c.

In domibus fumo dealbatis tertia die manſit regalis dignitas.

Manè ante lucem non fuit nobis vanum ſurgere

Tunc cum faculis & ingenti lætitia celeriter incedere

Ad Vrbem Sanctam Maſſilienſem accedere

O' glorioſa & nobilis Civitas nunquid tibi ſufficiebat ſtructura mirabilis

Niſi ſuſcipere mereres Romanum Pontificem duodecim diebus cum ſuis famulis.

Hoc Itinerarium evulgavit Papirius Maſſonus; in ipſius etenim manus inciderat, ut ipſe ait, veteribus membranis

Digitized by Google

branis ſcriptum quod tamen minus accuratè legit; cum in citato lib. de Epiſcopis Vrbis pag. 304. hæc ſcribat: *Igitur menſe Septembri ſolvens è portu Maſsiliæ, Romam ingreſſus eſt Ianuario proximè inſequenti*: Et in eodem Itinerario clariſſimè legatur, Gregorium Maſſilia diſceſſiſſe menſe Octobris.

Iovis, Septentrionale regnante, veſpera cunctis eſt amara
Dum palatium cœnobitale egreditur legis ſanctæ norma
Et ambitum Navilem ingreditur præſularis dignitas præclara
O Venus flebile tuum principium ——
In plaga de Ronſellis Summus Pontifex firmat ſtationem
Trina dierum noctiumque ſpatia peregimus ibi manſionem
Serotina & Dominicalis eſt pluvia ——
Quietatur temporis malitia opitulante Dei clementia, dies eſt lunaris
Die ipſa lunæ *ſexta Octobris* compulatur, & exindè exivimus
Flante vento boreali ante Tholonum nimis celeriter tranſivimus

A ſexta igitur Octobris, quæ lunaris dies erat, ſi ſupputando retrocedas manifeſtè habebis, diem Iovis, cuius veſpere Pontifex Navile conſcendit, fuiſſe ſecundam Octobris. Alter error facili quoque negotio diluitur; A die namque decima quarta Nouembris anni 1305. qua Clemens V. Lugduni, uti diximus, inſignijs Pontificalibus ſuſceptis, Pontificatum auſpicatus eſt, uſque ad decimam ſeptimam Ianuarij anni 1377. qua Gregorius

gorius Urbi ſedem reſtituit, manifeſtè colligitur, curiam Romanam annis 71. menſibus duobus, diebus tribus, non autem ſeptuaginta duntaxat, uti dicunt, in Gallijs oberraſſe. Hìc etiam corrigiendus eſt Platina qui de Gregorio ſcribit: *Romam pervenit anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſexto idibus Ianuarij, Pontificatus ſui anno ſeptimo, migrationis verò Romanæ curiæ in Gallias anno ſeptuageſimo*; cum antea parum ſibi conſtans in Clementis V. vita peius ſcripſerit: *Atque ita curia Romana in Gallias translata eſt milleſimo trecenteſimo quinto, ubi etiam ad ſeptuaginta quatuor annos remanſit*. Quo in luto hæſit Sabellicus lib. 7. ene. 9. pag. 410. & Kranzius in Metrop. lib. 9. pag. 236. his verbis: *Quæ fuit Curiæ in Franciam omnimoda translatio per annos ſeptuaginta quatuor*.

Gregorius igitur Urbem ingreſſus incredibili populi Romani plauſu exceptus fuit ſtatimque Sacras Ædes, Urbisque mœnia, quæ temporum incuria ruinam minitabantur, reparari iuſſit; ſed dum Italiæ rebus, iiſque maximè, quę pacis erant impensè conſuleret morte pręventus ſexto cal. Aprilis anno 1378. magna ſui animi conſilia perficere nequivit. Romæ tunc ſexdecim tantùm Cardinales aderant, quatuor Itali, unus Hiſpanus, cæteri omnes Galli, quod Romanis maxima dubitandi cauſa fuit, iſtos in Summum Pontificem ſuæ nationis aliquem fore electuros, Apoſtolicam ſedem iterum in Gallias aſportaturum. Hinc Clerus nobilioresque Romanorum, dum defuncto Pontifici ſacra funebria perſolverentur, Cardinales Conclaue mox ingreſſuros, ut Romanum vel ſaltem Italum in Pontificem eligerent, enixè deprecabantur; Vrbem Romam totamque Italiam continuis calamitatibus undique preſſam Pontificum abſentia exaggerantes; Quorum

exem-

exemplo plebs pariter minis etiam, ut moris eſt, admixtis, Papam Italum poſtulabat. Ad hæc Cardinales perhumaniter annuentes, omnia quæ ad utilitatem Eccleſiæ idonea cognoſcerent, ſe facturos pollicebantur. Interim ſacris inferijs exactis Conclave ingreſſi ſunt magno Prælatorum comitatu, inter quos Bartholomæus Butillus Archiepiſcopus Barrenſis Cancellariæ Apoſtolicæ Præfectus, qui ob eximiam doctrinam, morumque probitatem ab omnibus magni habebatur. Is continuis precibus, ut Deum ſuamque Eccleſiam præ oculis haberent Cardinalibus ſuggerebat, idoneumque Paſtorem in tanta rerum perturbatione cito eligerent, ſupplex implorans obteſtabatur. Sanctus Antoninus tom. 3. tit. 22. cap. 2. refert, quòd Cardinales, eò quòd Romanus Populus ubique clamans audiebatur *Romanum volumus*, timore perculſi, ipſum placandum Cardinali Lemouicenſi, qüi ſagacior putabatur, commiſerunt; Is Barrenſem accerſcens, *ut aſtutum conſuluit quid fieri poſſet, ut populus Romanus quietaretur, & Curia Romana ad Gallias rediret; qui poſt plurima colloquia reſpondit, hoc eſſe remedium, ut unum nomine tantùm, alium re & facto eligerent, quem poſtea ſublato periculo nominarent*. Hæc tamen inanis Vulgi commenta potius exiſtimo, cum Theodoricus à Niem qui tunc Barrenſi à ſecretis erat, in opere quod de hoc Schiſmate congeſsit nullum de hac re verbum faciat, nec credibile eſt integerrimæ vitæ hominem & Italum remedium adeo periculoſum in re tanti momenti protuliſſe.

Inſequenti porro die Cardinales, eò quòd in factiones diuiſi, videntes ab una quemlibet alterius partis obſtinatè excludi, aliquem extrà Cardinalium Collegium in Pontificem aſſumere decreverunt, ſtatimque ad Scrutinium accedentes, Archiepiſcopum Barrenſem vnanimi-

ter in Summum Pontificem elegerunt. Hanc electionem nonnullos poſt dies ab Conclavis ingreſſu factam refert idem Theodoricus lib. 1. cap. 2. *Et quia dicti Domini Cardinales per multos dies antequam eligerent in dicto Palatio ſeu Conclavi remanſerant, præfatus Urbanus timens ne fortè aliquid ſiniſtrum ipſi Eccleſiæ contingere poſſet; interim quòd dicti Cardinales erant in Conclave ſingulis diebus ad Altare ſecundum in ipſa Baſilica legit Miſſam, ut exiſtimo, Dominum deprecando, ut Cardinalibus ipſis ſuam gratiam dignaretur inſundere, quòd cito Pontificem utilem & idoneum eligerent.* Quod idem tradit Sanctus Antoninus loco nuper laudato. At longiùs à vero uterque recedit; Nam Gregorius ſexto Cal. Aprilis circa ſecundam noctis horam fatis conceſſit, ipſiuſque mors poſtera tantùm die publicata fuit, ac die ſubſequenti nempè quarto cal. eiuſdem menſis Novendalia celebrari cæpta ſunt, ut docet Panvinius: *Eodem anno die quarta cal. Aprilis manè P. P. Gregorij XI. exequiæ Novendalia à Cardinalibus præſentibus celebrari ſunt cæpta novem diebus.* Cuilibet enim defuncto Pontifici hæ funebres pompæ, quæ, quia per novem dies, Novendalia vocantur, à Cardinalibus ante Conclavis ingreſsum peragi aſſolent, ut habetur in lib. primo Sacrarum cærem. Chriſtofori Marcelli Archiepiſcopi Corcirenſis cap. 2. A quarto igitur cal. Aprilis, quo Novendalia initium habuere, facta novem dierum ſupputatione clarè colligitur, peracta fuiſſe octavo idus eiuſdem menſis incluſivè, quibus exactis Cardinales non illicò, ſed altera die, ſexto ſcilicet idus Aprilis Conclave ingreſſi ſunt, die verò ſequenti, nempè quinto idus Barrenſem in Summum Pontificem elegerunt; Totum hoc habetur in Epiſtola, qua ipſimet Cardinales electionem hanc Carolo IV.

Impe-

Imperatori ſignificarunt, quam ad oculos mox infrà ſubijciam, ut manifeſtiùs eluceat, electionem iſtam factam fuiſſe die ab Conclavis ingreſſu immediatè ſequenti, non autem poſt multos dies ut ſcribit Theodoricus.

Interim populus Romanus ubi Pontificem iam electum ſubodoraſſet, ut citius quiſnam eſſet, Italus ne, vel exterus, indicaretur, tumultuari cœpit; qua de re moniti Cardinales illicò Archiepiſcopum Barrenſem factum Pontificem publicarunt, quod maioris tumultus cauſa extitit nam populus errore nominis deceptus, quendam Ioannem de Barre Gallum demortui Gregorij cubicularium improbis moribus hominem electum opinabatur, cuius erroris ignari Cardinales dubitantes Barrenſis electionem ut odioſam clamoribus illis reprobari, ne populi furor ad peiora progrederetur, in vulgus ſpargi fecerunt, Tebaldeſcum vulgò Sancti Petri Cardinalem in Pontificem electum eſſe; Romani hoc audito Conclave irrumpentes, eundem ad Baſilicam Vaticanam licèt invitum adduxerunt, ibique ſuper Aram maximam, ut Pontificibus fieri aſſolet, collocarunt benedictionem Papalem, ut moris eſt, petentes; Tunc Tebaldeſcus, ſe non eſſe Pontificem reſpondit, ſed Barrenſem, non quidem Ioannem illum de Barre Gallum, uti falſò putabatur, ſed Bartholomæum Butillum Barrij Archiepiſcopum. His alijſque Tebaldeſchi verbis ſedato populi tumultu, Cardinales eadem die veſperarum hora denuo congregati Barrenſem Urbani VI. nomine, ut vulgò aiunt, inthronizarunt, qui poſtea, decimo ſcilicet quarto cal. Maij qui dies Paſchatis erat, coram Clero ac populo cunctiſque Cardinalibus approbantibus coronationis inſignia ſuſcepit. His ita rectè peractis, Cardinales omnia huiuſce electionis Acta Imperatori per literas ſignificarunt, quas modò, ut

diximus, ad oculos ponam, ut veritas noſtræ aſſertionis de tempore dictæ electionis manifeſtiùs dignoſcatur, ſimulque appareat, quàm iniuſtè Cardinales conflato Schiſmate ab Urbano receſſerint.

Sereniſſime Princeps.

Quia plerunque, immo plurimum præſertim in rebus arduis famæ loquacitas veritatem quibusdam coloribus adulterinis obnubilat, ideo quod ijs diebus in Romana Eccleſia geſtum ſit, vobis præſenti ſcriptione nuntiamus, & ut jis, qui vobis rem aliter factam narraverint ſeù ſcripſerint non credatis, & mens veſtra hac noſtra inſinuatione clarificata, in tranquillo & ſereno veritatis liquore conquieſcat; Regia igitur Celſitudo cognoſcat, quod Sanctæ fœlicisque recordationis Domino & Patre noſtro Gregorio Papa XI. viceſimo ſeptimo die menſis Martij nuper elapſi viam univerſæ carnis ingreſſo, & ſicut de largiſsima Dei pietate confidimus poſt labores ad præmia evocato, tantique Patris pro ut iuris & moris eſt cum debitis honore & reverentia exequijs celebratis die VII. Menſis Aprilis nuper præteriti, Conclave Palatij Apoſtolici in quo præfatus Dominus noſter abierat, ne dicamus obierat, iuxtà ſanctiones canonicas decrevimus introire, ſed ex certis cauſis ad id noſtrum inducentibus animum, huiuſmodi noſtrum introitum ad diem immediatè ſequentem duximus differendum. Qua quidem die, videlicet VIII. die Menſis Aprilis primitus gratia Spiritus Sancti invocata Conclave intravimus de electione & ſubſtitutione futuri Pontificis tractaturi. Sequenti die luciferi neſcientis occaſum, uti pie credimus, illuſtrati, circà illam diei horam, qua Spiritus Sanctus ille qui paraclitus eſt, Sanctorum diſcipulorum corda deſcen-

ſcendit, ad perſonam Reverendi in Chriſto Patris Domini Bartholomæi. Archiepiſcopi Barrenſis, Viri utique meritorum claritate conſpicui, & multiplicium virtutum lampade refulgentis, liberè & unanimiter direximus vota noſtra, eum ad celſitudinis Apoſtolicæ ſpecula concorditer evocantes, & hanc noſtram evocationem ſeù electionem in conſpectu maximè Chriſtianæ plenæ multitudinis nuntiavimus.

Ceterùm die nona eiusdem menſis Aprilis idem Dominus noſter electus in Throno dignitatis Apoſtolicæ ſublimatus ſibi Urbani nomen aſcivit. Ac die qua Chriſtus Ieſus ſummus Pontifex vitam noſtram reſurgendo reparavit coram turba fidelium copioſa, ſicut in Romana Eccleſia conſuetudinis eſt, in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe cum ingenti tripudio & lætitia inenumerabilis populi Chriſtiani Pontificali Regno magnificè, & ſolemniter extitit coronatus. Quæ quidem Serenitati veſtræ ideo nuntiamus, ut ſicut obitus memorati Domini Gregorij vobis amaritudinis & triſtitiæ calicem propinavit, ita in præſentis Patris conceſſione nobis cælitus facta gaudij & exultationis Spiritum aſſumatis; in illo enim, cuius vicem idem Dominus noſter gerit in terris firmam ſpem fiduciamque tenemus, quòd ſub eius fœlici regimine ſtatus Romanæ ac Univerſalis Eccleſiæ reflorebit, & orthodoxa fides fœlix optatumque ſuſcipiet incrementum. Dat. Romæ die VIII. menſis Maij.

Porro Vrbanus omnium virtutum genere, ac eximia in primis morum integritate præditus, Sacrum Collegium ſimoniæ vitio nimis labefactatum ægrè ferens, quoſcunque in tali vitio in poſterum depræhenſos ſe acerrimè puniturum adeo terribili oratione publico in Conciſtorio minitatus eſt, ut Cardinales omnes, excepto Tebaldeſco, qui ſemper ipſi adhæſit, ſeveritatem

hanc

hanc reveriti, ſimulque de Apoſtolicæ Sedis in Gallias reditu ſpe omni deperdita, relicta varijs prætextibus Roma Anagniam primùm, Fundos deindè ſe receperint, ubi, poſt evulgatos libellos, quibus Urbanum non eſſe verum Pontificem, eò quòd tumultuantis populi metu non liberè elegiſſent, aſtruebatur, in Palatio Honorati Caietani eiuſdem loci Comitis congregati, Cardinalem Gebbenenſem Clementis VII. nomine in pſeudo-Papam deſſignarunt. Totum hoc acriter exaggerat ipſemet Vrbanus in Epiſtola ad Archiepiſcopum Colonienſem his verbis: *Diverſos libellos difamatorios fecerunt & ad diverſos Pralatos, & Principes Mundi tranſmiſerunt, per quos aſſerebant, nos non verum Papam eſſe ac multa mala & enormia de nobis dicere praſumpſerunt. Et tandem in profundum deſcendentes malorum, & cupientes Sancta Matris Eccleſia ſcindere unitatem, in Civitate Fundanenſi cum quibusdam alijs, quos cum machinationibus & Diabolicis ſuggeſtionibus ad eorum impium propoſitum attraxerunt, congregati in domo iniquitatis filij Honorati Caietani olim Comitis Civitatis Fundorum cum ipſius Honorati auxilio & favore, praſatum Robertum temerè eligendo Antipapam fecerunt, ipſumque auſu Sacrilego Papam nominare praſumebant & praſumunt.*

Hæc Roberti intruſio facta fuit die vigeſima Septembris, ultima verò Octobris inſignia Pontificalia ſuſcepit; Verùm poſt aliquot Menſes cum Fundis ſe parum tutum videret; Auenionem cum Cardinalium Collegio profectus eſt, ubi quoad vixit à Gallis & Hiſpanis verus Pontifex habitus fuit. Urbani verò partes ſequebantur Alemania, Bohemia, Ungaria, Polonia, Anglia, totaque Italia Neapolitano Regno excepto; Hinc quia utraque pars à diverſis Principibus & populis fovebatur, factum

eſt,

eſt, ut mortuo Auenione Roberto, Cardinales Schiſmatici alium, nempè Petrum de Luna ſubrogarint qui Benedictum XIII. ſe nominavit cui poſtea ſucceſſit Ægidius Munionus Clemens VIII. appellatus, qui tandem abdicato Pontificatu, Schiſma, quod inter cætera in Eccleſia Catholica hactenus exorta, quia diuturnius, pernicioſiſſimum extitit, penitus ſublatum fuit. De huius attamen Schiſmatis duratione variè opinati ſunt Scriptores; Genebrardus pag. 683. triginta ſex annos perduraſſe ſcribit. Gordonus pag. 374. annos triginta. Krantzius in Metropoli initio lib. 12. quadraginta. Michael Buchingerus pag. 261. triginta novem. Sanctus Antoninus tom. 3. tit. 22. cap. 2. triginta. Aubertus Miræus in Chronico ad an. 1378. & Petrus Opmeerus in opere Chronographico quinquaginta annis continuatum tradunt. Magnus Panvinius in Epit. lib. 3. pag. 249. per quadraginta ſeptem annos, finem verò refert in annum octavum Martini V. qui fuit Epochæ vulgaris 1425. At aliter dicere nos cogit Concilium Dertuſæ in Hiſpanijs celebratum Præſidente Cardinale de Fuxo Apoſtolicæ Sedis Legato, quod extat tom. 12. Concil. Lab. in quo hæc leguntur. *Præfatus Dominus noſter Papa de anno Domini 1425. Reverendiſſimum in Chriſto Patrem & Dominum Dominum Petrum miſeratione Divina tituli Sancti Stephani in Cælio Monte preſbyterum Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem inclytæ Domus de Fuxo Legatum à latere Sedis Apoſtolicę ad Regna Aragonum & partes direxit, qui poſt multos & diverſos cum Sereniſſimo Principe & Domino Domino Alphonſo Aragonum Rege ſuper reductione huiuſmodi tractatus habitos hac eadem de cauſa ad præfatum Dominum noſtrum Papam de anno Domini 1427. redijt. Et idem Dominus noſter Papa*

Papa de anno Domini 1429. iterum eundem Dominum Cardinalem Legatum ad Regem & Regnum prædictum pro eadem reductione remiſit. Tandem Spiritu Sancto cooperante & Rege & Legato antedicto operam dantibus ad reductionem deventum extitit. Ex quibus habetur, Cardinalem de Fuxo bis Hiſpanias tollendi Schiſmatis cauſa petiiſſe, nempè anno 1425. quo nec Schisma ſublatum fuit, ut ſcribit Panvinius; nec duobus ſequentibus annis, cum anno 1427. re infecta Romam redierit, ſed ſolummodò anno 1429. quo iterum in Hiſpaniam profectus dictum Schiſma omnino extinxit. Præterea, inſtrumentum obedientiæ ab ipſo Ægidio Munionio & ſequacibus dicto Cardinali Legato exhibitæ ita obſignatum legitur: *Acta fuerunt hæc in loco ſupra dicto* (In Villa ſcilicet Sancti Matthæi propè Paniſcolam) *ſub anno à Nativitate Domini* 1429. *indictione ſeptima, die verò Dominica, decima quarta menſis Auguſti, Pontificatus Domini noſtri Papæ anno duodecimo.* Ex quo pariter manifeſtè evincitur, Schiſma extinctum fuiſſe anno 1429. in Villa Sancti Matthæi propè Paniſcolam Dertuſanæ Diœceſis per abdicationem Antipapæ Clementis, non verò, ut quamplurimi ſcibunt, in Concilio Conſtantienſi per electionem Martini V. Quod idipſum notavit Petrus Maturus in notis ad Sanctum Antoninum ita ſcribens: *Hoc Schiſma, quod omnium ſine controverſia teterrimum, & pernicioſiſſimum fuiſse conſtat, non triginta modò annos, ſed quadraginta quatuor perduravit; Nam quamvis in Concilio Conſtantienſi Gregorius duodecimus, & Ioannes dictus vigeſimus tertius ſponte Papatui renunciarint, & Martinus quintus legitimè fuerit in eodem Concilio creatus & conſecratus, ut videbimus infrà cap. 7. tamen Petrus de Luna di-*

ctus

ctus Benedictus decimus tertius poſt illud etiam Concilium in Schiſmate perſeveravit, eoque mortuo Ægidius Munionis, Clemens octavus appellatus contra Martinum electus eſt; Illo tandem anno Chriſti 1428. *abdicante, Schisma illud fuit penitus ſublatum*. Duplici tamen errore peccat hic Author primò Antipapam Clementem ſe Pontificatu abdicaſſe anno 1428. cum id factum anno inſequenti 1429. abdicationis inſtrumentum planè loquatur: Secundò errat in annis ſupputandis dum aſſerit, Schiſma quadraginta quatuor annis perduraſſe, nam ab anno 1378. quo incæpit vſque ad annum 1428. quo, ut ipſe falsò opinatur, finem habuit, quinquaginta, non quadraginta quatuor anni intercesſere.

Igitur cum ex hucuſque adductis rationibus, ac Dertuſanæ Synodi Actis ſolidè probatum ſit, Schiſma anno ſolummodo 1429. die 14. Auguſti ceſſaſſe, neceſſario conſequitur, facta ſupputatione à die vigeſima Septembris anni 1378. quo emerſit, uſque ad diem decimam quartam menſis Auguſti anni 1429. quo finivit, annos quinquaginta, menſes decem, dies verò vigintiquinque perduraſse; Reformator Ricciolius in magno Chronico ad annum 1378. narrata priùs huius Schiſmatis origine, ait: *Duravit Schiſma hoc annos* 50. Inferiùs poſtea ad annum 1417. ſubiungit: *In Concilio Conſtantienſi eligitur Summus Pontifex Otho Columna Romanus Diaconus Cardinalis die undecima Novembris, & conſecratur die vigeſima prima Novembris, nominaturque Martinus III. dictus V. ceſſavitque Schiſma eſto Petrus de Luna uſque ad mortem retinuerit inſignia Papatus*. Igitur, ſi in Concilio Conſtantienſi per electionem Martini V. ceſſavit Schiſma, quomodo quinquaginta annos duravit?

S Pro-

Profecto haud capere fateor. Ab anno enim & die quo incæpit uſque ad diem undecimum Novembris anni 1417. quo Martinus V. creatus fuit Pontifex, anni triginta novem, Menſis vnus, dies verò duo & viginti tantummodò effluxere.

Cap. VIII.

Witcleſus morbo corripitur. Pœnitentiam ſuadentes contumelijs afficit, ſanitatem adeptus ſeditioſas propoſitiones publicat. A Ruſticis in Exeſſia & Cantio conflata ſeditio. Harpſfeldij opinio reiecta. Ballaus Preſbyter Witcleſi diſcipulus Ruſticos in Archiepiſcopum concitat, è Turri Londinenſi raptum obtruncant. Ballaus arrepta fuga capitur, ac ſuſpendio necatur.

Occaſione Schiſmatis, uti diximus, è Iudicio iterum elapſus *Witclefus*, quamvis multa palam de devictis hoſtibus, eluſiſque Epiſcopis feſtiuè loquitaretur, clam tamen inteſtinis anguſtijs propriæ impietatis conſcientia ita agitabatur, ut animi corporiſque quiete ſenſim deperdita

S 2 in

in morbum inciderit; quo quidem ingraveſcente cum de illius vita dubitari cæpiſſet, quatuor ex Mendicantium Ordinibus Academiæ Profeſſores, totidemque Viri primarij quos Aldermanos vocant, eundem viſendum fortaſſè lucraturi adiere; Cui primùm ſalute nuntiata priſtinam valetudinem precantur, mox hortati ſunt, ut æternæ damnationis imminens periculum recogitando, ſaltem in illo extremo vitæ momento hæreſes ac errores pœnitens defleret ac revocaret. Stetit ad hæc aliquantulum cunctabundus, indè adſcitis familiaribus iuſſit ſe per pulvinos erigi, viribusque paululum reſumptis furens exclamare cæpit: *Non moriar ſed vivam, & narrabo peſſima facta fratrum*: aliaque permulta longè contumelioſiora in ipſos effundens, ut citius è domo eicerentur domeſticis inclamavit; His tamen omnibus Chriſtiana charitate toleratis, cum tandem nullis rationibus, nec iteratis precibus ullum pœnitudinis ſignum obtinere potuiſſent, in ſua pervicacia delirantem reliquerunt. Perpetuus utique Hæreticorum mos, eos, quos ſuorum dogmatum oppugnatores formidant, maledictis inſectari; ſic *W*itcleſus hanc ob cauſam in Mendicantium Ordines tanto æſtuabat odio, quòd nihil niſi turpe ſordidumque tanquam porcus ex Augiæ ſtabulo in ipſos ſemper eructarit, ut videre eſt in ſuo Tractatu de *Prævaricantia mandatorum* cap. 7. in quo ita ſcribit: *In iſta ergo obedientia ſuper alios extrahas Sectas quatuor, quæ incomparabiliter promerentur. Sed idem foret hominem ebullire in iſtam ſtultitiam, & obligare ſe Diabolo, ut paratè faciat quidquid mandat, cum multi tales Abbates ac Priores ſint Diaboli manifeſti.* & in Tractatu de *ſeptem Donis* cap. 7. *Hic notent fideles quomodo iſti novelli Ordines & omnes iſtæ Sectæ quatuor timuerunt ubi non erat timor, quia plus*

plus amant Ordinem ſuum merdoſum quàm Sectam vel Ordinem Chriſtianum. Et infrà: *Propter inordinatum amorem quem habent ad talem merdoſum Ordinem conſervandum*. Quas fœditates ſorbuit poſtea eius nepos Lutherus, ut paſſim Propheta ſtercoreus appellaretur de quo Andreas Delicianus.

Stercora dum præ ſe ducit quæcunque Lutherus
Oreque ſpurciloquo nil niſi ſtercus habet.
Num, rogo, ſtercoreum dices hunc eſse Prophetam?
Qualia verba Viri, talis & ipſe Vir eſt.

Vix priſtinam valetudinem aſsequtus *W*itclefus de nuper exorto Schiſmate ſententiam protulit in ſupplemento Trialogi cap. 10. *Deus non ſinens apoſtema in Eccleſia ſua amplius perdurare ſolvebat iſtam putredinem in nido iſto Diabolico congregatam, ſed diviſit in duo capita, ut melius pateat ſanies & virulentia Antichriſti*. Et inter concluſiones damnatas vigeſima ſexta, ait; *Ex diſſenſione Pontificum de Papatu magnum bonum provenit, quia iam viſa debilitate Antichriſti confortantur fideles publicare multas ſententias evangelicas*. Tempus utique opportunum Apoſtatis & Hæreticis, ut Religionem Catholicam petulantius impetant, Reges ac Principes exauthorent, & populos, maledictam illam conſcientiæ libertatem deprędicando, ſubvertant. Ità *W*itclefus *diſſenſione Pontificum confortatus* hæc ad ſeditiones concitandas publicavit: *Eccleſia Romana eſt Synagoga Satanæ, nec Papa eſt immediatus & proximus Vicarius Chriſti & Apoſtolorum. Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus dum eſt in peccato mortali, Populares poſ-*

ſunt

ſunt ad ſuum arbitrium Dominos delinquentes corrigere. Sunt tres propoſitiones ex damnatis in Concilio Conſtantienſi, ſcilicet trigeſima ſeptima, quinta decima, & decima ſeptima. Quæ præcipua fuere fomenta decantatæ illius rebellionis, qua Ruſticana gens in Exeſſia & Cantio contra Richardum Regem inſurexit: Hoc novum *W*iclefi evangelium fuit tuba illa cuius ſonitu exciti hominum flagitioſiſſimi poſt direpta templa, Magnatum Oppida, & Palatia diruta, ipſum Cantuarienſem Præſulem ignominioſiſſimè obtruncarunt. Nec quidquam profectò mirandum! *Eſt namque hęreſis contumaciæ rudimentum, dumque ex hominum mentibus ſenſim excutit Dei iugum, detrectare atque excutere humana imperia ſimiliter docet*.

Continuis bellis contra Gallos per Eduardum factis regio Ærario exhauſto, Richardus Rex convocatis apud *W*eſtmonaſterium Comitijs tributum à viris & fœminis capitatim ſolvendum imperavit; Quæſtores ad id delecti, cum in eo exigendo mitius fortaſſe egiſſent, vel potius, uti aſolet, ad explendam avaritiam in proprios obvertiſſent uſus, non tantum pecuniæ, uti putabatur, publico Ærario contribuere. Hinc factum eſt, ut anno inſequenti 1381. quidam Ioannes Leg cum alijs tribus deſideratæ pecuniæ ſummam ſe daturos polliciti huius quæſturæ munus à Rege impetrarint. Quorum in exigenda pecunia ſeveritas nimia, ac deteſtanda barbaries prima ſeditionis germina produxere, quæ poſtea *W*iclefiſtarum factione repaſtinata tot mala peperere. Id tamen fuiſſe ſeditionis cauſam negat Harpsfeldius in Hiſt. Anglic. ſæc. 14. pag. 515. ſcribens: *Hæc tanta & tam periculoſa ſeditio conflata eſt, dum ſe in libertatem vindicare, & aſſerere, eamque vel invitis Regni Proceribus & Dominis extorquere*

conan-

conantur. Et infrà: *Incidit hæc ſeditio ob hanc, quam dixi, cauſam in quartum Richardi annum; Non ignoro, hanc cauſam non ſatis quibuſdam probari, maluntque profectam à tributo, quod paulò ante indictum erat*. Et paulò poſt: *Sed non reperio apud illius ſæculi aut proximos Scriptores, ſervos (quos hæc res parum tangebat, ſed eorum potius Dominos) aut Ruſticos ob hunc prætextum coiiſſe*. Verùm iſta aſſerit hic Author, quia illius ſæculi Scriptores in Bibliothecarum angulis latentes non vidit; ſolùm enim anno 1652. primùm in lucem prodiere typis Iacobi Flesher Typographi Londinenſis, inter quos præcipuè Henricus Knygheton anno iſtius ſeditionis florebat, eamque ab hoc tributo initia ſuſcepiſſe clariſſimè ſcribit lib. 5. de Event. Angliæ: *Vnus enim, nempe Quæſtorum cum eſſet ad aliquam Villam ad faciendum inquiſitionem de dicta taxa, convocari fecit tam Viros quam mulieres & puellulas, quod dictu horribile eſt, & ſurſum impudicè elevavit, ut ſic experiretur utrum corruptæ eſſent & cognitæ à Viris, ut ſic arctaret amicos & parentes pro eis ſolvere taxam, & plures potius elegerunt ſolvere pro ſuis filiabus, quàm videre eas tam turpiter attrectari; hæc & huiuſmodi dicti Inquiſitores facientes maximè provocaverunt populum.* Talis in exigendo tributo turpiſſimus modus ita immaniter adhibebatur, ut plus pecuniæ quam ſtatutum erat ad propriam utilitatem extorquerent; Regis etenim decreto Virgines & innuptæ, ut ait idem Knyghton, non tantum ſicuti cæteræ mulieres ſolvere tenebantur, nihilominus parentes ne tanta ignominia filias affici conſpicerent, quidquid ab iniquis exatoribus expetebatur, dependebant: Illi verò, quibus præ inopia ſolvendi facultas non erat, pro tanta iniuria vindi-

ctam

ctam meditabantur. Interim unus eorum cæteris audacior cui nomen Thomas Baker arma primus arripuit, alijsque eiusdem Villæ ſibi ſociatis per vicinos Pagos hinc indè excurrens ruſticanam illam gentem Quæſtorum immanitatis vindicandæ cauſa ita ad ſeditionem inflammavit, ut brevì aucta multitudine metum ubique ac terrorem incuſſerit. Hinc ruſticalibus armis inſtructi in aciem furioſiſſimè prodeunt obvia quæque depopulantes, Magnatum Palatia, Nobiliumque domos diripiunt & incendunt. Ad quodam oppidum iuris Archiepiſcopalis *Maidſton* vulgò vocatum perventi effractis carceribus facinoroſos quoſque emittunt inter quos Ioannes Balle Presbyter huius poſtea ſeditionis perpetuus fomes; magna etenim qua pollebat in dicendo vi & vehementia efferatam illam Ruſticorum colluviem quocunque vellet perducebat. Hic ex primis *W*itclefi diſcipulis *per plura retroacta tempora* (ſunt verba Knyghton) *verbum Dei inſipienter ſparſerat, lolium cum tritico immiſcendo, laicis nimis placens & libertati iuris Eccleſiaſtici & ſtatus quàm maximè derogans, atque multos errores in Eccleſiam Chriſti inter Clerum, & Laicos execrabiliter introducens multis annis Provinciam ſic obnubilavit , ob quam cauſam à Clero fuerat auditus & de iure convictus, atque in eodem carcere pro ſuo perpetuo mancipatus & adiudicatus.*

Ballæus igitur libertate donatus oleum igni ſuffundens concitatam plebem ad flagitioſora quæque promovebat, præcipuè verò in Archiepiſcopi odium, quòd eum ob improbatam doctrinam carceri incluſerat, ſeditioſorum animos accendere impenſius alaborabat; ſuis namque concionibus ea potiſsimum, quę populo plauſibilia, Archiepiſcopo verò cæteriſque Præſulibus pernicioſora viderentur vehementiſsimè exaggerabat. *Decimas non dandas,*

dandas, niſi qui reciperet tenuiori eſſet fortuna & pauperior dante, immo, niſi cui daretur magis inculpata vita foret: Servos corrigere delinquentes Dominos. Hæc & ſimilia ab Witclefo ebibita eructans ſic credulam illam hominum fæcem dementaverat, ut unanimi furore conclamatum fuerit, Cantuarienſem Præſulem tanquam Patriæ proditorem morte plectendum, Ballæum uti publicæ libertatis aſſertorem Archiepiſcopali dignitate decorandum. Itaque omnes die decima tertia Iunij eiuſdem anni in qua Corporis Chriſti feſtum recurrebat Walthero Tyler ductore, qui poſt Thomam Baker coitionis provehendæ provinciam ſuſceperat, Cantuariam veniunt Archiepiſcopum, ſi adinveniſſent, ſine dubio interfecturi; ſpe tamen fruſtrati, tunc enim Londini morabatur, primùm in Divi Thomæ Templum, deindè in Archiepiſcopi Ædes irruunt, manuque ſacrilega omnia diripiunt atque vaſtant; Deindè Londinum verſùs profecti poſtulant à Rege, cum ipſo colloqui, qui annuens, ad alteram Tameſis ripam ubi decem eorum millia ipſum præſtolabantur navigio acceſſit, ſed cum exſcendere illis petentibus noluiſſet, in furorem acti turbulentis clamoribus Londinum irrumpunt, Ducisque Lanchaſtriæ ornatiſſimis Ædibus igne conſumptis, aliorumque Procerum domos depopulati, cædibus, rapinis, patrioque ſangvine nobiliſsimam Urbem fœdavere. Et quidem iuſtiſsimo Dei iudicio harum calamitatum primitias Lanchaſtrium experiri oportebat, quippe Vitclefum eiusque ſequaces potenti patrocinio ſemper nimiumque foverat.

Poſtera die, cum Archiepiſcopum, quem impellente Ballæo ubique perquiſierant, in Turri Londinenſi receptum ſubodoraſſent ſubito impetu fugatis cuſtodibus ipſa potiti, capiunt, magniſque clamoribus proditorem

Patriæ ac Reipublicæ expilatorem obiurgantes ad quendam monticulum vulgò *Tourhel* barbarè rapiunt, ubi accerſito carnifice ſine mora obtruncandum una voce iubent. Ad hæc Archiepiſcopus in genua demiſſus brevi oratione peracta cervicem gladio exhibuit, & à Carnificis manu lethalem ictum excepit; Venerandum caput haſtæ impoſitum ponti Londinenſi affixerunt, eiusque Corpus duos poſt dies, quibus ſub diò iacuerat, ſui inſtituti Monachi Sancti Benedicti tumularunt; ipſa quoque die Robertus Haliſius eques Hieroſolymitanus Prior Hoſpitalis Sancti Ioannis Regijque Ærarij Præfectus, & Ioannes Leg exigendi tributi quæſtor eodem mortis genere occubuere.

Verùm tam immane ac ſacrilegum facinus Deus haud impune reliquit; Inſequenti namque die ſcilicet Sabbathi, cum ad locum in Suburbijs *Smithfeld* vulgò vocatum omnes conſtitiſſent, Rex illo pergere conſtituit, & quamvis Aulici eiuſque Conſiliarij ipſum, ne Regiam perſonam puerili illa ætate Ruſticorum arbitrio committeret, maximè dehortarentur, attamen animi magnitudine excitus parvâ equitum manu ad dictum locum ſe contulit, ſperans Ruſticanam rabiem ſui præſentia fortaſſe placaturum, expertus, tot cædes ac impietates maiori ex parte patratas ob denegatum antea ad Tameſis ripam colloquium. *W*altherus adventatem Regem à longè proſpiciens aliquantulum à ſuis ſeceſsit, evaginatoque pugione iam appropinquanti occurrit, quem Rex humaniſsimè excipiens, pacem & quietem proiectis armis ut amplecteretur mitiſsimè perſuadet, miſeramque Patriam tot calamitatibus afflictam, civiumque ſangvine cruentatam tandem miſereſceret, eſt hortatus; Se interim omnibus quæ ad publicam tranquillitatem ſuorumque commodum peteret libentiſsimè indulturum. At homo pervicax hac

adole-

adoleſcentis Regis humanitate inſolentior factus multâ ſequacium nomine non ſolùm in Nobilium & Eccleſiaſticorum, quos maximè oderat, perniciem, ſed etiam in Regiæ poteſtatis detrimentum arrogantiſsimè petijt: Rex quid eſſet deliberaturus cum parumper cunctaretur, Waltherus auſu temerario Regij equi frenum manu arripiens moras increpat, mortemque minatur, ni illicò Regio aſſenſu poſtulata probaret. Ioannes de Walworth, & Radulphus Standych qui ad Regis cuſtodiam aderant periculum animadvertentes, diſtrictis protinus armis temerarium rebellem guture lateribuſque transfixis interemerunt. Hinc pavido exorto clamore, ſubitoque Roberti Knollys magno cum ſelectiſſimorum militum numero in Regis auxilium adventu, perduellium conſternata multitudo in confuſionem verſa partim cæſa, partim fugata penitus evanuit; Ballęus Presbyter, qui arrepta fuga Sanctum Albanum propè ſe occultaverat captus, laqueo pro Archiepiſcopali tiara donatus infamem animam emiſit; alij harum turbarum præcipui incentores ſuſpendio pariter necati atque in partes ſecti execrandi paricidij pœnas luere. Solùm Witclefus in hac publicæ privatęque rei deploranda conditione, quòd ſuarum hæreſum cauſa patrium Regnum tumultibus & ſeditionibus ubique quati videret lætabundus voluptuabatur, noviſque in Clerum, Magiſtratus, & Principem evulgatis opuſculis acri dicacitate audaciam alebat. Accepto interim de Cantuarienſis Præſulis morte optatiſſimo nuntio, ſtatim Oxonio diſcedens ſuę doctrinæ propagatione aſſeclarum fidei intime commendata, Leyceſtriam advolavit, quò ſumpta Epiſcopi perſona quendam Wilielmum Swinderby Presbyterum eiusdem farinæ nebulonem, de quo infrà iterum dicturi, per totum Leyceſtriæ Comitatum concionatorem deſignavit, qui

in nundinis prȩſertim, alijsque publicis locis ad quæ populi frequentia confluere aſolebat Magiſtri dogmata ad ſeditionem prȩcipue conflandam inter concionandum inſerebat, & quidem ad novos tumultus illos quoque Ruſticos excitaſſet, ni eorum, qui in Exeſſia & Cantio eadem tentarunt, miſerabilis exitus, ipſos propriæ ſaluti conſulere edocuiſſet.

Digitized by Google

Cap. IX.

Abſente Witclefo tres Academiæ Profeſſores eius doctrinam defendunt. Wilielmus Courtenay fit Archiepiſcopus Cantuarienſis. Synodum, Thomæ Aſheburne Auguſtiniani ſuaſu Londini convocat. Witcleſus impedire perperam ſtudet, eius dogmata damnantur. Archiepiſcopus damnationis decretum per omnes Diœceſes publicari mandat. Philippus Repignton hæreſes eiurat, fit Abbas Leyceſtrenſis, indè Epiſcopus Lincolnienſis, tandem Cardinalis. Ioannes Ayſton in carcere moritur. Nicolaus Hereford arrepta fuga Romam proficiſcitur, à Pontifice damnatus, in Carcerem truditur. Orta ſeditione liberatus in Angliam revertitur, iterum captus perpetuo carceri mancipatur.

POſt Witclefi ab Oxonio diſceſſum tres primarij eiuſdem ſectatores in provehenda hæreſi provinciam ſuſcepere Nicolaus Hereford, Ioannes Ayſton, præcipuè verò Philippus Repignton Lateranenſium Abbas, qui

qui defenſorio pro *W*itclefi doctrina evulgato continuis diſputationibus publiciſque Concionibus rem Catholicam peſſundare nitebatur. *W*ilielmus Courtenay qui è Londinenſi ſede aſsumptus Simoni Sutbury Cantuarienſi Archiepiſcopo ſucceſserat, quid remedij in tanta rerum civilium, & eccleſiaſticarum perturbatione eſset allaturus maximè angebatur, truculentam enim Prædeceſſoris mortem ex una perhorreſcebat, Religionis Catholicæ iacturam ex altera deplorabat. Ijs in anguſtijs Thomas Asheburne magnus mei inſtituti Theologus hoc unum ſuggeſſit remedium, Concilium ſcilicet convocandum, cuius authoritate damnatis *W*itclefi erroribus, publicoque anathemate proſcriptis Chriſtiana plebs in auita Religione firmaretur. Petrus Pitſeus in de Scriptoribus illuſt. Angliæ inſignem Virum laudat his verbis: *Cumque eſſet & multiplici doctrina inſtructus, & zelo fidei plenus omnes quos potuit in Witcleſum concitavit, ut eum eiuſque erroneam doctrinam dictis, factis, ſcriptis deteſtarentur; Contra quem ipſe multa fecit, ſcripſit, prædicavit. Denique eo maximè inſtigante anno Domini* 1382. *ſuper hoc negotio Londini Synodus convocata fuit.* Salubre profectò remedium! Eliminatis enim hæreſibus à ſeditionum & rebellionum peſte Regna & Imperia expurgantur faciliter, cum in uniformitate Religionis populorum, civiumque perfectiſsima concordia primitus conſiſtat.

Dum igitur Archiepiſcopus, probato Asheburne conſilio, Patres ac Doctores Londinum ad Concilium evocat; *W*itclefus prævidens damnationis ſententiam contra ipſum tandem pronunciandam, à Concilio ad Regem provocationem interponere meditabatur, quapropter Londinum veniens Lanchaſtrij favorem ad id aſſequendum obnixè deprecatus eſt; At Lanchaſtrius tot malorum,

lorum, quæ ſuo præſertim patrocinio ſibimet acciderant, experientia cautior factus, neve hæreſeos ſuſpicio in ipſum moveretur, hanc *W*itclefi temeritatem acriter compreſſit, admonens nil favoris auxilijque in poſterum ſibi ſperandum, ni in Summi Pontificis arbitrio omnia poneret, & Eccleſiæ poteſtati ſe totum humiliter ſubmitteret. Hæc Lanchaſtrij verba ita *W*itcleſum perturbarunt, quòd omni prorſus provocationis abdicato conſilio propoſitiones quaſdam, quæ hæreſim apertiùs redolebant ad Catholicæ Eccleſiæ ſenſum ſubdola interpretatione detorquens Romano Pontifici datis literis; damnandas, corrigendas, vel approbandas ut ſupremo in terris Chriſti Vicario ſubmiſerit. Has literas è Foxo exſcriptas exhibet Sanderus de *Eccleſia viſibili*, quæ pariter habentur in pſeudo-Martyrologio Hæreticorum gallicè impreſſo pag. 6. ſub hac forma.

Gaudeo planè detegere cuicunque fidem meam & ſpecialiter Romano Pontifici, quia ſuppono, quod ſi ſit orthodoxa, ipſe fidem meam humiliter confirmabit, & ſi ſit erronea emendabit. Suppono iterum quòd Romanus Pontifex cum Summus Chriſti Vicarius in terris ſit, ad illam legem Evangelij inter viantes maximè obligatur – Si in iſtis erravero volo humiliter etiam per mortem, ſi oporteat, emendari; Et ſi in perſona propria ad votum potero laborare; vellem præſentiam Romani Pontificis viſitare – Cum Dominus dederit Papæ noſtro inſtinctus iuſtos Evangelicos, rogare debemus, quòd inſtinctus illi non per ſubdolum conſilium extinguantur, nec quòd Papa aut Cardinales aliquid agere contra legem Domini moveantur; igitur rogamus Deum noſtrum cuiuſlibet creaturæ, quòd ſic excitet Papam noſtrum Urbanum ſextum ut inceperat, ut imitetur cum Clero ſuo etiam in moribus Dominum Ieſum Chri-

ſtum

ſtum, & rogamus ſpecialiter, Papam noſtrum à maligno conſilio præſervari.

Hanc Summo Pontifici factam ſubmiſſionem publicavit *W*itclefus, ne è Lanchaſtrij benevolentia excideret, præcipuè verò ut Concilium paulò ante indictum ſimulata reſcipiſcentia exturbaret. Verùm parum profuit malitioſa fraus, nam Archiepiſcopus qui ad id enixè incumbebat, ſtatim ac quos adſciverat Londinum pervenere, in Monaſterio Fratrum Prædicatorum Concilium aperuit die decima ſeptima Maij Sabbatho poſt Aſcenſionem Domini anno 1382. ut habetur tom. xi. Concil. Lab. parte 2. pag. 2052. In hac Synodo unius Menſis ſpatio evocati fuere Repignton, Hereford, & Ayſton, *W*itclefum nec veniſſe, nec accitum fuiſſe fas eſt credere, cum in eiusdem Synodi Actis nec nominetur, nec aliquid in ipſius perſonam animadverſum legatur, ſed ſolùm nonnullæ eiusdem propoſitiones ut hæreticæ & Eccleſiæ ſenſui adverſantes damnatæ fuerunt ſub die vigeſima prima Maij feria quarta infrà octavam Aſcenſionis; Quam proſcriptionem poſtea Archiepiſcopus die trigeſima eiusdem Menſis feria ſexta infrà octavam Pentecoſtes publicandam demandavit Ioanni Kynyngham Carmelitici Ordinis Theologo, qui poſtquam à Clero & magna populi multitudine pro gratiarum actione, Deique auxilio implorando, ut ab illarum hæreſum peſte Regnum liberaretur, ſolemni ſupplicatione peracta, ſuggeſtum conſcendens *W*itclefi dogmata falſa & hæretica, omnesque ea in poſterum tenentes vel docentes à fidelium communione ſecluſos pronunciavit. Nec Deus optimus maximus Eccleſiæ ſuæ preces exaudire diù diſtulit, ſiquidem pervicaciſſimam *W*itclefiſtarum ac Lolardorum incredulitatem per miracula improbare voluit; Inſequenti namque die veram realemque Ieſu Chriſti Corporis præſentiam in vene-

venerabili Euchariſtiæ Sacramento viſibiliter patefecit. Miraculum ita narrat Knyghton lib. 5. de Event. Angliæ: *Et in iſto ſermone præſens fuit unus venerabilis Miles nomine Cornelius Clonne, qui iſtis concluſionibus & eas tenentibus ac docentibus maximus fautor fuerat, nec voluit pro quocunque alitèr credere de Sacramento Altaris, niſi quòd ibi eſſet verus panis materialis ſecundùm opinionem Witclefi. In craſtino, ſcilicet in vigilia Sanctæ Trinitatis iſte Miles ivit ad Conventum fratrum Prædicatorum in Civitate Londinenſi pro Miſſa audienda, & accidit, quòd audivit Miſſam unius Studentis de Conventu illo, & in elevatione Corporis Chriſti nihil vidit, niſi ſicut prius videre ſolebat, ita quòd firmiter credidit, quod ibi fuit verus panis materialis. In fractione verò Hoſtiæ Miles reſpexit & vidit oculo ſuo corporali in manibus Fratris celebrantis veram carnem crudam & ſangvinolentam diviſam in tres partes; Admirans verò & ſtupefactus vocavit Armigerum ſuum ut ipſe videret, qui tamen nihil vidit, niſi ſicut prius ſolebat; Miles verò in tertia particula ſimiliter, quę in Calicem mitti debuit, vidit eundem colorem albedinis, quæ prius erat, ſed tamen vidit in medio eiuſdem particulæ hoc nomen* IESUS *ſcriptum literis carneis crudis & ſangvineis, quod admirabile erat aſpectu; Et in craſtino in Feſto Sanctæ Trinitatis idem Frater prædicans in Cruce Pauli Sancti pronunciavit iſtud toti populo, & in fine ſermonis idem Miles præſens narravit ore tenus totum proceſſum publicè & apertè ad confirmationem fidei noſtræ, & promiſit ſe ibi pugnaturum & moriturum in cauſa iſta, quòd in Sacramento Altaris eſt verum Corpus Chriſti, & non panis materialis, ut ipſemet prius credidit.*

Interim Archiepiſcopus, ut cæteras quoque Regni Provincias iſtarum hæreſum lue contamminatas penitus expurgaret, Londinenſi Epiſcopo commiſit, ut quamprimùm ceteris Epiſcopis mandatum ſubſequenti forma exequendum iniungeret.

Wilielmus Dei gratia Cantuarienſis Archiepiſcopus totius Angliæ Primas, & Apoſtolicę Sedis Legatus, Venerabili fratri noſtro Domino Roberto Dei gratia Londinenſi Epiſcopo ſalutem & fraternam in Domino Charitatem.

Eccleſiarum Prælati circa gregis Dominici ſibi commiſſi cuſtodiam, eò vigilantius intendere debent, quò lupos intrinſecus ovium veſtimentis indutos ad rapiendum, & diſpergendum oves noverint fraudolentius circuire; Sanè frequenti clamore & divulgata fama, quòd dolentes referimus, ad noſtrum pervenit auditum, quòd licèt ſecundùm canonicas ſanctiones nemo prohibitus vel non miſſus abſque Sedis Apoſtolicæ vel Epiſcopi loci authoritate ſibi officium prędicationis uſurpare debeat publicè vel occultè, quidam tamen æternæ damnationis filij in inſaniam mentis perducti ſub magnæ ſanctitatis velamine authoritatem ſibi vendicant prædicandi, ac nonnullas propoſitiones & concluſiones infraſcriptas hæreticas atque falſas ab Eccleſia Dei damnatas, & determinationibus Eccleſiæ repugnantes, ſtatumque totius Eccleſiæ, noſtræque Provinciæ Cantuarienſis, & tranquilitatem Regni enervare nituntur tam in Eccleſijs, quàm in plateis & quampluribus alijs locis profanis dictæ noſtræ Provinciæ non verentur aſſerere, dogmatizare, & publicè prædicare, illis nonnullos Chriſti fideles inficientes, flebiliter deviare. Nos ita-

itaque attendentes, quòd tam pernicioſum malum; quod ad plurimos ſerpere poterit eorum animas lethali contagione necando, non debeamus, ſicut nec debemus ſub diſimulatione tranſire, ne ſangvis eorum de noſtris manibus requiratur, ſed illud quantum nobis ex alto permittitur extirpare volentes, de quamplurium fratrum Suffraganeorum noſtrorum conſilio & aſſenſu convocavimus plures Sacræ Theologiæ doctores, ac iuris Canonici & civilis profeſſores, & alios Clericos, quos famoſiores & peritiores de Regno credidimus, ut ſuper dictis concluſionibus vota ſua dicerent & ſentirent; Verùm quia præmiſsis concluſionibus & aſſertionibus in noſtra, & eorundem Confratrum noſtrorum ac dictorum convocatorum præſentia patentibus expoſitis & diligenter examinatis, finaliter eſt compertum, noſtroque & eorum omnium communicato conſilio declaratum, quasdam concluſionum illarum hæreticas eſſe, quasdam verò erroneas, atque determinationibus Eccleſiæ repugnantes, prout inferiùs deſcribuntur. Fraternitati veſtræ committimus & mandamus in virtute ſanctæ obedientiæ firmiter iniungentes, quatenus omnibus & ſingulis fratribus noſtris Coepiſcopis noſtris, & Eccleſiæ noſtræ Cantuarienſis Suffraganeis cum ea celeritate qua poteritis iniungetis, prout eis & eorum ſingulis, ac vobis iniungimus, ut eorum ſingulis & Eccleſijs ſuis, & alijs Civitatum ſuarum & Diœceſum, voſque in veſtra & cæteris veſtræ Civitatis & Diœceſis moneant & inhibeant, moneatis & inhibeatis pro ut nos tenore præſentium monemus primò, ſecundò, & tertiò, & diſtrictius inhibemus pro prima monitione unum diem, pro ſecunda alium, & pro tertia monitione canonica ac peremptoria unum alium diem aſsignando, ne quis de cætero cuiuſcunque ſtatus aut conditionis exiſtat, hæreſes ſeù errores

prædictos, vel eorum aliquem teneat, doceat, prædicet ſeù defendat, aut aliquem prohibitum non miſſum, vel alium de cuius poteſtate non conſtiterit ad prædicandum admittat, aut hæreſes aut errores huiusmodi, vel eorum aliquem prædicantem audiat vel auſcultet, ſeù ei faveat vel adhæreat publicè vel occultè, ſed ſtatim tanquam ſerpentem venenum peſtiferum emittentem fugiat & evitet ſub pœna excommunicationis maioris, quam in omnes & ſingulos in hac parte rebelles, & noſtris monitionibus non parentes, lapſis ipſis tribus diebus pro monitione canonica aſsignatis, mora, culpa, & offenſa ſuis præcedentibus & id fieri meritò exigentibus ex nunc pro ut ex tunc ferimus in ijs ſcriptis, & per ſingulos Confratres noſtros & Suffraganeos noſtros in ſuis Civitatibus & Diœceſibus, ac per vos in veſtra Civitate & Diœceſi quatinus ad eos & ad vos pertinet ex abundanti præcipimus fulminari. Dictos noſtros Confratres inſuper omnes & ſingulos per vos hortari volumus & mandamus per aſperſionem Sangvinis Ieſu Chriſti, & ſimiliter vos hortamur, quòd cum iuxta Sacrorum Canonum inſtituta, quilibet eorum in ſuis Civitatibus & Diœceſibus hæreticæ pravitatis Inquiſitor exiſtat; ac in veſtris ſimiliter exiſtatis, de huiusmodi præſumptoribus ſollicitè & diligenter inquirat & inquiratis, ac contra eos & iuxta officij ſui debitum cum effectu procedant, ſimiliter procedatis ad laudem, & honorem nominis Crucifixi & ſalvationem fidei orthodoxæ. Datum in Manerio noſtro de Ottoforde penultimo die Menſis Maij anno Domini 1382. & noſtræ conſecrationis primo.

Dum hæc agerentur, Repygnton, Hereford, & Ayſton, quos, uti diximus, coram venire Archiepiſcopus iuſſerat, Londinum ſecretò pervenerant, ſolùmque die

vige-

vigeſima ſequentis Menſis Iunij palam comparuere, ubi facta primùm proteſtatione, eſse velle humiles ſideles Sanctæ Eccleſiæ filios, fidei confeſsionem ſcriptis expoſuere, qua nonnulla *W*iclefi dogmata falſa fatebantur, & eiurabant, illa verò de Sacramento Altaris dubijs implicatisque verbis ſubdolè aſtruebant; ex quo ipſis imperatum, ut clarè & expreſsè reſponderent. ***An idem panis materialis in numero, qui ante conſecrationem ponitur in Altari, remaneat ſecundùm propriam ſubſtantiam vel naturam poſt conſecrationem in Sacramento Altaris?*** Dixerunt, ſe neſcire pro tunc meliùs reſpondere quàm reſpondebant, ut præfertur in ſcriptis. Moniti iterum primò, ſecundò, & tertiò, ut miſſis ambagibus, quid hac in re ſentirent, plenè ac planè declararent: Nil aliud, quàm, quòd ſcriptis expoſuerant dicere voluerunt; Solùm Ayſton petulanti ſcurrilitate Archiepiſcopo reſpondit: ***Illud verbum*** materialis ***ponas in burſa tua, ſi quam habes.*** Quod tamen placidè tolerans mitiſſimus Paſtor, ut perditas oves ad Chriſti caulas reduceret, octo alios dies ad deliberandum aſſignavit. Ita dimiſſi, ad Lanchaſtrium illius opem imploraturi confugerunt, quos tamen, ut antea *W*iclefum, nullo ſuo patrocinio dignatus, reiecit. Elapſo interim octo dierum ſpatio, Repyngton ſe ſe Archiepiſcopo exhibuit, erroremque agnoſcens humiliter veniam deprecatus eſt, abiuratisque hæreſibus ad ſaniorem mentem rediens conſtantiſsimè poſtea perſeveravit, ita quòd Leiceſtrenſis Cœnobij electus Abbas, indè Lincolnienſis Epiſcopus creatus Catholicæ veritatis acerrimus vindex contra *W*iclefiſtas evaſerit, quem Gregorius XII. Romanus Pontifex tanti Viri meritis vices repenſurus, ſacro Purpuratorum Collegio adſcripſit. Similiter & Ayſton errorem faſſus veniam obtinuit, qui tamen paulò poſt ad vomitum rediens priori-

prioribus longè peiora eructare cæpit, *nec de Magiſtri ſui concluſionibus talibus ſeductivis contentus, immò utique de ſua nova ſubtili adinventione quamplures alias adijcere non erubuit, & ubique in Eccleſijs Regni prædicans, lolium cum tritico ſeminavit*. Hinc captus perpetuoque carceri adiudicatus vitam miſerè finivit.

Nicolaus verò Hereford ne fidem Witclefo datam rumpere convictus cogeretur clam ſe ſubduxit dedecoroſius exiſtimans unius Hæreſiarchæ falſa abiurare, quàm infallibilia Catholicæ Eccleſiæ dogmata abnegare; Verùm quia in Patria ſe parum tutum prævidebat, ne id, quod ſocio Ayſton ſibi quoque accideret, relicta Anglia Romam profectus eſt; ubi obtento ad Summum Pontificem aditu libellum ſuæ fidei jiſdem concluſionibus concinnatum, quas Cantuarienſis Præſul in Londinenſi Synodo reprobaverat, obtulit, obteſtatus, ſe indefenſum feſtinato iudicio in Anglia damnatum, ideoque, *ab itinere longinquioris terræ fatigatum, ut eas veras, & irreprehenſibiles contra quoſcunque cum proteſtatione præhabita ut uſquè ad mortis periclitationem defenderet*. Diſſimulata Pontifex impudentiſſimi hominis procacitate Cardinalibus quibuſdam ſummiſque Theologis libelli propoſitiones citiùs examinari mandavit, quibus diligentiſſimè diſcuſsis, & articulatim diſciſsis, quaſdam hæreticas, nonnullas erroneas anathemate confixit, publicoque decreto promulgavit. Ipſum interim Hereford in carcerem rapi iuſsit, flammiſque ultricibus hæreticum pertinacem tradidiſſet, ni, quia homo Anglus, ſuæ Nationi, quæ præ cæteris ſe legitimum Petri Succeſſorem in cauſa Schiſmatis obſequentiſsimè venerabatur, talis ignominiæ notam inureret. Et quamquam temporis progreſſu nonnulli Principes Viri, ut libertate donaretur, Pon-

tificem

tificem retentatis precibus diù fatigaſſent, nil prorſus obtentum, quàm verba hæc: *Sufficit ei vitam habere, ut animum ſuum pœnitens revocet ab errore*,

Tribus circiter annis ab Hereford in carcere conſumptis, Vrbanus Roma diſcedens Neapolim ſe contulit Carolo Dyrachino de adepto Regno, uti dicebatur, gratulaturus, re tamen vera, ut Butillus nepos Campaniæ Princeps deſignaretur, quòd cum impetrare precibus nequiviſſet, minis utendum ratus, Regem eò iracundiæ induxit, ut adhibitis cuſtodijs eundem per aliquot dies in publicum egredi prohibuerit. Vrbanus re diſsimulata vitandorum æſtuum prætexſtu Nuceriam Paganorum proficiſci bona Regis venia obtinuit, quò perventus firmiſſimis præſidijs communita Vrbe Dyrachinum tanquam Antipapæ Clementis fautorem, ni brevì Apoſtolicæ Sedi ſe humiliter ſubmitteret, anathemate feriendum, Regnoque privandum pronunciavit; Septem deindè Cardinales, qui ipſum comitabantur, in cuſtodiam conijci iubet concepta ſuſpicione, quòd cum Dyrachino ſecretò egiſſent, in ipſiuſque vitam conſpiraſſent. Quæ omnia cum Regi nunciata fuiſſent, adducto ſine mora exercitu, Nuceriam iniurias ulturus obſidione cinxit, Urbanumque in poteſtatem redigiſſet, niſi Raymundus Vrſinus ſelectiſsimo milite ad proximum litus viam aperiens eundem triremibus ad id inſtructis ſecunda navigatione Genuam aſportaſſet. Verùm Pontifex ut animum tam inſperato caſu concuſſum, iraque implacabili occupatum aliqua leniret vindicta, quinque ex ſeptem Cardinalibus, quos ſecum captivos adduxerat, ſaccis involutos inter navigandum mergi mandat, deindè Genuam perventus duobus reliquis capite plexis, eorum cadavera furno incluſa & exſicata magnis hippoperis galero purpureo ornatis inſuta,

ſuta, mulisque impoſita, omnium terrore ſibi quocunque proficiſcenti præire imperavit.

Dum hæc foris ab Vrbano agerentur, graviora Romæ de ipſo in dies evulgabantur. Alij nimiam crudelitatem execrabantur; Alij, quòd invitis Romanis Vrbem occaſione Schiſmatis magnis periculis obnoxiam deſeruiſſet, deteſtabantur; Illi verò qui Pontificem impenſè oderant, rebellionis cantilenam in Vulgi aures crebrò inſuſurrantes, tyrannum, barbarum, inhumanum appellitabant. Quibus alijsque ſimilibus adeò populum inſtigarunt, ut in ſeditionem actus ſumptis armis Pontificis Ædes occiſis cuſtodibus diripuerit, fractis indè carceribus perditorum turbam libertate donaverit, Vrbemque totam rapinis alijsque ſceleribus impleverit. Hoc improviſo eventu benè uſus Hereford è carcere elapſus celeri fuga in Angliam ſe contulit, ubi à ſuis recuperatam libertatem ſingulari Dei beneficio celebrantibus, lætiſſimè acceptus, impudentiori, quàm antea, animoſitate *W*itclefi hæreſes defendere palamque docere cæpit, nefariora novis erroribus in Catholicam Eccleſiam ſine dubio moliturus, niſi Archiepiſcopi iuſſu comprehenſus perpetuis vinculis fuiſſet adſtrictus.

Cap.

Cap. X.

Witcleſus novis Concionatoribus per Leyceſtriam conſti-
tutis, latebris ſe occultat. Hi unà cum Wilielmo
Swinderby Nobilium quorundam patrocinio ubique
liberè concionantur, Sacras Imagines perſequn-
tur. Wilielmus Swinderby Lincolniam citatus
Epiſcopo ſe ſiſtit, de hareſi convictus vivi-
comburio damnatur, liberatus hareſes
eiurat, relapſus Linchfeldiæ comburitur.
Witcleſus Leyceſtrię latebras deſerit,
biennio profugus vagatur, tandem
Lutterworth venit, inter con-
cionandum paralyſi necatur.
Lolardi pro Magiſtri do-
ctrina varia opuſcula
evulgant, Regio di-
plomate prohiben-
tur. Lanchaſtriæ
Dux in Hiſ-
paniam ite-
rum na-
vigat.
Archiepiſcopus Cantuarienſis
Leyceſtriam à Lo-
lardica peſte
expurgat.

DVm Anglicani Præſules ad *W*itcleſi hæreſim de-ſtruendam ſedulò incumberent, eiusdem factio in Leyceſtrenſi pręcipuè Provincia eandem ſtabilire

X conaba-

conabatur. Etenim *W*itclefus cum illuc ab Oxonio perfugiſſet, præter *W*ilielmum Swinderby, de quo ſupra dicebamus, tres alios illi ſocios à concionibus inſtituerat Ioannem Purvey, Richardum *W*ayteſtathe Presbyteros, & *W*ilielmum Smyth hominem laicum, qui Apoſtolicæ paupertatis obtentu in Cleri divitias, & Epiſcoporum opes non ſurdis Vulgi auribus aſſiduè declamantes, concitatis in Romanam Eccleſiam popularium odijs, Magiſtri ſectam promovebant. Verùm *W*itclefus ex alia parte videns, nil ſuis ad Pontificem literis ob ſuſpectam fraudem profeciſſe, immo omnia in ſui perniciem quaquaverſum moliri, capi metuens, nulli, excepto fidiſſimo Purvey, notus, occultè latitabat, quòd per totum quinquennium, quo poſtea vixit, infœliciter continuavit.

Interim ſui Evangelij promulgatoribus non deerant Barones, Comites, Virique militares validiſsimi Protectores Thomas Latymer, Ioannes Truſſell, Ludovicus Clifforde, Ioannes Pecche, Richardus Storij, & Reginaldus de Hylton, qui eorum hæreſes & blasphemias per totam Provinciam vi & armis defenderent; *Cum enim aliquis pſeudo-prædicator*, ſunt verba Knyghton lib. 5. de Event. Angl. *ad partes alicuius iſtorum militum ſe diverteret prædicationis cauſa, incontinenti cum omni promptitudine populum patriæ convocare, & ad certum locum vel Eccleſiam cum ingenti ſollicitudine congregare ſatagebat ad audiendum voces eorum licèt invitos, reſiſtere tamen vel contradicere non audentes, ac ſi cum Propheta clamaret & diceret*: ſi eum audire nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos. *Nam aſſiſtere ſolent iuxta ſic ineptè prædicantes gladio & pelta ſtipati ad eorum defenſionem, ne quis contra eos aut eorum doctrinam blaſphemam aliquid tentare*

vel contradicere quandoque auderet. Quibus præſidijs ſecuriores facti, non ſolùm per ſummam licentiam quidquid luberet garriendi facultatem ſibi vindicabant, ſed inaudita temeritate in quoddam Sacellum extrà Vrbem propè manſionem leproſorum divo Ioanni Baptiſtæ Sacrum ſe ſe intruſerunt, ubi firmato domicilio, locum Divino cultui à Maioribus dicatum infandis ſceleribus profanarunt. Horum duo Richardus *W*ayteſtathe, & *W*ilielmus Smyth qui ob corporis deformitatem à quaddam puella, quam extrema amoris linea in Uxorem ardentiſsimè percupierat, deſpectus, in tantam ſanctimoniæ oſtentationem proruperat, ut abdicatis mundanis illecebris nudis pedibus incedens à popularibus illis ſumma veneratione coleretur; cum igitur quoddam die in dicto Sacello unà diverſarentur, nec præter crudas braſsicas ingruente fame, quidquam, quo ſatiarentur, haberent, de modo eas coquendi deficientibus lignis maximè angebantur: Alter, qui locum accuratioribus oculis percurrerat, viſa pervetuſta divæ Catharinæ lignea imagine, *En*, exclamavit, *mi cariſſime Soci iam Deus nobis providit de focali pro caulibus noſtris coquendis, ut eſuriem noſtram ſatiemus: Hæc Sancta imago certè iam erit nobis focale ſanctum, & ſic per ſecurim & ignem novum patietur martyrium, ſi fortè per immanitatem novorum tormentorum venire aliquando poterit ad Regnum Cælorum*. Ad hæc Smyth arrepta ſtatim ſecuri, *ſine*, inquit, *experiamur certè utrum hæc vera ſancta ſit; Nam ſi capite percuſſa ſangvinem emittat amodò à nobis ut ſancta adoranda erit, ſi autem ſangvinem non eliciat cibus erit ignis noſtris coquendis oleribus*. Qua ſacrilega irriſione huius Divæ imagine combuſta, aliorum quoque Sanctorum tabulas, quæ inibi reperiebantur pari impietate conſumpſerunt.

Dum igitur iſti duo Iconoclaſtæ ſacras Imagines ferro & igne perſequebantur, alius eorum ſocius *W*ilielmus Swinderby illas veluti gentium Idola omnino deſtruendas è ſuggeſtu detonabat, gentemque illam ad immane facinus ultrò perſuaſerat, eò quod naturali quadam præditus facundia idiotarum auribus ſatis accommoda, tantam fidem ſibi comparaverat, ut quoties concionantem audirent una voce conclamarent, *ſe nunquam audiviſſe & vidiſſe talem, qui veritatem eis exponeret*; Ioannes Bukyngamus Lincolnienſis Epiſcopus increſcenti malo occurrere ſatagens, miſsis literis, quas Eccleſiarum Præpoſitis, ut in maiori populi frequentia ſine mora publicarent, ſtrictiſsimè iuſſerat, prohibuit, ne amplius concionari auderet, ſimulque inhibuit ſub anathematis pœna, ne quis in poſterum eundem audire, vel concionanti ſavere præſumeret. Evulgatis ubique Eccleſiarum Epiſcopi literis *W*ilielmi ſocij inſidiarum concepto metu quàm citiſsimè loco ceſſere; E contra ille ſociorum timorem irridens extrà memoratum Sancti Ioannis Sacellum, lapidibus ſaxiſque in cumulum congeſtis, ſuggeſtum paravit, populoque convocato mordaciſsimis iocis in Epiſcopum debacchari cæpit, verbiſque ſæpius repetitis: *poſſum & volo in ſtrata regia invitis dentibus Epiſcopi prædicare dum tamen benevolentiam populi obtineo*, Epiſcopalem dignitatem deridendam præbebat. Epiſcopus reſcita hominis pervicacia datis iterum literis, ad dicendam cauſam quamprimum Lincolniam accedere iubet, qui populi favore fidens, Epiſcopi mandatis impavidè paruit, multiſque comitantibus, ope, ſi occurreret, prius pollicita, alacri animo itineri ſe dedit, ſtatoque die coram Epiſcopo comparuit. Perquiſitores ad rem deputati illicò canonicam purgationem ſuper hæreſes, quas per Leyceſtriam docuerat, indixerunt,

monentes ut errores revocaret Sanctæque Eccleſiæ iudicium humiliter ſubiret. Nihil ad hæc reſpondit *Wi*lielmus, ſed ſolùm hæſitantibus verbis petijt, ſibi in re tanti momenti deliberandi ſpatium permitti, quod ab Epiſcopo fuit illi perbenignè conceſſum. Poſt aliquot dies iterum evocatus, aſſertas hæreſes ipſo audiente recitari Epiſcopus iuſſit; Quibus perlectis, interrogatus, eſſent ne eædem ipſæ propoſitiones, quas inter concionandum edocuerat! Negavit audacter ſe unquam talia prędicaſse, ſed puram veritatem, uti è Scriptura hauſerat ſuis concionibus docuiſse; addens, ſe nunquam contumacem futurum, immo omnia libentiſſimè revocaturum, dummodo ea, de quibus imputabatur, publicè aſſeruiſse, foret convictus. Tunc Rogerus de Frysby Ordinis minorum, Ioannes de Hymkaley Auguſtinianus, & Thomas de Blacſton Ordinis Prædicatorum ſacræ Paginæ Profeſſores, qui de orthodoxa Religione ſolliciti, libellum contra hæreticum Epiſcopo dedere, productis teſtibus in forma iuris ex abundanti probarunt, quod præfractè ab hæretico denegabatur. Tali modo convictus denuò monetur errores fateri veniamque petere, quod obfirmato animo renuens, ac in propria pervicacia perſeverans, Epiſcopus & Perquiſitores pro Tribunali ſedentes pronunciata ſententia eundem publicè comburendum decrevere. Hinc in miſeras quęrelas & lamenta, qui ipſum comitati fuerant erumpentes, Lanchaſtrium, qui caſu Lincolniæ morabatur, quàm celerrimè adeunt, & ad eius pedes provoluti potentiſſimum patrocinium lachrymis exorant, ne eorum conterraneus ad tam immane infameque ſupplicium raperetur; Lanchaſtrius ad tuendam Lolardicam ſectam perfacilis è veſtigio Epiſcopum convenit, qui tanti Principis authoritate precibusque permotus, hæretico iam hæreſes confitenti, & humillimè veniam obſecranti,

ti, pœnam miſericorditer remiſit ſalutari tantùm pœnitentia impoſita, *quòd in quibuscunque Eccleſijs tales concluſiones prædicaverat, publicè diebus Feſtis inter Miſſarum ſolemnia elevata voce recognoſceret ſe falſa prædicaſse & docuiſſe, & hæreſes atque errores quos prædicaverat, & ſuper eis convictus fuerat, revocaret, aſſerens, determinationibus Sanctæ Matris Eccleſiæ & Sanctorum Doctorum repugnare &c.* Quæ omnia primùm Lincolniæ in Eccleſia Cathedrali exequtus eſt, deinde Leyceſtriæ in Eccleſijs Sanctæ Crucis, Sanctæ Margaritæ, Nouæ Hoſpitalitatis, Sanctique Ioannis Sacello, alijsque locis in quibus conciones habuerat, ſemper ad id incumbente Stephano de Syresham Vicario de Barowe Epiſcopi Sequeſtratore, magna animi demiſſione peregit ſub hac forma.

Ego *W*ilielmus Swinderby Presbyter licèt indignus Lincolnienſis Diœceſis cognoſcens veram Catholicam & Apoſtolicam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ fidem, omnem hæreſim & errorem determinationi Sanctæ Matris Eccleſiæ repugnantem, de quibus hactenus infamatus, & præſertim concluſiones, ac articulos per Commiſſarios Reverendi in Chriſto Patris Domini mei Lincolnienſis Epiſcopi iudicialiter mihi obiectas abiuro, & omnes ac quamlibet earundem revoco aliquas ut hæreticas, & aliquas ut erroneas atque falſas, & tales eas aſſero atque credo, & nullam earum de cætero prædicabo, docebo, vel affirmabo publicè vel occultè. Nec ſermonem faciam ad populum, nec prædicabo in poſterum infrà Diœceſim Lincolnienſem, niſi licentia Reverendi Patris & Domini mei Lincolnienſis Epiſcopi petita primitùs & obtenta: Quòd ſi ego ipſe aliquando contra hæc aliquid ſentire, facere, aſſerere, ſeù prædicare præſumpſero, ſeveritati canonum ſubiacebo, prout iudicialiter

aliter

aliter iuris neceſſitati iuravi & nunc iuro &c.

His ita peractis Leyceſtriæ morari iuſſus, cum ſe in dies negligi, nec ampliùs à popularibus illa, qua antea, veneratione proſequi, videret, meditata fuga Coventriam Varvicenſis Comitatus Urbem clanculum profectus eſt, ubi quorundam patrocinio per annum circiter moratus Vrbem illam Lolardica lue pariter infeciſſet, niſi re detecta ab amicis commonefactus è loco furtim ſe proripuiſſet. Hac etiam vice elapſus, aliquot annis finitimas Provincias pervagando conſumptis, tandem anno 1401. Lichfeldiæ Staffordienſis Comitatus Urbe captus incendij ſupplicijs pro ſua hæreſi pertinaciter ſuccubens ſpectante populo fuit exuſtus.

Interea Ioannes Purvey poſt relictum Wilielmum, alijs quoque ſocijs vale dicto ſolus ad Witcleſum in illius Diœceſis finibus tunc latitantem ſe contulit omnia quæ acciderant nunciaturus. Witcleſus inopinato adventu, & ob rerum minimè ex voto ſuccedentium narrationem, mente ſuſpenſus, longiùs ſecedere tutiùs exiſtimavit, quod ſtatim cum dilectiſsimo Purvey, qui ut ſcribit Knyghton, *uſque ad mortis metas comes individuus ipſum cum doctrinis & opinionibus ſuis comitabatur indefeſſè laborans*, Lincolnienſem Diœceſim deſerens, exequtus eſt. Ferè per biennium extra Provinciam profugus cum pervagaſſet infirma valetudine ſenioque preſſus Lutherwortum currente anno 1387. remigrare conſtituit, ubi magno ſilentio in propria Patrœcia per menſes aliquot delituit. Verùm cum inteſtinam rabiem, & odium in Romanam Eccleſiam diù cohibere haud valuiſſet, publicato prius ſui in patriam reditu, die Divo Thomæ Archiepiſcopo Cantuarienſi ſacro Suggeſtum magna populi frequentia conſcendit, ſuaſque hæreſes & blaſphemias pro more effundere paratus, iuſto Dei judicio ſubita paralyſi raptus, ore ad

horro-

horrorem diſtorto lingvaque ultra modum incraſceſſente, quæ amplius loqui prohibuit, ultimo anni die extremum vitæ ſpiritum exhalavit. Corpus in ipſa Eccleſia cuius Rector erat fuit ſepultum, donec anno 1428. & ab ipſius morte quadrageſimo primo Conſtantienſis Concilij decreto exhumatum, combuſtum fuit, ut habetur tom. 12. Concil. Lab. ſeſ. 8. *Inſuper quia authoritate &c.* propè finem: *Hæc Sancta Synodus declarat, definit, & ſententiat eundem Ioannem Witclef fuiſſe notorium hæreticum pertinacem, ac in hæreſi deceſsiſſe, anathematizando ipſum pariter & ſuam memoriam condemnando, decernitque & ordinat, corpus & eius oſſa* (ſi ab alijs fidelibus corporibus diſcerni poſsint) *exhumari, & procul ab Eccleſia ſepultura iactari ſecundùm canonicas, & legitimas ſanctiones.* Quòd autem eius oſſa fuerint combuſta, cineresque in flumen proiecti, quamvis Concilium exhumari duntaxat iuſſerit & extra Eccleſiam proici, ultra quamplurimos Scriptores teſtem omni exceptione maiorem Waldenſem habemus tom. 3. cap. 137. pag. 247. num. 3. ita ſcribentem: *Hoc faciat modo ſepulchrum profanum Witclef vel alicuius complicis eius; ſed ultrices flammæ ſacris ſententijs obedientes, Epiſcopi vile cadaver præiudicaverunt ad inferos, et flumina cineres abſorbebant.*

Mortuo Witclefo, ſuarum quoque hæreſum peſtis cum penitus extincta putaretur, Sectarij qui iam per Regnum diſpertiti erant, quique, præſertim Oxonij hac eadem lue licèt occultè poluti, inter Academicos numerabantur, varios libellos latino, patrioque idiomate exaratos tanta copia diſſeminarunt, ut per mulierculaꝛum aliorumque ex infima plebe artificum manus citiſsimè volitantes, in omnibus officinis & tabernis

nis novæ quotidie de rebus fidei diſputationes contra Catholicos petulantiſſimè inirentur: Ab aliquibus *W*itclefi doctrina veluti è Cœlo ad animarum ſalutem demiſsa ſummis laudibus efferebatur; alij hominem pium à Deo electum deprædicabant; alij verum Iesu Chriſti Apoſtolum appellitantes, quatuor menſium ſpatio novarum in re Catholica turbarum excitata ubique initia audiebantur. Epiſcopi, quibus magnam tranquillitatis ſpem Hæretici mors attulerat, cum omnia in peius potius prolabi cernerent, in Comitijs apud *W*eſtmonaſterium tunc habitis Regem Regnique Proceres ſanctiſſimè admonent, ut recrudeſcenti malo Regia authoritate maturè occurrant, minimeque per ignaviam, vel conniventiam amplius alendam hæreſim, ne poſtea cum volitum haud poſſet iam adulta coerceri. Quæ Præſulum monita cum omnium votis ſummoque zelo recepta fuiſſent, Rex quamprimum exequenda ſequenti diplomate ſanciuit.

Richardus Dei gratia Rex Angliæ & Franciæ & Dominus Hiberniæ dilectis ſibi Magiſtro Thomæ Bryghtwell in Theologia Doctori Decano Collegij Novi operis Leyceſtriæ, & *W*ilielmo Cheſulden Præbendario Præbendæ eiusdem Collegij, ac dilectis & fidelibus noſtris Richardo de Barowe Chivaler, & Roberto Langham ſalutem.

Quia ex inſinuatione credibili certitudinaliter informatur, quòd ex inſana doctrina Magiſtrorum Ioannis *W*itclef dum vixit, Nicolai Hereford, Ioannis Ayſton & ſuorum

ſequacium, quamplures libri, libelli, ſchedulæ & quaterni hæreſes & errores manifeſtos continentes in Fidei Catholicæ læſionem, & ſacræ Doctrinæ derogationem expreſſè & palam, & notoriè redundantes frequentius compilantur, publicantur, communicantur, tam in anglico quàm in latino, ac deindè opiniones nefariæ ſacræ doctrinæ contrariantes oriuntur & acreſcunt, ac manutenentur & prædicantur damnabiliter & iniquè in fidei Orthodoxæ enervationem, Eccleſiæque ſanctæ ſubuerſionem, & ex conſequenti, quòd abſit, quamplurium incredulitatem, eorumque animarum periculum manifeſtum: Nos zelo fidei Catholicæ, cuius ſumus & eſſe volumus defenſores in omnibus ut tenemur, moti ſalubriter & inducti, nolentes huiuſmodi hæreſes aut errores infra terminos noſtræ poteſtatis quatenus poterimus oriri ſeù quomodolibet pullulare; Aſignamus vos coniunctim & diviſim ad omnes & ſingulos libros, libellos, ſchedulas, & quaternos huiusmodi doctrinam Ioannis, Nicolai, Ioannis & ſociorum ſequacium, ſeù opinionem aliquam minus ſanam continentes ubicunque, & in quorumcunque manibus, poſſeſſione ſeù cuſtodia inveniri poterunt infra libertates vel extra inveſtigandos, capiendos, & areſtandos, & penes Conſilium noſtrum cum omni celeritate poſſibili deferri faciendos, ut tunc ibidem de eiſdem ordinare valeamus prout de auiſamento Conſilij noſtri prædicti fore videbimus faciendum; Ac etiam ad proclamandum, & ex parte noſtra firmiter inhibendum, ne quis cuiuſcunque ſtatus, gradus, ſeù conditionis fuerit ſub pœna impriſonamenti, & forisfactura omnium, quæ nobis foriſfacere poterit, aliquas huiusmodi pravas & nefarias opiniones manutenere, docere, pertinaciterque defendere clam vel palam, ſeù huiuſmodi libros, libellos ſchedulas, & qua-

& quaternos detinere, ſcribere, vel ſcribi facere, aut emere, vel vendere præſumat quovis modo, ſed omnes & ſingulos huiuſmodi libros, libellos, ſchedulas & quaternos ſecum habitos & inventos ad mandatum veſtrum vobis reddat, ſeù reddi faciat indilatè & ad omnes illos, quos poſt proclamationem & inhibitionem prædictas contrarium inveneritis facientes, & huiusmodi nefarias opiniones manutenentes coram vobis præfato Thoma, & Wilielmo evocandos & diligenter examinandos & cum indè legitimè convicti fuerint per miniſtros noſtros proximis priſonis committendos, in eisdem detinendos quouſque à ſuis erroribus, hæreſibus, & pravis opinionibus reſipiſcant, ſeù nos pro deliberatione eorundem aliter duxerimus ordinandum; Et ideò vobis mandamus, quòd circa præmiſſa omni diligentia, & efficacia intendatis, & ea faciatis, & exequamini in forma prædicta. Damus autem tam vniverſis & ſingulis Viris Eccleſiaſticis, quàm Vicecomitibus, Maioribus, Ballivis, Miniſtris & alijs fidelibus & ſubditis noſtris tam infra libertates, quàm extra tenore præſentium fiirmiter in mandatis, quòd vobis & cuilibet veſtrum in præmiſsis faciendis, aſsiſtentes ſint conſulentes & auxiliantes pro ut decet. In cuius rei teſtimonium has literas noſtras fieri fecimus patentes.

Teſte me ipſo apud Weſtmonaſterium XXIII. die Maij Anno Regni noſtri undecimo – *Qui erat annus* 1388.

Hoc Regis diploma per omnes Regni partes divulgatum Witclefiſtarum & Lolardorum loquacitatem aliquantulum repreſſit, maximè tamen terruit, cum ex ſui Protectoris ab Anglia diſceſſu omni ſe defenſione deſtitutos conſpicerent; Dimiſsis enim Comitijs Lanchaſtrius cum Uxóre Conſtantia & filia Catharina ingenti claſſe & apparatu, Caſtellæ Regni potiundi, in Hiſpaniam navi-

navigaverat; Cauſam habebat ab Uxore Conſtantia Petri Regis Caſtellæ ab Henrico fratre notho interfecti filia, cui hæreditario iure Regnum debebatur. Ioannes Henrici filius qui tunc Regnum obtinebat, de Lanchaſtrij adventu certior factus loca debiliora muniri imperat, Alvarumque Perreſeum Virum bello illuſtrem cum ſexcentis equitibus & magno peditum numero ad fines tuendos ſine mora mittit. Lanchaſtrius iam è navibus eductos milites brevi oratione ad pugnam hortatus eſt, agmineque compoſito in hoſtem fortiter irruens facili negotio fugat ſuperatque. Caſtellæ Rex de ſuorum fuga ac clade habito nuntio, victoriſque Lanchaſtrij fortuna perterritus, ea, quæ pacis ſunt, impetrare curat, exhibitis per Legatos conditionibus, quòd Lanchaſtrius filiam Catharinam Henrico filio nuptui daret, ſeque ab omni præſumpto iure regnandi removeret. Contra: Rex Catharinam dotaret, matrique Conſtantiæ in ſingulos annos aureorum vicena millia penderet, ipſi verò Lanchaſtrio pro impenſis in id bellum factis aureorum tercentena millia ſolveret. Quibus utrinque acceptis, nuptijſque magna pompa celebratis Lanchaſtrius cum uxore Conſtantia tribus & decem menſibus conſumptis in patriam remeavit.

Infra id temporis abſentiæ Lanchaſtrij accuratiſsima in Lolardos fuit habita perquiſitio, qua in omnes apud quos *Witcleſi* ſcripta, vel ab ipſis compoſita opuſcula reperiebantur carcere, exilio, bonorum publicatione alijſque pœnis ſeveriſſimè animadvertebatur; Verùm Lanchaſtrij in Angliam redditus Quæſitoribus, Regijſque miniſtris, ne ulterius agerent, impedimento fuit, ex quo factum eſt, ut Lolardi Principis fovore meliora experiri incipientes, nefariora in rem catholicam, maximè in Leyceſtrenſi Comitatu, ubi *Witcleſi* lolium radices altiùs defixerat, in dies machinarentur; Ibi enim

à Iao-

à Joanne Purvey, Richardo *W*ayteſtathe, & *W*ilielmo Smyt, qui excuſſo Perquiſitorum metu in patriam redierant, excitato paulatim ſuis concionibus tumultu, omnia iterum commiſceri inceperant atque perturbari. *W*ilielmus Courtenay Cantuarienſis Archiepiſcopus, qui ad omnes Lolardorum motus intentiſſimus erat, cum de his omnibus à Ioanne Buckingamio Lincolnienſi Epiſcopo monitus fuiſſet, ipſemet è veſtigio exeunte Octobri anni 1389 Lincolniam proficiſcitur, deinde calendis Novembris Leyceſtriam unà cum Buckingamio ſe contulit, ubi hora veſperarum eiuſdem diei in maiori Eccleſia Pontificalibus indutus convocato Clero, ac in ſingulorum manibus facibus accenſis, Nolarum ſonitu, funebri pompa Ioannem *W*itclefum impium Hæreſiarcham ſacro igne fulguritum pronunciavit, eiuſque doctrinam fidei orthodoxæ contrariam coram frequentiſſimo populo anathemate confixit. Poſtero die commemorationi omnium fidelium defunctorum dicato, quosdam pariter Lolardicæ impietatis Magiſtros, qui patrium præcipuè ſolum *W*itclefi delirijs infarſierant fidelium communione privavit, ipſisque per nomina citatis comminatus eſt, ſe pœnis Regio diplomate contentis omni ſecluſa clementia in eorum perfidiam fore animadverſurum ſi in hæreſi contumaciter perduraſſent.

Ad hanc anathematis ſententiam & tam minacis citationis formam corruerunt miſeri Lolardi, & veluti repentino fulminis fragore obſtupefacti diriguere, tantusque terror in eorum animis irruit, ut quamplurimi, ne irati Præſulis iuſtiſſimæ ſeveritati ſuccumberent ad ipſius pedes provoluti, propriam inſcitiam veritatis ſpecie deceptam excuſantes, veniam peterent, quos bonus Paſtor paterna charitate complectens, eorum prius in deſerenda Maiorum fide exprobrata facilitate, mandavit, ut

ut tantum nefas publica pœnitentia diluerent, nempe, quòd die Sabbathi proximè ſequenti, lineis veſtibus induti, manibusque Cruces ferentes Leyceſtrenſe Forum circumirent; Quod cum omnes ſumma humilitate peregiſsent, anathemate ſolutos Sanctæ Eccleſiæ reconciliavit. Cæterum ex Sectæ Magiſtris ſolus *W*ilielmus Smyth homo laicus, de quo ſuperiùs plura diximus, comparuit, omnesque libros quos per annos octo, ut fatebatur, contra Eccleſiam ſcripſerat, Archiepiſcopo tradidit, ſeque ad omnes pœnas ſuis dignas ſceleribus ſubeundas verè pœnitens exhibuit: Poſt aliquot dies eiuratis iuxta Eccleſiaſticas ſanctiones erroribus, librisque coram populo combuſtis, iuſſus eſt, veſte alba pariter indui, Crucemque in dextera, in altera divæ Catharinæ imaginem, eò quòd ſimilem ſacrilegè incenderat, tenere, ac die Dominico non ſolùm Urbis Forum, ſicut cæteri, ſed inſuper Cœmeterium Eccleſiæ divæ Margaritæ bis, & iterum circumire; quibus omnibus incredibili animi demiſsione obtemperans, omnium Catholicorum lætitia pœnitentiam implevit, Eius ſocij Ioannes Purvey, & Richardus *W*ayteſtathe Presbyteri celebriores ſectæ Concionatores ac Magiſtri capta fuga patriam deſeruere. Archiepiſcopus his Leyceſtriæ peractis reſumpto itinere Northamtoniam venit, ubi quamdam fœminam nomine Matildam, quę anachoreticam profitebatur, diuque ſanctitatis fuco in propaganda Lolardica ſcabie profecerat, ad bonam frugem redegit, aliosque plurimos eadem peſte tactos ad ſanitatem reduxit; tandem perluſtrata Provincia, ſimulque ab agro Dominico, lolio, quod malus homo *W*itclefus ſuperſeminaverat, revulſo, ad proprias ſedes ſe recepit.

Cap.

Cap. XI.

Witcleſiſta Londini hactenus occulti ſe produnt. Eorum Cœtus ac Vigiliç exponuntur. Inſigne teſtimonium Plinij Proconſulis de ſacris veterum Chriſtianorum Vigilijs, earundem Ritus ſemper in Catholica Eccleſia ſervatus. Lolardi tumultuantes ſchedas minarum plenas Eccleſijs affigunt. Richardus Rex Lanchaſtrium pro componenda pace cum Gallis in Ambianos mittit, poſt eius reditum Comitia convocat. Lolardi, libello ſupplici rogata, Senatus decreto, obtinent. Lanchaſtrius Aquitaniæ Principatu à Rege donatus illuc proficiſcitur: Ab Aquitanis reiectus Londinum revertitur.

CVm rumor de compreſsa in Lincolnienſi Diœceſi à Courtoneio Lolardorum pervicacia Londinum perveniſset, tanta commotio repentè ſequuta eſt, ut planè tota Urbs eorundem partibus addicta videretur; Hæc equidem peſtis occultè diuque

diuque ſerpens ita invaluerat, quòd ultra Laicorum hominum, ac fœminarum multitudinem, cuiuſcunque etiam Ordinis Religioſos magno numero infecerat, quod alia occaſione indicat *W*aldenſis tom. 1. pag. 523. his verbis: *Verè enim deſcriptio prædicta ex intentione ſancti Pontificis, fratribus ordinis Witcleſi, Monachis refugis, Canonicis temeratis, Religioſis apoſtatis optimè congruit &c.* Nec mirum videri debet, in Regia etiam Urbe tam fœcundè propagatam, nam à Sectæ Promotoribus duo maximè adhibebantur incitamenta, quibus ad avaritiam vel libidinem proni magna facilitate alliciebantur, aurum ſcilicet & improba Venus. Statis ſiquidem diebus præcipuè Dominicis, Conventus quoſdam habere ſolebant, in quibus ſolito Evangelicæ libertatis pretextu novis inſtitutis ſacroſancta Myſteria violantes, Chriſti Sacramenta, ſuæque Eccleſiæ Ritus ſacrilega temeritate profanabant ab *W*itcleſo edocti, qui concluſione vigeſima prima ſcripſerat: *Utile foret Eccleſia poni in priſtina libertate, & ſic ceſſarent Miſſarum ſolemnia ſuperaddita & orationes, & cum horis canonicis adinventa.* Poſtea collectæ fiebant, tantaque liberalitate pecunia erogabatur, ut ingenti conflato theſauro, qui ſcriptis vel concionibus in promovenda hæreſi operam ſe daturos promitterent, magna mercede donarentur, ut narrat *W*aldenſis tom. cit. pag. 370. *Quid refert dicere ſpolia quæ collectarum vice exercent in privatis ſuis conciliabulis unde Sacerdotes ſuos hæreticos ad prædicandum larga ſtipe conducunt? Adhuc ſuperſtes eſt Paſtor quidam grandis localis Eccleſiæ, cui quidam Præpoſitus Lolardorum decem librarum*, nempe ſterlingarum, *ſtipendium obtulit, ut in prædicatione ſua per terras uno anno ſudaret. Adhuc de memoria hominum non ex-*

cedit

cedit magnus ille theſaurus publicè in magna ciſta quaſi fiſco repoſitus & collectus Londini. Et pag. 503. *Quòd collectas facientes in ſuis Scholis per Dominicas titulo pauperum, conducunt ſibi Evangeliſtas magno pretio, & defraudant egenos*. Item pag. 531. *Sicut etiam certitudo probat moderna, quia Lolardus Sacerdos uſque ad ſexaginta aureos annuatim conducitur*. Qua quidem eſca ex Religioſis potiſſimum capti, quamplurimi Lolardicæ ſectæ nomina dabant. Hæ porro & ſimilia ad initiandorum inſtitutionem & diſciplinam veluti ſpectantia interdiù tantummodo agebantur; quæ autem magis arcana & ſacratiora habebant noctu ſuiſque Vigilijs celebrabant, quæ tametſi referre pudeat tam ſordida erant & propudioſa, attamen ne in horum hominum odium falſa dicere videar, aliqua nocturnorum illorum Cœtuum lineamenta *W*aldenſis teſtimonio ſpectanda proponam.

Nox igitur, quæ ad arcanum hoc Sodalitium deſtinata erat per tacitos nuntios omnibus Symmiſtis indicebatur, qui occultantibus tenebris in quaſdam domos per loca abditiora Urbis & remotiora poſitas conveniebant, ubi Viris fœminiſque ad numerum congregatis, brevis à Myſtagogo habebatur conciuncula pravis ſacræ Scripturæ conſarcinata interpretamentis, quibus promiſcuam venerem licitam, immo ſacris literis imperatam, animis ad has turpitudines aliàs proiectiſſimis facili negotio perſuadebatur. Peracta concione, extinctis momento luminibus tanquam lutulenti ſues in omnium libidinum cœno ſe ſe volutantes, etiam dictu pudenda veluti ſacra peragebant; quas impuritates ipſemet *W*aldenſis exprobrat tom. 3. pag. 257. his verbis: *Sed ubi agunt ipſi cœtus & quò conveniunt? nonne in Domo? immo, ſed non in*

Domo Patris, quia fecerunt illam ſpeleam, & ſpeluncam inſtar latronum gentilium, quò nocte pluſquam die conveniunt. In angulis Civitatum ubi (ut ferunt qui ab ipſorum pravitate, ut quadam fœmina honeſta difugiant) turpis & caca ſit ſexus commiſtio ſub extincta lucerna, & à præceptore ſuo diſcunt in tenebris & verba tenebrarum & opera. Re autem vera, ſi domos non habent accommodas, ſpeluncas quærunt & foueas, ut ſe verè probent Chriſto contrarios, qui in tenebris aut in occulto loqutus eſt nihil, ſed in templo quo omnes conveniunt, ita ſi eius diſcipulos ſe probarent, in planis Eccleſijs, quò omnes conveniunt, prædicarent, & nihil in antris vulpinis & foveis. Et paulò poſt: *Et non relinquentur eis domus niſi deſerta in finibus vicorum, quaſi vetuſta horrea, qua plerunque deprehenſi ſunt ingredi per feneſtras, ut oſtia clauſa & aranearum telis quodammodo ſigillata, omnem ſuſpicionem illic denegarent hoſpitum.* Et pag. 268. *Qualiter Lolardi procurare ſolent in vicorum confinio tuguria deſolata* magiſtri doctrinam ſequentes, qui Tractatu primo de Sermone Domini in monte cap. 6. ſcripſit: *Chriſtus videtur parum curari de templi ædificio ſumptuoſo, & ſic de Baſilicis ab hypocritis in Eccleſia introductis.* Et Tractatu ſecundo cap. 16. *Habent obſervantias hypocriticas ut cantum in medijs noctibus.* Item cap. 65. *Patet quàm levis evidentia eſt, in medio noctis ſurgere & dicere matutinas modo quo Religioſi noſtri priviati faciunt.* Et paulò infra: *Nam ex cautela Diaboli ſunt in talibus iudaizationibus plus Iudæis perfidis profundati.* Quid ineptius effutiri potuit ab homine inſano & blaſphemo hæretico? Chriſtum parum, curari de templis & Baſilicis? Pias

Reli-

Religioſorum Vigilias iudaizationes eſſe & obſervantias hypocriticas? Cum utriuſque Teſtamenti ſacræ Paginæ, ſanctorumque Patrum monimenta contrarium apertiſſimè aſtruant. Diabolo potius plurimum curæ fuiſſe, immo ſummè delectatum de latebroſis Witcleſiſtarum & Lolardorum volutabris, ſordidiſque eorum Vigilijs, in quibus *cæca ſexuum commiſtione* beſtiarum more tam turpia & nefanda perpetrabantur, ut effractis etiam naturæ repagulis pater filiam, filius matrem, frater ſororem inceſta contagione violarent. Quos quidem nefarios Ritus ultimis temporibus apud quoſdam Lutheranicæ ſobolis infames hæreticos pariter viguiſſe tradit Ræmundus lib. 2. Hiſt. memorabilis cap. 6. num. 2. *Hi apud Germanos appellantur* Freygeiſter *ideſt libertini ſpiritus, docentque, quamcunque fœminam à quocunque Viro ſuæ religionis rogatam, ſui copiam facere debere, ut ſi ille dicat*: ſpiritus meus concupiſcit carnem tuam, *ſtatim illa reſpondeat*, veni ergo & faciamus mirabilia. Et paulò inferius: *Poſt preces peractas diligenter reſpiciebant, an quis ipſorum Sectæ non particeps cœtui intereſſet. Mox extinctis luminibus quiſque quam vellet arripiebat cumque ea libidinem explebat; ubi ſæpè quę forma cęteris eſſent præſtantiores in magnis erant anguſtijs, procis tanquam de Helena inter ſe contendentibus, & in tanta obſcuritate & tenebris congreſſus fiebant nefarij & inceſtuoſi*. Item capite 16. numero 6. de alijs ſcribens ait: *Sunt quoque Fraticelli qui Ieſu Chriſti infantes ſe iactant; Infames hæretici qui brutorum more in Synagogis ſuis extinctis candelis promiſcuè concumbunt*. Et quod execrabilius eſt planeque impium, Evangelicam puritatem plenis buccis oſtentant, ſeque ſolos primitivæ Eccleſiæ ſimplicitatem imitari ſimul-

que proſequi intolerabiliter gloriantur. Sed audiant & erubeſcant ſi qui ſunt adhuc Lolardici Elpenores, vel aliqua eorum immunda propago, hominem ethnicum Plinium Bithyniæ Proconſulem de Chriſtianorum Cœtibus ac Vigilijs Traiano Principi ſcribentem: *Adfirmabant autem, hanc fuiſſe ſummam vel culpa ſua vel erroris, quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem: Seque Sacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati denegarent.* Quibus Plinij verbis perſpicuum fit, quanam puritate qualive ſimplicitate veteres illi primævæ Eccleſiæ Chriſtiani ſuas Hetærias ac Vigilias egerint. Convenire ſiquidem ſolebant, ut ſacris Myſterijs intereſsent, divinisque laudibus Chriſtum Dominum verum Deum celebrarent, & hoc *ante lucem*, ut tanti ſacrificij dignitati propriæque incolumitati proſpicerent, inviolabilis ſilentij fidem ſervantes, ne in notitiam perſequentium Gentilium inciderent, eorumque ſævitiæ ſuccumberent. Qui mos de Miſsis nocturnis etiam reddita Eccleſiæ pace per longa ſubſequentia tempora in feſtis ſolemnioribus apud Catholicos perduravit, quouſque iuſtis de cauſis abrogata conſuetudine ea ſolùm permanſerit, quæ in nocte Nativitatis Domini ubique peragitur, ut eruditiſsimè docet Eminentiſsimus Bona lib. 1. Rerum liturgicarum cap. 21.

Cæterùm Vigiliæ pro Divinis laudibus, & pſalmodijs, quas noſter Waldenſis contra Witclefum ſolidiſsimè defendit, diu in Romana Catholica Eccleſia viguerunt, quouſque frigeſcente charitate quoad Laicos ſublatæ fuerint, quò verò ad Religioſos nunquam intermiſſas, immo & hodie in Monaſterijs præſertim ſtrictioris obſervan-

ſervantiæ inviolabiliter continuari & res notiſsima eſt; & idem Eminentiſsimus Scriptor fusè demonſtrat capite quarto de Divina Pſalmodia: Quod etiam ingenuè fatetur Auguſtus Buchnerus in notis Plinianis ad epiſtolam de Chriſtianis pag. 714. numero primo: *Sed ante lucem ait, ideſt noctu. Tunc enim ad lumina vetuſtiſsimi Chriſtiani conveniebant, & ſacra ſua celebrabant Paganorum metu. Et inde eſt, quod hodieque non modò nocturnæ preces in quibuſdam locis maneant, verùm ad lumina etiam ſacra Myſteria peragantur.* Ex quibus apparet Vigiliarum Ritus, quos nunc ſervat, & ſervabit in perpetuum Romana Mater Eccleſia ab eiusdem primordijs diutina temporum ſerie ad nos veros filios fluxiſſe, ut non ſolùm diebus, ſed etiam noctibus extolleremus minus noſtras in ſancta, ſacriſque canticis & hymnis eius ſponſum Redemptorem noſtrum iugiter veneraremur. At Witcleſiſtæ eorumque ſordida progenies à nulla alia antiquitate turpiſsimas ſuarum Vigiliarum coitiones derivarunt, quàm ab illis, de quibus loquitur Plautus in fine prologi Aulul.

——————— ſenex
is, adoleſcentis illius eſt avunculus
qui eam ſtupravit noctu, Cereris Vigilijs.

Vel à priſcis illis Ethnicorum Cætibus, in quibus nocturna mulierum ſacrificia peragebantur, quæ à Romana ſeveritate, ne Matronarum pudicitia contaminaretur, fuiſse vetita legimus apud Ciceronem ſecundo de legibus: *Nocturna mulierum ſacrificia ne ſunto*. Et infra: *Quibus profectò diligentiſsimè ſanciendum eſt, ut mulierum famam multorum oculis lux clara cuſtodiat*. Vel potius ab illo infami Libani

montis delubro, quod magnus Conſtantinus funditus unà cnm ipſis ſacris deleri iuſſit, ubi ſpurco Veneris Dæmoni omnium generum libidinibus hominum obſcæniſsimi litabantur; *Nam* (ſunt verba Euſebij lib. 3. de vita Conſtantini cap. 58.) *quidam molles & effœminati Viri, non Viri re vera pudore prorſus exuto, inſtar mulierum turpiſſima contagione ſe ipſi inficientes Dæmonem placabant. Scelerati præterea & nefarij mulierum congreſſus, clandeſtina falſorum connubiorum corruptela infanda & turpia facinora in eo delubro utpotè in loco impuro & fœdo admiſſa erant*. Hæ planè fuerunt noſtrorum Hæreticorum veteres Matres Eccleſiæ, quæ tam impura & inhoneſta perditiſsimis filijs tranſmiſerunt, ut pro Divinis precibus, & pſalmodijs, omnem pudicitiam & caſtitatem abominandæ libidini depopulandam fœdandamque ſubſternerent, fugatoque pudore faciliùs ruerent in omne nefas. Quapropter cum ſimilium obſcænitatum illecebris Lolardorum Secta ut plurimum compacta eſſet, Alumnorum copia, uti dicebamus, quotidie concreſcebat, factumque eſt, ut eiusmodi inſtitutis initiati, ne à deguſtatis malè iucundis voluptatibus, illarumque ſuavitudinum mollitie deturbarentur, firmata conſpiratione, ſchediſque ad Eccleſiarum valvas affixis, vindictas minitarint & cędes, ſi quid Londini contra ipſorum libertatem ſicuti in Lincolnienſi Diœceſi ab Archiepiſcopo Cantuarienſi factum fuerat, fieri auderetur. Quibus à Roberto eiusdem Urbis Epiſcopo intellectis, ut tutiùs ſibi reique Catholicæ conſuleret, ab ipſis inſectandis pro temporis neceſſitate ſuperſedendum cenſuit, ne fortè ſeverioribus perquiſitionibus iritati, à concepta in Cantuarienſem Archiepiſcopum rabie ob eorum repreſſam hæreſim, ſociosque patrijs ſedibus expulſos, in apertas ſeditiones raperentur;

perentur. Optimè namque noverat prudentiſsimus Præſul, improbos homines ex naturæ pronitate tumultibus conflandis deditiſsimos, vel maximè præſenti, ac præpotenti Ducis Lanchaſtriæ præſidio fultos, multo maiora quàm minati erant, perfacilè exequuturos. Qua porrò de cauſa Eccleſiaſticæ poteſtatis vi quodammodo tepefacta, omnia ab ipſis nullo cohibente pro arbitrio agebantur, immò de Catholica Religione minis tantummodo iam penè profligata ſibi plaudentes, tanquam hoſtibus devictis triumphabant.

Richardus Rex de ijs omnibus certior factus ægrè ferens Patrui potentia Hæreticorum hominum inſolentiam nimis invaleſcere, ut diſsidia, quæ Religionis cauſa in dies naſci conſpiciebat tempeſtivè & abſque vi ſuffocaret, neve ſi aliter accidiſſet, externo, internòque bello ſimul vexaretur Lanchaſtrium in Ambianos cum Legatis à Carolo ſexto Galliarum Rege illuc pariter miſsis de componenda pace acturus, proficiſci imperat. Novus hic Lanchaſtrij diſceſsus Witcleſiſtas plurimum conſtravit, quos tamen ne patrocinio deſtitutos Ipſomet abſente relinqueret, Thomæ fratri Gloceſtriæ Duci Viro præferoci commendatos voluit. Libentiſsimè Gloceſtrius provinciam ſuſcepit, ſperans, diſsenſiones in Religione fovendo, ſeditionibus, belliſque civilibus viam facillimè aperiri; ſummo namque odio Richardum proſequebatur, eò quòd indecorum, ut alebat, ipſimet videretur, Iuvenem Regem otio & voluptatibus torpeſcere, quàm bello armiſque oblectari: Sed veriùs, quòd in rebus gerendis quibuſdam Aulicis inferioris ordinis ſe poſthabitum videret, eorumque conſilijs cum Gallis, quibus inſtinctu quodam infenſiſsimus erat, pacem iniri, tolerare non poterat.

Interea Lanchaſtrius Londino ſolvens Caletum, deindè Ambianum terreſtri itinere pervenit, ubi utriuſque

partis

partis conſenſu tempore locoque conſtituto Legati convenere diuturno bello tandem finem impoſituri. Lanchaſtrius cui erat animus Regis deſiderio minime indulgere, omnia ambiguis reſponſionibus, aulicisque artibus ita implicabat, ut per aliquot menſes nil captum ſtatutumque fuerit. Hinc exortis contentionibus, cum pacis conditiones, quæ ab uno alterove Legatorum in medium proferebantur, vel tanquam ſuorum Regum iuribus improbæ, ſive utriuſque Nationis dignitati nimium obnoxiæ utrinque reſpuerentur, parum abfuit, ut infectis omnino rebus diſcederetur. Verùm Lanchaſtrius ne vacuam legationem obijſse videretur, Regisque ſuſpicionem augeret, Gallorum animos ſumma dexteritate delinitos ad trium annorum inducias paciſcendas induxit, quibus iureiurando firmatis è veſtigio Londinum remeavit.

Huius legationis exitus quamvis Richardum plurimum offendiſſet, nihilominus re diſsimulata honorificè Patruum excepit; ut autem Acta cum Gallis Parlamentaria authoritate, uti oportebat, roborarentur, ac inſuper multis alijs ad Regni gubernium ſpectantibus foret pariter conſulendum, Comitia ad *W*eſtmonaſterium indixit. Interim *W*itcleſiſtæ ſumma licèt licentia ſilentibus Eccleſiaſticis Tribunalibus fruerentur, attamen ne horum Comitiorum ſanctione aliqua inopinatè opprimerentur, incredibili ſolicitudine advigilabant; immo cum ipſorum factio ex Ordine equeſtri, aliorumque Nobilium, qui his in Comitijs erant ſuffragaturi, plurimum eſſet aucta, omnem adhibebant operam, ut Senatus decreto Epiſcopis iure Eccleſiaſticæ poteſtatis haud amplius quidquam in ipſos agere liceret. Quamobrem inchoactis Comitijs libellum ſupplicem porrexerunt petentes, ut cohibita Romani Pontificis aliorumque Epiſcoporum in Regno Angliæ authorirate,

Chriſtia-

Chriſtianam libertatem tuerentur, fidelium ſubditorum conſcientijs ſuccurrerent, neque in cogendis eorum liberis voluntatibus tantas tamque diras perſequutiones deinceps exerceri paterentur. Quæ in magno Conventu perlecta, blandoque murmure à Lolardorum fautoribus approbata, Cantuarienſis Præſul veluti impia, Regnique tranquillitati obnoxia magno zelo gravique oratione perſtrinxit, ſeque plurimùm mirari, iniquumque videri ampliſsimos Senatores & Catholicos Hæreticorum petitionibus annuendo, Chriſto Domino eiuſque Eccleſiæ talem ignominiæ notam inurere, Regiaque edicta præteritis Comitijs firmata abrogando, altiſsimæ Curiæ dignitatem tantæ turpitudinis macula labefactare. Quidam ex Proceribus, qui ſine ſpe & metu rem accuratius meditabantur Archiepiſcopi ſententiam probavere, cæteri qui Lolardica lue poluti, addita Ducis Lanchaſtriæ potentiſsima factione, Sectariorum poſtulatis aſſentiri cenſuerunt, ex quo factum eſt, ut perpetuo illius ampliſsimi Senatus dedecore ſancitum fuerit: *Quòd nulli mortalium deinceps liceret pro quavis cauſa agere apud Romanum Pontificem, ut quiſpiam in Anglia eius authoritate impius, Religioniſque hoſtis publicè declararetur hoc eſt, excommunicaretur, quemadmodum vulgò dicitur, neve exequi tale mandatum, ſi quod ab illo haberet.* Pœna verò ijs conſtituta eſt, qui legem violarent, ut amiſsis omnibus bonis vitam in carcere finirent. Novum hoc decretum ad exitum huius anni 1391. promulgatum, ad omnem impietatem exultantibus Lolardis aditum patefecit, ſiquidem contempta Eccleſiæ ac venerandæ Antiquitatis authoritate ſacros deridebant Ritus, aſperiſque facetijs, Regiæ poteſtatis, tam illuſtrium fautorum patrocinijs, timore prorſus excuſso, Epiſcopos cæteroſque Eccleſiaſticos palam ſubſannabant, nec conten-

ti ſcurrilibus convitijs cuiuſcunque ordinis Clericos ore profano impetere, ſtrictis etiam calamis in ſanctos Dei, blasphemijs, ac diſcordiarum ſeminibus libellos refertiſſimos ubique locorum diſseminarunt. Richardus Rex qui naturali quoddam ſtudio ad vitæ tranquillitatem inclinabat ut hæc novarum turbarum initia lenitate potius, ut ſui moris erat, quàm violentia reprimeret, Lanchaſtrium Aquitaniæ principatu donavit, tali ſiquidem ſublato fundamento Lolardorum machinamenta propria mole brevì concaſura ſperabat. Polydorus Vergilius hoc à Richardo factum ſcribit, *ut omnem bellandi materiam ab ſe verteret*. At tunc nulla per Lanchaſtrium bellandi materia ſuſcitari poterat, cum ipſemet triennales cum Gallis inducias nuper pactus eſſet, quæ pariter in cauſa fuere, ut etiam Scoti diutinis cum Anglo bellis finem impoſuerint; Unde maiori veritate nititur, id à Rege tantummodo factum fuiſse, eò quòd domeſticis Lolardorum motibus, fovente Lanchaſtrio premeretur, quod Polydorus ſilentio fortaſſe omiſit, ne tali nota Principem macularet.

Porro Lanchaſtrius Principis Aquitaniæ titulo inſignitus, illò pro capeſsendo Dominio ſe contulit, quem tamen Aquitani Proceres uti Lanchaſtriæ Ducem, Regisque Patruum decebat, honorificentiſsime exceperunt, uti verò Principem & Dominum ne quidem agnoſcere voluerunt, firmulque nullum à ſe unquam fidelitatis obſequium ei preſtituros ſignificarunt. Lanchaſtrius ob ſibi denegatum ab Aquitanis imperium indignatus, ilicò Regem de illorum contumacia certiorem fecit, rogavitque quàm citiùs iuberet quid ſibi pro vindicanda iniuria eſset agendum. Contrà, Aquitani miſſis ſine mora in Angliam Legatis, Regi humiliter ſupplicarunt, ut nouæ huius inveſtituræ abrogato diplomate Lanchaſtrium revocare dignaretur, nec fideles Aquita-

nos

nos Regijs imperijs iam aſsuetos à ſuorum ſubditorum numero excludi pateretur. Annuit Rex Aquitanorum petitionibus, invitè tamen, metuens, ne reiectis illorum Legatis, ad finitimos Gallos deficerent; id tamen Lanchaſtrius ægerimè tulit, dolens Regem non ſolùm Patrui dignitate neglecta, verùm Regia ipſa authoritate poſthabita, Aquitanis per omnia tam turpiter, ut ferebat, indulſiſſe; nihilominus offenſionis, ac repulſę diſſimulata moleſtia, Regijs mandatis promptiſſimè obtemperans, quàm celerrimè Londinum ſe recepit.

Cap. XII.

Lolardi reverſo Lanchaſtrio populum Londinenſem publicis concionibus pervertere tentant. Ioannes Purvey Witcleſi Achates Londinum venit. Librum evulgat, docet omnes Chriſtianos maſculos & fœminas vi Baptiſmatis eſſe Sacerdotes, ſcripturas docere, ac concionari poſſe. Hanc hæreſim poſtea ſuſcitavit Lutherus. Purvey doctrina excitatæ Fœminæ concionari incipiunt, hanc ſibi poteſtatem Senatus decreto firmari contendunt. Miſſas celebrant. Muliebre hoc Sacerdotium ab Ethnicorum ſuperſtitione ad Hæreticos derivatum oſtenditur.

QVantò Lanchaſtrius ob ipſius recuſatum ab Aquitanis imperium, pudore ac ira excruciabatur, tantò magis inſperato eiusdem reditu lætabantur Lolardi, ſui quippe Protectoris abſentia

ſentia mœſti, ac pavidi ſemper aliquid ſibi metuentes, non ita palam in Eccleſiam ac Epiſcopos agere quidquam vel obloqui audebant: At Principe in patriam reſtituto ferocienti lætitia perfuſi acriori bello rem Catholicam adoriri inſtituunt. Sex ex eorum Anteſignanis nempè *W*ilielmus *W*hyte, Gualtherus Britte, *W*ilielmus Thorpe, Richardus *W*ith, *W*ilielmus Taylor omnes Presbyteri, & Petrus Pateshull ab Auguſtini inſtituto apoſtata, in medium prodiere; qui ſparſis extemplo per Urbem libellis, Romani Pontificis aliorumque Epiſcoporum dignitatem turpiter dilacerabant, eòque amplius diris declamationibus Eccleſiam ipſam calumnijs & impoſturis è publicis Suggeſtis perſtringentes, Londinenſem Populum ab ipſius obedientia avertere conabantur. Hos tamen contra ſteterunt Viri doctiſſimi Robertus *W*aldeby poſtea Eboracenſis Archiepiſcopus, & Ioannes eius frater ambo noſtri inſtituti Theologi, Ioannes Swafham Carmelita Epiſcopus Bangorenſis, *W*ilielmus *W*oudeford Ordinis Sancti Franciſci, Ioannes Sharpe Presbyter, & Ioannes Bromyerde Ordinis Prædicatorum, qui impiorum hominum fraudes atque mendacia, ſcriptis reſponſis, detegentes, ſanioris doctrinæ antidotis periclitanti populo tempeſtivè occurrerunt.

Verùm dum hæc non ſine Lolardorum ignominia à Catholicis agerentur, Ioannes Purvey, qui metu Cantuarienſis Archiepiſcopi Leyceſtria, ut ſupra dicebamus, aufugerat, Londinum veluti commune Lolardorum aſylum pariter venerat: Homo magni nominis inter ſuos, quippe qui *W*itclefi ad mortem uſque perpetuus Achates ſecretiora Magiſtri ebiberat, ſpecioſoque titulo *W*itclefi *Gloſſator, & Interpres* appellaretur; Is cum vidiſset, Conſectarios invictis Catholicorum rationibus evileſcere, excitato tumultuario fœminarum grege, novas

vas conſternatis ſocijs tamque validas ſuppetias attulit, ut inſtaurato bello ad ultimum penè diſcrimen Catholica Religio adducta videretur. Librum evulgavit, cui titulus: *De Compendijs ſcripturarum, paternarum doctrinarum, & canonum*, in quo aſtruebatur, Homines qualiſcunque conditionis, dummodò ſacro Baptiſmate inſignitos, eſſe Sacerdotes; Fœminas verò legis Evangelicę vi poteſtatem habere verbum Dei prędicandi, omnia Sacramenta conficiendi atque adminiſtrandi, uno verbo, veras eſſe Sacerdotiſsas: Cuius impiæ doctrinæ fundamentum iam antea iecerat eius magiſter Witclefus lib. de Papa cap. 9. verſus finem ita ſcribens: *Subtiliantes in Dei potentia abſoluta dicunt, quod ſicut Deus poteſt cummunicare nedum Laico ſed & fœmina ac animali irationali potentiam conficiendi ac miniſtrandi qualibet Sacramenta, ſic & ipſum poſſe miniſtrare huiuſmodi Sacramenta: Nec credo quòd aliquis impugnabit iſtum articulum*. Paulò poſt ſubdit: *Videtur quòd plus obeſſet monſtruoſitas peccati in praſcito maſculo ad recipiendum vel miniſtrandum legitimè qualibet Sacramenta, quàm foret quantacunque corporalis monſtruoſitas vel diſtinctio ſexus in fœmina prædeſtinata & virtutibus praornata, ſive ad recipiendum ſive ad miniſtrandum qualibet Sacramenta, & tamen in pœnam peccati multi de generatione adultera ſic phariſaicè ſeducuntur, quòd praponderant ſignum viſibile humanitùs inſtitutum ſignato inviſibili, quod Deus prępenderat*. Item infrà: *Patet ſecundò ex dictis, quòd ſic omnes Sancti Viri & fœmina membra Chriſti, ſunt Sacerdotes quia ſacrum dantes*. Et cap. 11. *Oportet eſſe Chriſtum & ſuos Apoſtolos, immo omnes Sacerdotes ſacramentales & deuotum populum, de quibus Apoſtolus*

Petrus

Petrus ait: Plebs ſancta & regale Sacerdotium. *Ex iſtis patet quòd fœmina eſt Sacerdos*. Ex quibus clarè dignoſcitur Hæreticum firmiter tenuiſse, omnes Chriſtianos etiam fœminas, quia membra Chriſti, Sacerdotes eſse; Non autem hoc tantùm in dubium revocaſse, ut Bellarminus aſſerit lib. 4. de Sacramento Euchariſtiæ cap. 16. his verbis: *Et quidem Ioannes Witclefus in dubium hoc revocavit — Videbatur illi valde mirum, ſi poſſet malus Sacerdos conſecrare Euchariſtiam, & id non poſſet Laicus bonus: non tamen omnino rem definire voluit*. Quod Witcleficum fragmentum Lutherus etiam ſuæ centonicæ, ut ita dicam, Synagogæ aſſuere voluit, ut videri poteſt in libro de Captivitate Babylonica capite de Ordine, & abroganda Miſsa; & in libro ad Pragenſes de inſtituendis miniſtris Eccleſiæ ita ſcribens: *Sacerdos in novo præſertim teſtamento non fit, ſed naſcitur, non ordinatur, ſed creatur; naſcitur autem in Baptiſmo, ſuntque prorſus omnes Chriſtiani Sacerdotes*. Immo impudentiori audacia non ſolùm fœminas, ſed ipſummet Diabolum pariter Sacerdotem aſſerere non erubuit libro de Miſsa privata & Unctione Sacerdotum: *Ego non dicam, quod Papiſtæ dicunt, nullum Angelorum, nec Mariam quidem ipſam conſecrare poſſe. Sed è contra dico, ſi Diabolus ipſe veniret, & ego poſtea reſciſcerem, Diabolum ſic irrepſiſſe in officium Paſtoris Eccleſiæ in ſpecie hominis vocatum ad prædicandum & publicè in Eccleſia docuiſſe, baptizaſſe, celebraſſe Miſſam, & abſolviſſe à peccatis, & tali munere functum eſſe juxta inſtitutionem Chriſti, tunc cogeremur fateri Sacramenta ideo non eſſe ineſficacia, ſed verum Baptiſmum, verum Evangelium, veram abſolutionem, verum Sacramentum Corporis*

ris & Sangvinis Chriſti nos accepiſse. Quæ blaſphema Lutheri aſsertio impugnatur, ac validiſsimè refellitur ab eodem Bellarmino libro primo de Sacramentis in genere cap. 24. A' Iodoco Clichtoveo in ſuo Anti–Luthero cap. 4. & ſeq. & ab Alphonſo de Caſtro lib. 10. advers. hæreſes verbo *Mulier* pag. 700. & lib. 13 verbo *Sacerdotium* pag. 910. edit. Pariſienſis.

Vix igitur Purvey claſsicum inſonuerat, quòd ſtatim Fœminæ, quia naturali quaddam & immodica cupiditate ſemper ad ſuo præſertim vetita ſexui rapiuntur, ſpiritu fanatico ductæ ſcripturas tractare cæperunt, populumque è Suggeſtu docere ubique videbantur; eòque impudentiæ pervenerunt, ut nulla nec verecundia, nec imperio Virorum territæ hanc concionandi libertatem Parlamenti decreto ſibi firmari petulantiſsimo auſu pertentarint, ut Waldenſis narrat tom. primo cap. 73. pag. 373. *Hæreſis ergo iſta nimirum ita convaluit ut in Civitate Londinenſi Fœminæ ſuper ſellas elevatas congregationi Virorum ſtultiſſimæ publicè legerent & docerent ſcripturas*. Et cap. 70 pag. 562. *In tantùm autem per Angliam hæc hæreſis viguit, ut etiam auſæ ſunt in plerisque maioribus eiuſdem Regni Concilijs ſine rubore eius ſibi vendicare, & poſcere liberè prædicandi*. Nec profectò tanta perturbatio Senatui à Matronis Romanis pro abroganda lege Opia illata fuit, quot turbamenta & confuſiones pro ſibi arrogato prædicandi munere fatuę iſtę Fœminæ ſuſcitarunt; equidem quoties Regni Comitia habebantur Lolardorum factio hanc Fœminis concionandi libertatem Senatus decreto fore ſtabiliendam quàm maximè contendebat; ſed ne tale in Religione monſtrum permitteretur enitentibus Catholicis nihil à publica Maieſtate pro, vel contra ſancitum fuit. Iſta tamen talis qualis conniventia in cauſa fuit, ut maiori confi-

dentia

dentia novi iſti Pepuziani haud contenti ſuas Priſcillas, & Quintillas concionatrices inſtituiſse, Miſſas quoque celebrare permiſerint; quòd, ut ea, quæ in ſuarum Miſſarum ſolemnijs ſervari oporteret, faciliùs perdiſcerent, quædam etiam è Miſſali Romano in Anglicum Sermonem verterent, additiſque proprio cerebro Ritibus & ceremonijs, novum ipſarum captui accommodarunt. Quibus porro ſuperſtitionibus eruditæ, ſolemnioribus diebus in omnibus eorum Cœtibus, qui plures per Urbem habebantur, Lorardicas Miſſas peragebant. O rem impiam ac immenſo lachrymarum imbre deplorandam! Videre Fœminas mundo muliebri ſpoliato capite, clericali more detonſas, ſacerdotalibus ornamentis indutas, tremendum Salvatoris noſtri Sacrificium tam abominanda temeritate contemerare. Qua de re Waldenſis alloquens Witclefum tom. primo pag. 171. exclamat: *Niſi fortè quia Sectatores tui iuvenculas in celebri civitate Londoniarum Miſſas celebrare, & Viris publicè prædicare commiſerant, & nobiles Fœminas Clericis ſociare concedis*. Et tom. 3. pag. 59. *Ideoque placuit tibi iſta libertas, ne Secta tua ad celebrandum, ſicuti una Londonijs comperta eſt, Fœmina gravarentur*. Quam fuiſse cuiusdam Coriarij filiam dixerat tom 2. pag. 19. *Cuius item typo à Sectatoribus ſuis inſtituebatur quædam iuvencula filia cuiusdam Coriarij in Civitate Londoniarum, quæ coram eis Miſſas publicas in vulgari Anglicano celebrabat, ut tunc tempore Richardi ſecundi fama perſonuit, & uſque nunc durat*. Et pag. 49. *Maximè quia Sectatores eius, ut publica fama canit, in hac Civitate Londoniarum olim inſtituerunt iuvenculam quandam pro feſtis diebus & Dominicis conſecrare eis ſuam Euchariſtiam*. Et paulò infrà: *Ecce*

Sacerdotiſsam profanam de ordine Lolardino.

Cæterum Archiſynagogus Purvey, ut etiam Fœminis, quæ metu Maiorum, vel generis nobilitate pudore vetante ſuos Cœtus adire prohibebantur, conſuleret, ipſis, ut in proprijs domibus & cubiculis Miſsas celebrare poſſent, de conſilio ſuorum gratioſè indulſit, hac tamen lege, ne ad Catholicorum Templa utpote *Idolatrica Fana à Diabolo inventa* amplius accederent. Satis enim fore vafro hæretico viſum, ſi interdictis Eccleſijs, quæ ſunt domus orationis, & pietatis domicilia, fidelium preces & vota, Sacramenta ipſa, omnia denique religioſæ devotionis exercitia paulatim in deſuetudinem abirent.

Londinenſis Epiſcopus, qui ſeditionum periculo tempori cedere utiliùs exiſtimaverat, videns hæreticos ſuamet patientia ac facilitate nimium procaciter abuti, neve ſibi ſocordiæ verteretur, catholicam fidem muliebri hoc Sacerdotio tam ſordidè labefactari, prudenti quaddam lenitate, ac ſolerti per ſuos miniſtros inquiſitione ſacrilegam iſtarum Fœminarum impudentiam bona parte repreſſit; Quamplures enim inopinata Epiſcopi perquiſitione territæ, quædam facinoris conſcientia ſtimulatæ, nonnullæ pudoris & verecundiæ metu, ne detectæ publica animadverſione in ipſas ageretur, abdicato Sacerdotio, ſuisque Lolardis vale dicto ad Religionem catholicam redierunt. De quaddam huiusmodi Sacerdotiſsa, & cubiculari Miſsa affert exemplum Henricus Knighton lib. 5. de Eventibus Angliæ ad annum 1392. *Iiſdem diebus erat quadam Matrona in Civitate Londinenſi, qua habebat unicam filiam, quam inſtruxit ad celebrandam Miſſam, & erexit Altare in cubili ſuo ſecreto cum ornatu ſuo, ſicque fecit filiam ſuam multis diebus veſtire ſe more Sacerdotis, & ad Altare accedere, & pro ſuo modo Miſſam celebrare*

lebrare. Et paulò infra: *iſte error multo tempore duravit, donec per quandam vicinam ad talem Miſſam ſecretiùs vocatam divulgaretur, & ad aures Epiſcopi Londinenſis deveniſſet, qui eas ad præſentiam ſuam convocavit, & de errore convènit, & Sacerdotiſſam tonſuram comæ publicè monſtrare coegit, cuius caput nimis glabroſum inventum eſt; Epiſcopus iniunctâ pœnitentiâ ſalutari remedium atulit*.

De Lutheranis verò Fœminis, quibus Martinus, uti dicebamus, ad normam ſui Avi Witclefi ſe ſacris immiſcere poteſtatem fecerat plura denarrat Floremundus lib. 7. Hiſt. Mem. cap. 7. numero 5. In libro verò 2. cap. 18. numero 5. de quaddam Urſula ita ſcribit: *A Scriptoribus nonnullis Urſulæ cuiuſdam è Lutheri Schola progreſſæ nomen celebratur, quæ eò temeritatis & dementiæ pervenit, ut pauperibus ruſticanis hominibus non concionaretur tantùm, verùm etiam Sacramenta adminiſtraret, ut Manlius in locis communibus teſtatur*. Et Petrus Caniſius lib. 5. de Maria Deiparâ Virgine cap. 6. hæc teſtis oculatus habet: *Et vidimus tamen Viennæ Mulierculam, quæ in Lutheri doctrinâ tantos feciſſet progreſſus, proh pudor! ut poteſtatem ſibi ſumeret Euchariſtiæ non ſolùm ægrotis, quos inviſebat, porrigendæ, ſed etiam conſecrandæ*. Quod putidum ſemen Germanico Solo ultimis temporibus à Luthero ingeſtum, veſanæ Hæreſi parum profeciſſe videbatur, ni etiam, exemplo hactenus inviſo, fœmineum verticem Pontificia quoque Tiara redimiſſet. Elizabetham Angliæ Reginam Eccleſiæ caput vidit elapſum Sæculum: In omnes Eccleſiaſticos ſummo iure, in rebus ſpiritualibus ſumma poteſtate à ſupremo Ordinum Conventu decorata, Hæreticis venerandam

Orbi Catholico diva hæc Papiſsa deridendam ſe præbuit. Inter cæteras leges, quibus Satanicus hic Pontificatus & Eccleſiaſticum Regimen fuit ſtabilitum, quinta in ordine ita iubet: *Ne Epiſcopi vel ullius nominatione, vel electione, vel ulla authoritate alia quàm Regia creentur, neve iuriſdictionem poteſtatemque Epiſcopalem teneant aut exerceant, niſi ad beneplacitum Reginæ, nec aliter niſi per ipſam & à Regali Maieſtate derivatam authoritatem.* Nec ſtetit hic Hæreticorum dementia, etenim Elizabethæ natalis dies in Calendario Eccleſiaſtico rubris; Deiparæ verò atris & minuſculis literis notabatur; Immo adhuc noſtra ætate eandem Beatiſsimæ Virgini Lauretanę æquiparare Presbyteraniorum Secta non erubeſcit: Teſtis eſt Gregorius Leti homo heterodoxus à ſuo inſtituto & Catholicâ Religione dupliciter Apoſtata in ſuo Ceremoniali parte ſexta, lib. 3. pag. 243. *In tanto vi ſono alcuni Presbiteriani che chiamano Eliſabetta noſtra Dama d' Inghilterra, appunto come i Papiſti chiamano noſtra Dama di Loreto. Cento volte io in Londra domandai certi Presbiteriani per ſaper da loro in virtù di che Eliſabetta s' era fatta Capo della Chieſa, & haveva tirato à ſe tutto il gouerno, ſtabiliendo aſſolutamente i Veſcovi à ſuo piacere, e non hanno ſaputo rendermi che certe ragioni proprie à far ridere i matti, e pianger li ſavij.* Veritas invito pectore erupit. Quid! Hæc legentes riſum teneatis amici?

Quam quidem in rebus Divinis ſacriſque faciundis poteſtatem, cœcam Gentilitatem Fœminis diabolico prorſus ſuaſu primùm tribuiſſe, plena ſunt Veterum monumenta: A. Gellius lib. primo Noct. Att. cap. 12. poſt multa de Veſtalibus hæc prodit. *In libro primo Fabij*

Fabij Pictoris, quæ verba Pontificem maximum dicere oportebat quum virginem capit ſcriptum eſt, ea verba hæc ſunt : SACERDOTEM VESTALEM QVAE SACRA FACIAT QVAE IOVS SIET SACERDOTEM VESTALEM FACERE PRO POPVLO ROMANO QVIRITVM VTEI QVAE OPTVMA LEGE FOVIT ITA TE AMATA CAPIO. Et lib. 10. cap. 15. propè finem : *Verba Prætoris ex edicto perpetuo de Flamine Diali, & de Sacerdote Veſtæ adſcripſi* : SACERDOTEM VESTALEM ET FLAMINEM DIALEM IN OMNI MEA IURISDICTIONE IVRARE NON COGAM. Et paulò antè refert Maſſurium Sabinum de Flaminicis Dialibus ita ſcribentem : *Eædem ferè ceremoniæ ſunt, quas Flaminicas Sacerdotiſſas Diales ſeorſum aiunt obſervitare*. Macrobius lib. primo Saturn. cap. 16. *Item Flaminica quotiens tonitrua audiſſet feriata erat; donec placaſſet Deos*. Et lib. 3. cap. 8. de ipſarum Miniſtris cum ſacra peragerent ait: *Romani quoque pueros & puellas nobiles & inveſtes, Camillos & Camillas appellant; Flaminicarum & Flaminum præminiſtros*.

Præterea Thomas Dempſterus, cuius abſolutiſsimum opus Ioannes Auguſtinus Ceratus Concivis meus iuris prudentia ac Matheſeos callentiſsimus mihi nunquam ſatis laudata beneficentia ſubminiſtravit, in Paralipomenis ad cap. 19. lib. 2. Antiq. Rom. Ioannis Roſini, poſt plura de Bonæ Deæ Sacrificijs per mulieres, hanc affert inſcriptionem:

ÆLIA NICE. SACERDOS BONÆ DEÆ SEBIBA.
COMPARAVIT SIBI ET ALVMNÆ SUÆ.

Et

Et lib. 3. cap. 3. de Cereris Græcæ Sacerdote ita habet: *Sacerdotis Græcæ Cereris ſæpe fit in Livio mentio, ſed quænam ea ſit non explicatur, atque haud ſcio, an ab ullo alio præterquam à Dionyſio lib. primo eius origo referatur; Is enim de ea in hæc verba ſcribit:* Arcades poſt occupatum montem Palatinum ſibi à Fauno Aboriginum Rege conceſsum, tum alia templa ædificarunt, tum verò Cereri Ædem extruxerunt, & per *Fœminas Sacerdotes* ſacra ei fecerunt abſtemia more grȩco. Nullum tamen Sacerdotale Collegium Romanas mulieres habuiſse didicimus ab Eminentiſsimo Henrico de Noris, quem profundæ utriusque eruditionis copia mirandum honoris & reverentiȩ cauſa nomino, in Cenotaph. Pis. diſsert: 3. cap. 1. ex verbis Valerij Trib: orationi Marci Catonis reſpondentis pro abroganda lege Opia: *At Valerius eadem illis pro maiori mundi muliebris ornatu concedenda eſſe contendebat, quod ipſa nullis Magiſtratibus, nullis* Sacerdotijs, *nullis denique triumphis decorabantur, ſed in Veſtium tantùm ſplendore unicum earundem inſigne repoſitum erat*. Et Diſert. 2. cap. 5. ait. *Lucanus lib. 1. publicam Sacerdotum Urbis ſupplicationem deſcribens, recenſito Collegio Pontificum ac Veſtalibus addit*.

Tum qui fata Deum, ſecretaque carmina ſervant,
Et lotam parvo revocant Almone Cybellem;
Et doctus volucres Augur ſervare ſiniſtras;
Septemvirque Epulis Feſtis, Titijque Sodales;
Et Salius læto portans ancillia collo,
Et tollens apicem generoſo vertice Flamen.

Recenſet poſt Pontifices Quindecimviros Sibyllinorum carminum ſcrutatores, Augures, Septemviros Epulones,
So-

Sodales Titios, ac tandem Flamines. Nullus Romanis Fœminis locus inter memorata Sacerdotum Collegia. Ex quo colligere poſsim arbitror, Flaminicas, ſicut & ſacrorum Reginam, quæ & ipſa aliqua ſacra peragebat, tantùm, quia Flaminum Regisque ſacrorum Vxores, in ſacris faciundis poteſtatem habuiſſe. Eruditiſsimus Lipſius Flaminicas & Sacerdotes Fœminas conſecrato Auguſto Senatus decreto inſtitutas ridet in Excurſ. in librum primum Annal. Taciti pag. 492. lit. C. *Nec viri ſolùm ad Sacerdotium adſcripti magni huius Divi, ſed, quod rideamus, Fœminæ. Adeo proiecti in adulationem tunc mores.*

Marmor – P. POSTVMLÆ P. F. PAVLLÆ SACERD. D. IVLI AVGVST.

In Hiſpanijs – LVCR. L. F. CAMPANA FLAM. PERP. DOMVS AVG.

Exemplum huius rei à Livia, quæ miro exemplo Sacerdos ſui viri, & quidem ex decreto Senatus. Dio LVI extremò: Tunc verò conſecrantes Auguſtum, Sodales ei & ſacra inſtituerunt & Sacerdotem Liviam. *Quod noto eò libentius ut lux indè adfulgeat teneoricoſo Ouidij loco 4 de Ponto*:

> Nec pietas ignota mea eſt, videt hoſpita tellus
> In noſtra ſacrum Cæſaris eſse domo.
> Stant pariter Natusque pius Coniuxque Sacerdos
> Numina iam facto non leviora Deo.

Natus pius, Tiberius eſt: Coniux Sacerdos, Livia, Quod confirmat ad lib. 13. referens Paterculi teſtimonium

nium lib. 2. *Livia Romanarum eminentiſſima, quam poſtea coniugem Auguſti vidimus, quam tranſgreſſi ad Deos Sacerdotem ac filiam: Livia enim eſt, Livia quæ mariti ſui in Deos relati & Sacerdos fuit, & filia.* Filiam Auguſti dicit, quòd adoptione in Iuliam familiam tranſierit, eamque nomen ſuum ferre Auguſtus iuſserit, ut ſcribit Voſſius in notis.

Ex his igitur hucuſque adductis teſtimonijs nulla prorſus dubitandi ratio eſse poteſt, ſacrilegum hunc Ritum ab Idolorum cultoribus originem habuiſse; quem poſtea uſurpantes veteres Hæreſiarchæ Religionem Chriſtianam abſurdiſsimis ijs Sacerdotijs macularunt, atque ad poſteros Novatores tranſmiſerunt. Sanctus Iræneus lib 1. cap. 9 ſcribit: *Marcus Gnoſticus mulieribus dans calices miſtos, ipſas iubet gratias agere ſe præſente.* Et de Pepuzianis apud Sanctum Epiphanium lib. 2. hæreſi 49. hæc leguntur: *Epiſcopi quoque apud ipſos ſunt mulieres, & Presbyteri mulieres, & alia quæ nihil differre dicunt, in Chriſto enim Ieſu neque maſculus neque Fœmina*: Et in Anacephaleoſi: *Pepuziani qui & Quintilliani, quibus coniunguntur Artotyritæ, ex Phrigaſtarum numero hi ſunt, mulieribus tribuunt ut imperent, & Sacerdotio fungantur.* De Collyridianis pariter narrat, ipſorum Fœminas Deiparæ Virgini Collyridem ſive tortam panis ſacrificaſse. Sanctum Philaſtrium Eccleſiæ Brixienſis Epiſcopum, Sanctum Hieronymum, & Sanctum Auguſtinum, à Montaniſtis etiam Fœminas fuiſse Sacerdotio donatas, affirmare, ſcribit doctiſsimus Chriſtianus Lupus ad caput 41. Tertul. de Præſcrip. verbo *Laicis*: Idque porro factum ab hac hominum fæce non ſolùm ex prava ſcripturarum intelligentia, ſed in primis ut incautas Fœminas faciliùs ad ipſorum

Sectas allicerent, occaſionem captantes, quòd in Catholica Eccleſia ab Epiſcopis piæ quędam Viduæ continentiæ ſanctitate alijſque virtutibus inſignes in Eccleſiaſticum Cœtum etiam adlectæ, vulgò Presbyteriſſæ, ac Diaconiſsæ vocarentur. Quas tamen nec veras Presbyteras, nec fuiſse Diaconas, immo nec ullo ad hos ſacros Ordines ſpectante quantumvis minimo munere fuiſſe functas, ſed tantummodo nomine tenus decoratas ſequentibus capitibus oſtendemus.

Cap. XIII.

De nomine & origine Preſbyteriſſarum diſquiritur. Varia huius nominis acceptiones referuntur. Earum munera & officia deſcribuntur. Chriſtiani Lupi opinio examinata ac reiecta. Quædam Sancti Ioannis Chryſoſtomi, & Tertulliani loca elucidantur. Nullum cum Clero neque in Eccleſia ius ſive prærogativam Preſbyteriſſas habuiſſe demonſtratur.

Religionis Chriſtianæ primordijs Redemptori noſtro ſanctas mulieres miniſtraſſe, ſacra novi Teſtamenti eloquia teſtantur; Quo exemplo earundem miniſterio ipſosmet Apoſtolos Evangelium promulgantes ſublevandis prædicationis labo-

laboribus etiam uſos, nos docet Tertullianus libro de Monogamia cap. 8. ad illa verba 1. ad Conrinthios cap. 9. Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi ſicut & cæteri Apoſtoli &c. *Non uxores demonſtrat ab Apoſtolis circumductas, quas & qui non habent, poteſtatem tamen manducandi & bibendi habent; Sed ſimpliciter mulieres, quæ illis eodem inſtituto, quo & Dominum comitantes, miniſtrabant*. Hinc factum eſt, ut Apoſtoli poſtea fundatis per Orbem Ecclesijs, præter Epiſcopos, Presbyteros, cæteroſque miniſtros Sacroſanctis Myſterijs deſervientes, quendam Ordinem ſeu Cœtum piarum Fœminarum inſtituerint, quibus aliqua munia, laborando ſcilicet & inſerviendo, exercere in Eccleſia permiſerunt, ut habetur ex Epiſtola Pauli ad Rom. cap. 16. *Salutate Mariam quæ multum laboravit in vobis: Salutate Triphenam, & Triphoſam quæ laborant in Domino*. Et clariùs de Phœbe eiusdem capitis initio ſcribit: *Commendo autem vobis Phœbem ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris*. Quem locum explicat Theodoretus: *Tanta erat Cenchris Eccleſiæ congregatio, ut mulierem quoque Diaconam haberet eamque inclytam & celebrem*. Et Sanctus Ioannes Chryſoſtomus: *Vide quantum Apoſtolus Phœbem honoret; nam illam & ante reliquas omnes commemorat, & ſororem vocat, dignitatem quoque adjcit Diaconam vocans*. Præterea ex 1. ad Timoth. cap. 3. *Mulieres ſimiliter pudicas non detrahentes, ſobrias, fideles in omnibus*. Quæ verba idem Chryſoſtomus Homil. 11. ita declarat: *Plerique volunt Apoſtolum, hoc de mulieribus ſimpliciter præcepiſſe, verùm non ita eſt. Quid enim conſequentia haberet inter ea quæ de Epiſcopis, atque Diaconis monuit*

Digitized by Google

mulierum ullam facere mentionem? ſed de his profecto ait, quæ miniſterij dignitate ſunt prædita.

Poſt Apoſtolos, Epiſcopi ſucceſsores, credentium mulierum numero ubique creſcente, duplicem Cœtum inſtituerunt; Ad unum admittebantur perpetuam virginitatem profitentes, quæ nihil ad rem noſtram: In alterum allegebantur Viduæ univiræ continentiam voventes, de quibus in præſentiarum ſermo erit, nobiſque diſtinctè de ipſarum conditione, nomine, dignitate, ac miniſterio inquirendum.

A Sacris Canonibus, Presbyteras, & Diaconas paſsim nuncupatas reperimus mulieres illas, quæ mutuo conſenſu relictæ à Viris ad Sacrum Presbyteratus ſeu Diaconatus Ordinem promotis, perpetuam caſtitatem vovebant, ita quòd nec poſt Presbyteri, aut Diaconi mortem, iam Viduæ, alteri nubere liceret. Ita Concilium Epaonenſe ad annum 517 can. 32. *Relicta Presbyteri ſive Diaconi ſi cuicunque nupſerint eatenus ab Eccleſia elongentur*. Et Antiſidorenſe ad annum 590. can. 21. *Non licet Presbytero in uno Lecto poſt acceptam benedictionem cum Presbytera ſua dormire, nec in peccato carnali miſceri, nec Diacono*. Et can. 22. *Non licet relicta Presbyteri, nec relicta Diaconi poſt eius mortem maritum accipere*. Item Concilium Romanum ſub Gregorio II. ad annum 721. can. 1. *Si quis Presbyteram duxerit in coniugium anathema ſit*. Et can. 2. *Si quis Diaconam in coniugium duxerit anathema ſit*. Erant & aliæ Viduę quæ Eccleſiæ opibus ſuſtentabantur, de quibus Apoſtolus 1. ad Timoth. cap. 5. *Viduas honora quæ verè Viduæ ſunt*: explicat Divus Hieronymus epiſtola 11. ad Ageruchiam. *Honora Viduas quæ verè Viduę ſunt: hoc eſt, quæ omni ſuorum auxilio deſtitutæ ſunt, quæ manibus ſuis laborare*

Digitized by Google

borare non poſsunt, quas paupertas debilitat, ætasque conficit, quibus Deus ſpes eſt, & omne opus oratio. Et epiſtola 9. ad Salvinam: *Illas vult*, ſcilicet Apoſtolus, *Eccleſia opibus ſuſtentari, qua proprijs manibus non queunt laborare, quę verè Vidua ſunt, quas & ætas probat & vita.* Et lib. 1. adverſus Iovinianum. *Et idcirco ętas præſcribitur, ut illa tantùm accipiant pauperum cibos, qua iam laborare non poſſunt; ſimulque conſidera, quod, qua duos habuit Viros, etiam ſi Anus eſt, & decrepita, & ęgens, Eccleſia ſtipes non meretur accipere.* Item Sanctus Chryſoſtomus in eundem locum Homil. 15. *Itaque & cum honore Viduas ali præcipit, ad neceſſarium victum referatur, ut his, qua verè Vidua ſunt, miniſtrare ſufficiat; & rurſus, honora Viduas veras, hoc eſt in paupertate conſtitutas; quantò enim pauperior eſt, tanto magis eſt Vidua.* Aliæ quoque erant Viduę, quę nobilitate ac divitiarum copia nec Eccleſiaſticis alimonijs indigebant nec in Viduarum Catalogum ob iuniorem ætatem quibant admitti, ſed privatim ſumpto velo ac nigra veſte continentiam profitebantur: Huiuſmodi erat Salvina ad quam Divus Hieronymus ſcribebat epiſtola 9. *Didiciſti Catalogum virtutum tuarum, quid debeas nomini tuo, quibus meritis ſecundùm pudicitia gradum poſsideas, nec te moveat, quòd ſexagenaria eligatur Vidua, & putes adoleſcentulas ab Apoſtolo reprobari. Et te crede eligi ab eo, qui diſcipulo dixerat; Nemo adoleſcentiam tuam contemnat, non continentiam, ſed ætatem; alioquin omnes, qua ante ſexaginta annos viduata ſunt, hac lege accipient maritos; ſed quia rudem Chriſti inſtituebat Eccleſiam, & omni ordini providebat pracipue pauperibus, quorum ei cura cum Barnaba*

naba

naba fuerat demandata. Et Sancti Ioannis Chryſoſtomi mater de qua ipſemet ad Viduam iuniorem ſcribit: *Ego aliquando cum eſſem iunior Doctori meo*, nempe Libanio *erat autem ille omnium hominum maximè ſuperſtitioſus, animadverti, matrem meam præ multis magnam excitaſſe admirationem; nam cum eos, qui ſibi aſſidebant, more ſuo interrogaſſet, cuius ego eſſem, ac reſponſum eſſet, me Viduę mulieris eſſe filium: de me quæſivit ætatem Matris & Viduitatis tempus. Cum primùm verò audivit quadraginta annos natam eſſe, vigeſimum verò iam annum agi ex quo Patrem meum amiſerit, obſtupuit valdè, atque ad eos, qui aderant, converſus clara voce exclamavit: En quales mulieres apud Chriſtianos ſunt*. Quæ duo Viduarum genera nec Presbyteræ dicebantur, nec ulla in Eccleſia fruebantur prærogativa.

Præter iſtas erant aliæ Viduæ quæ in Eccleſia & prærogativis gaudebant, & proprio vocabulo appellabantur Presbyteræ ſeu Presbyteriſsæ, quia defunctis Viris edito caſtitatis voto ac omnibus conditionibus quæ ad id requirebantur ornatæ, ad talem gradum ab Epiſcopis adſciſcebantur. Huiuſmodi conditiones recenſet Apoſtolus 1. ad Thimoth. cap. 5. *Vidua eligatur non minus annorum ſexaginta, quæ fuerit unius Viri uxor, in operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educavit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lavit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtravit, ſi omne opus bonum ſubſequta eſt*. Et Conſtitutiones Apoſtolicæ Clementis lib. 3. cap. 1. *Viduas verò conſtituite non minoris ætatis quàm annorum ſexaginta*. Et cap. 3. ſubiungit: *Veræ autem Viduæ ſunt, quæ uni nupſerunt, quibus plures honeſtarum actionum teſtimonium præbent, revera Viduæ*

tempe-

temperantes, pudicæ, fideles, religioſæ, quæ liberos honeſtè educarunt, quæ hoſpites exceperunt laudabiliter &c. Quod pariter ita confirmat Chryſoſtomus ad Viduam iuniorem: *Quæ omnia conſiderans Beatus Paulus dixit: Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum; neque verò ex hoc ſolo quamvis gravi ætatis teſtimonio continuò ſinit, ut in ſacrum hunc adlegatur Chorum, ſed alia addit ita ſcribens: in operibus bonis teſtimonium habens &c.* Solùm igitur Viduæ tale teſtimonium perhibentes in hunc Eccleſiaſticum Chorum ſeu Cœtum poterant aſcribi, ſecùs verò tanquam indignę reiiciebantur, ut idem Chryſoſtomus docet ad citata Pauli verba Homil. 14. *Quæ omnia niſi haberet Viduarum Catalogo indigna eſſet*. Porrò quia anno ſexageſimo peracto eligebantur, latino Seniores, græco vocabulo Presbyteræ, Presbytidæ, ſive Presbyteriſsæ ſunt appellatæ, ſicut in epiſtola ad Titum cap. 2. de ipſis loquens Paulus: *Anus ſimiliter in habitu ſancto bene docentes, ut prudentiam doceant adoleſcentulas*: in gręco verò legitur Presbytidæ. Cui nomenclaturę favet Cardinalis Baronius ad annum 34. numero 288. *Quòd ſicut Diaconiſſarum mentio frequens eſt apud Eccleſiaſticarum rerum Scriptores, ita etiam in iiſdem ſæpe nomen Presbyteræ, & aliquando etiam Epiſcopæ reperitur, ſed non ſic quidem, ut ſupra Diaconiſſas poſitæ aliquo fungerentur munere in Eccleſia, ſed quòd aliquando ob ętatem Viduæ ſeniores dicerentur Presbyteræ.* Ita quòd & ætate graves ac ſanctimonia venerabiles ſumma reverentia ac honore in Eccleſia prę cæteris dignarentur.

Chriſtianus Lupus Auguſtinianus inſignis Lovanienſium Theologus ac Regius Profeſſor, harum Viduarum dignitatem plus iuſto extollens, multa tamque grandia congerit,

congerit, ut quid hyperbolicum potius redolere videantur quàm Hiſtoricam veritatem. In Scholijs ad caput tertium Tertulliani de Preſcrip. verbo *Si Vidua* pag. 20. ex quibusdam, ut citat, Chryſoſtomi verbis *lucide* colligi aſserit, huiusmodi Viduitatem, *non ſolùm continentiæ profeſſionem fuiſſe, ſed Eccleſiaſticum Officium, Magiſtratum, grandem varij operis dignitatem, ſummi honoris faſtigium, Cœtum, provectionis Ordinem; Ordinem in ſolemni Eccleſiæ Conventu ſolemniter ſedendi ac præſidendi*. Et pag. 23. *Agit*, nempe Tertullianus, *de ſolis habentibus Eccleſiaſticam dignitatem, Eccleſiaſticam Præfecturam, ſummi honoris faſtigium, & ſolemnem in publica Eccleſiæ ante Divinam Maieſtatem Apparitura, Conſceſſum ac Præſidentiam*. Quid de Presbyteris, ne dicam Epiſcopis excellentius dicturus? Neſcio. Nec fas credere mihi eſt, tantum authoritatis primævam Eccleſiam Fœminis tribuiſse, cum clamet Apoſtolus 1. Corinth. cap. 14. *Mulieres taceant in Eccleſia, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe*. Et prima ad Timoth. cap. 2. *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubiectione. Mulier autem docere non permitto, neque dominari in Virum*: græcus habet, neque authoritatem uſurpare Viri, *ſed eſſe in ſilentio*. Si Mulieres in Eccleſia tacere debent, ſi ipſis Apoſtolus loqui prohibet, ſi in ſilentio eſse imperat, nec Viri authoritatem uſurpare. Ubi Eccleſiaſtica Præſidentia? Ubi Magiſtratus? cuius eam eſse vim docet Cicero 3. de legibus: *Ut præſit præſcribatque recta & utilia, & coniuncta cum legibus. Ut enim Magiſtratibus leges, ita populo præſunt Magiſtratus: Verèque dici poteſt, Magiſtratum legem eſſe loquentem*. Si inſuper iubet ſubditas eſse: Ubi grandis Eccleſiaſtica dignitas? Ubi ſolemnis

in

in publica Eccleſiæ ante Divinam Maieſtatem Apparitura, Conſeſsus, ac Præſidentia; Immo ipſemet Tertullianus, ac Chryſoſtomus, quorum authoritate ſuam opinionem fulciri putat, à quacunque Eccleſiaſtica Præſidentia excluſas Fœminas volunt. Hæc Tertullianus libro de velandis Virginibus cap. 9. *Non permittitur Mulieri in Eccleſia loqui, ſed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum Sacerdotalis officij ſortem ſibi vendicare*. Ait, *nec ullius virilis muneris*. Quòd autem præſidere in Eccleſia ad ſolos Viros tanquam peculiare ipſorum munus ſpectare intelligat Tertullianus, ex eo patet, quòd ſolos Epiſcopos ac Presbyteros in Eccleſia Præſidentes ſemper appellet, nunquam verò Fœminas, In Apologe: cap. 39. *Præſident probati quique Seniores*. In lib. de Corona militis loquens de Euchariſtia, *Nec de aliorum manu, quàm Præſidentium ſumimus*. Et lib. primo ad Uxorem. *Cum Digamos non ſinit præſidere, cum Viduam adlegi in ordinationem niſi univiram non concedit*. Quibus verbis oſtendit, præſidere in Eccleſia ſolis convenire Viris, non autem Fœminis, aliter etiam de Vidua pro *adlegi in ordinationem*, poſuiſſet, præſidere niſi univiram non concedit. Et Chryſoſtomus Homil. 4. in Epiſt. ad Titum cap. 2. *Cæterum Mulieri domi tantùm exhortationis permittit verbum, nunquam tamen præſidere concedit*. Et Homil. 31. in Epiſtolam ad Romanos cap. 16. *Præſidentiam quę ſit in medio Eccleſiæ illi prohibet*. Item Homil. 37. ſuper citatum Pauli locum ad Corinth. *Nam cum dixiſſet Mulieres veſtræ in Eccleſijs taceant, & non permittitur eis loqui, ſed ſubiectas eſſe, ſubiunxit, ſicut lex dicit. Et ubi hoc dicit lex? Ad virum tuum converſio tua, & ipſe tibi dominabitur. Vi-*

 diſti

diſti Pauli ſapientiam, & quantum adduxit teſtimonium, quòd non ſolùm eas iubet tacere ſed etiam tacere cum metu, & cum tanto metu cum quanto ancillam oportet ſilere. Propterea cum ipſe dixiſſet, non permittitur eis loqui, non ſubiunxit, ſed tacere, ſed pro tacere poſuit, quod eſt amplius, nempe ſubiici. Si hoc apud Maritos, multo magis apud Doctores & Patres & in communi Cœtu Eccleſiæ. Nec iuvat effugium, quo pag. 29. utitur Lupus, Paulum ſcilicet in Eccleſia loqui interdixiſſe Fœminis *nempe coniugatis, quas vult Domi per Maritum familiæ ſuæ Doctorem ac Epiſcopum inſtrui ac erudiri.* Nam Chryſoſtomus ſuper epiſtolam primam ad Timoth. cap. 2. Homil. 9. luculenter probat, ex Hevæ prævaricatione Apoſtolum toti muliebri Sexui in Eccleſia loqui interdixiſſe, quod obſervavit inſignis Catholicæ fidei defenſor *W*aldenſis tom. 3. tit. 7. de Sacramentalibus Ordinis cap. 59. prope finem. *Bene diſcuſſit Chryſoſtomus intellectum Apoſtoli de ſilentio Mulierum, quod eis iniunctum eſt communiter quo ad ſexum ſimul ac ſubiectio.* Et paulò infra: *Fœmina quæ hanc pœnam recepit in ſexu, ſicut Adam ſecundùm ſpeciem totam infecit naturam.* Tandem ita concludit: *Quod ſimpliciter eſt in prima Fœmina, per hanc legem Pauli ſecundùm ſexum totum Fœminis interdictum.*

Hinc manifeſtè apparet, nullam Tertullianum & Chryſoſtomum muliebri Sexui in Eccleſia Præſidentiam, Magiſtratum, ſeu unà cum Epiſcopis ac Presbyteris Conſeſſum tribuere, ſed potius omnimodam ipſarum ſubiectionem, perpetuumque ſilentium aſtruere. Nec obſtat Synodi Laodicenſis Canon vndecimus, in quo Presbyteræ etiam Præſidentes dicuntur; Nam Præſidentes vocat, quia præ cæteris Fœminis dignori loco gaude-

gaudebant in Eccleſia, ut in eiusdem Canonis Commentario indicat Theodorus Balſamon: *Antiquitus quadam vetulæ mulieres in Catholicis Eccleſijs ſedentes reliquas fortè Mulieres ad bonum & honeſtum ordinem ſervandum deducebant*. Et Sanctus Clemens Conſt. Apoſt. lib. 2. cap. 57. *Et Viduæ & Anus primę omnium ſtent aut ſedeant*. Igitur talis Præſidentia erat tantùm reſpectu loci, nempe præeminentia quędam ſedendi & dirigendi reliquas ut ſine tumultu eundem ſervarent ordinem in Eccleſia. Nec tandem ad rem facit Chryſoſtomi teſtimonium à Lupo adductum pag. 20. ex Homil., ut ipſe ait, ſuper Apoſtoli verba, *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum*: Nempe, *Viduitas eſt duplex quadam res. Quid hoc eſt tandem duplex? Bonorum operum ſpecimen, & honoris ſummi faſtigium. Vt igitur Magiſtratus eſt res quadam duplex; habet enim opera & dignitatem. Magiſtratus dignitas eſt poteſtas & cultus qui à Vulgo exhibetur, & ipſum eſſe Magiſtratum; opera verò Magiſtratus ſunt, iniuria affectis ſuccurrere, iniuriam inferentes compeſcere, Urbibus praeſſe, in communibus Reipublica curis animo excubando pernoctare, & reliqua innumera. Sic & Viduitas eſt & dignitas & opus. Maxima dignitas eſt eſſe Viduam; opus eſt, ſecundum Maritum non adſciſcere, ſed primi eſſe contentam, filios procreare, hoſpitio ſuſcipere, ſanctorum lavare pedes, tribulationem patientibus ſubminiſtrare, omne opus bonum ſectari. Itaque Paulus de iunioribus loquens opera quidem Viduæ ſinit illas perficere, ad Viduæ autem dignitatem & Cœtum ac Ordinem provehi non ſinit, donec ſexageſimus annus præterierit quaſi dicat opera quidem Viduæ faciat, dignitatem verò tunc obtineat, cum*

bis omnibus perfectis ſecuritatem temporis beneficio fuerit aſſequta, & ex operibus demonſtrationem, ac externum teſtimonium. Nam ex iis non habetur, nec inferri poteſt, Viduitatem eſſe in Eccleſia Magiſtratum, Præſidentiam ſeu Conſeſſum: Utitur enim Chryſoſtomus (ſi tamen ſua ſint verba citata; etenim cum inter Chryſoſtomi opera adinvenire nequiverim, fateor aliquid hæſiſse dubij, ne dicam, ob omiſsam fortaſse diligentiorem inquiſitionem prætervolantes oculos aufugiſse. Quidquid ſit, demus eſse talia.) Utitur, inquam, Chryſoſtomus comparatione quaddam ſive analogia inter Magiſtratum & Viduitatem amplificationis tantùm gratia, ut cuilibet eadem verba conſideranti patere poteſt; quòd ſępiſsime uſum innuit Bellarminus lib. 2 de Verbo Dei cap. 16. *Chryſoſtomus eiusmodi amplificationibus in concionibus utebatur & hyperbolicis loqutionibus.* Quod repetit etiam lib. 3. cap. 2. Præterea, non ait, ſicut dignitas Magiſtratus eſt poteſtas Urbibus præeſse &c. ita dignitatem Viduitatis eſse poteſtatem, Præſidentiam, ſeu unà cum Epiſcopo ac Presbyteris in Eccleſia præeſse, ſed tantummodo dicit, dignitatem Viduitatis nil aliud eſse, niſi eſse Viduam: *Maxima dignitas eſt eſſe Viduam*. Fateor Viduitatem maximam eſſe dignitatem, *ſi dignitas eſt exiſtimatio, quæ ſatis claret rebus geſtis, magnificaque opinio*, quo ſenſu loquitur Hieronymus epiſt. 150. quæſt. 1. ſcribens ad Hedibiam Viduam: *Vis eſſe perfecta & in primo ſtare faſtigio dignitatis? Fac quod fecerunt Apoſtoli: vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Fateor eſse honoris ſummi faſtigium, ſi de honore dicas, qui eſt *reverentia, quam alicui exhibemus in virtutis teſtimonium*. Inſignis profectò virtus fuit ſemper Vidualis continentia, ita ut Ethnicis ipſis admirationi fuerit, ut

Digitized by Google

ut idem Chryſoſtomus ſcribit ad Viduam iuniorem: *Tanta non modo apud nos, ſed etiam apud Gentiles, Viduitatis laus eſt & admiratio*. Quantum verò exiſtimationis, quàmve magnifica de Viduitate opinio Tertulliano fuerit, ſatis perſpicuum fit ex capite 8. lib. 1. ad Uxorem ſcribenti: *Quanti eſt Vidua ipſa cuius adſertor Dominus diſputabit? Non tantùm Uirginibus datum opinor, licèt in illis integritas ſolida & tota ſanctitas de proximo viſura ſit faciem Dei; tamen Vidua habet aliquid operoſius, quia facile eſt non appetere quod neſcias, & averſari quod deſideraveris nunquam. Glorioſior continentia, quæ ius ſuum ſentit, quæ quid viderit novit. Poterit Virgo facilior haberi, at Vidua laborioſior.*

Ex quibus ſatis aperte colligitur, Vidualem honorem ſive dignitatem fuiſſe tantummodo exiſtimationis, reverentiæ, laudis, & admirationis in profeſsæ continentiæ aliarumque virtutum, quas requirit Apoſtolus, teſtimonium, quibus ornatæ Viduæ in Cœtum, Ordinem, ſeu Catalogum cæterarum Eccleſiæ Viduarum ab Epiſcopis cooptabantur, prævio tamen magno examine, ut docet Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio: *Nam quoties illa delıgendæ ac tanquam in Catalogum referendæ ſunt, & hic quoque magno admodum examine opus eſt.* Hinc videmus, quòd etiam nunc in honorem ac reverentiam ſanctæ Viduitatis Catholica Eccleſia ſuis in precibus poſt Virgines, Viduas nominat, ut obſervat Cornelius à Lapide in prima ad Timoth. cap. 5, verſu 3. *Erant ætate & Sanctitatis profeſſione honorabiles; undè tanta & tam multa requirit Apoſtolus ab eis. Hinc etiam in tertia collecta in die Paraſceves, quo Sacerdos orat ordine pro quolibet Eccleſiæ gradu & ſtatu, poſt Clericos & Virgines orat pro Viduis ac deindè pro toto populo.* Ex

Digitized by Google

Ex hactenus dictis cum ſatis oſtenſum ſit, nullum Presbyteriſſis Magiſtratum, nullamque cum Epiſcopo ac Presbyteris Præſidentiam fuiſse, de earundem miniſterio ſive officijs ſupereſt agendum. Certum eſt Presbyteriſsarum Cœtum ſeu Ordinem non ſolùm in Vidualis continentiæ honorem, ſed etiam propter quædam officia ſexui muliebri aptiora in veteri Eccleſia fuiſse ſtatutum, quæ cum à Clericis exerceri haud conveniens putaretur, ne ſcilicet Chriſtiani nominis puritatem deturpandi improborum lingvis in cauſa foret, neve infidelibus noſtrarum rerum curioſis alicuius fortaſse ſuſpicionis etiam tenuiſsimæ daretur occaſio, Viduas Presbyteriſsas ea ſolùm exequi veteres illi Patres ſancivere. Horum porro officiorum præcipuum erat, Adoleſcentulas nubere volentes ipſarum coſtodiæ traditas privatim inſtituere de maritali concordia, de ſancta filiorum educatione, pudicitia, cæteriſque virtutibus, quibus optimam Matremfamilias ornari oporteret, ſicut præcipit Apoſtolus ad Titum 2. *Ut prudentiam doceant Adoleſcentulas, ut Viros ſuos ament, filios ſuos diligant, prudentes, caſtas, ſobrias, domus curam habentes, benignas ſubditas ſuis Viris ut non blaſphemetur verbum Dei*. Cui concinit Chryſoſtomus Homil. 4. ibidem: *Nam docendas mulieres mulieribus magna ex parte permiſit, Anus Adoleſcentularum magiſtras eſſe conſtituens*. Alterum erat, inſtruere imperitas Mulieres catechumenas, ut Sacerdoti, à quo Sacro fonte erant expiandæ, recte apteque ad interrogata reſponderent, ut habetur Canone 12. Concilij Carthaginenſis ad annum 436. *Tam inſtructæ ſint ad officium, ut poſſint apto & ſano ſermone docere imperitas & ruſticas Mulieres tempore quo baptizandę ſunt, qualiter Baptizatori, interrogata, reſpondeant, et qualiter ac-*

cepto

cepto Baptiſmate vivant. Inſuper ipſis permiſsum; de principijs noſtræ fidei, ſi fortè à rudibus interrogatæ, ſermonem facere, nequaquam tamen de arcanioribus Myſterijs, ſed de his erudiri cupientes, ad Epiſcopos & Presbyteros mittere debebant, ita in Conſt. Apoſtol. lib. 3. cap. 5. *Si quis aliquid interroget, ne facilè reſpondeat; præterquam de fide in Dominum, et de iuſtitia, ac ſpe in Deum, eos qui in dogmatibus Religionis Chriſtianæ erudiri voluerint ad Prepoſitos Eccleſiæ remittat*. Et cap. 7. idem Clemens reliqua, quæ etiam domi ab ipſis agi oportebat, ita recenſet: *Sit continens, lenis, tranquilla, religioſa, verecunda, ſedens domi ſuæ pſalens, precans, legens, vigilans, ieiunans, ſemper coram Deo colloquens odis et hymnis ſpiritualibus & lanam faciens, ut potius ſuppeditet alijs, quàm ipſa ulla re indigeat*. Et paulò poſt: *Viduas igitur oportet eſſe honeſtas, graves, obedientes Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, adhuc etiam Diaconiſsis*. Iſta igitur erant tantummodo Officia, ad quæ peragenda inſervientibus Presbyteriſsis olim vtebatur Eccleſia, quæ potius famulitium quoddam Eccleſiaſticum exprimunt, quàm quid authoritatis, poteſtatis, ſiue iuriſdictionis.

Verùm laudatus Lupus ex quibuſdam Tertulliani locis alia quædam excellentiora munera ad Viduarum Cœtum ſpectaſse, probare nititur. Ita enim ait loco citato pag. 25. *Ex adductis Tertulliani teſtimonijs ſecundo addiſcimus varia Magiſtralium ſeu Præſidentium Viduarum Officia. Primum eſt in his verbis*. Matrimonium poſtulas ab Epiſcopo, Presbyteris, Diaconis, Viduis: *Nemo olim fidelis inire Matrimonium poterat ſine conſilio, & conſenſu Cleri in quo erant & Viduæ*. Et infra: *Hoc in conſi-*

lio

lio Eccleſia ſuffragij prærogativam voluit eſſe ſuo Clero. Poſtea ſubdit. *Proinde ſacræ Viduæ non tantummodo ad conſilianda, & concilianda ſponſalia concurrebant, ſed etiam ad ipſam Matrimonij ſigillatricem benedictionem, etenim dabant Viros & Uxores, ipſosque in Eccleſia coniungebant*.

Veriſſimum eſt, Eccleſiam etiam in ſuis primordijs ab occultis nuptijs ſemper abhoruiſſe, ne ſcilicet fidelis duceret infidelem, ſcribente Apoſtolo 1. ad Corinth. 7. *Cui vult nubat tantùm in Domino*, & II. 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus*. Quod etiam teſtatur Tertullianus lib. de Pudicitia cap. 4. *Penes nos occultæ quoque coniunctiones, ideſt, non prius apud Eccleſiam profeſſæ iuxta mœchiam, & fornicationem iudicari periclitantur*. Idcirco explorata prius ab Epiſcopo vel Presbytero ad id legitime deputato, Viri ac Mulieris conditione, & conſenſu, in facie Eccleſiæ ſacra nuptiarum fœdera contrahebantur. Quòd autem nullus fidelis abſque Cleri conſenſu ac ſuffragio Matrimonium inire tunc potuerit, nulla probabilitate nititur; Haud etenim veriſimile videtur, ab Epiſcopis Clerum convocari debuiſse quotieſcunque aliquod Matrimonium foret contrahendum, ut Clericorum ſuffragijs probatum vel improbatum ab Eccleſia cenſeretur; Sacri namque Canones de data Clericis hac ſuffragij poteſtate omnino ſilent, ſed Miniſtrum tantummodo ſeu Sacerdotem nominant, qui coniugum conſenſum exquirat, approbet, declaret, & benedictione Sacerdotali confirmet, ut videre eſt apud Gratianum 30. q. 5. c. 1. 2. 3. & 5. Baronium ad annum 57. numero 50. & Bellarminum de Matrimonio cap. 6. & cap. 34. Immo Sanctus Martyr Ignatius tertius à Sancto Petro Antiochenus Epiſcopus, ſolius Epiſcopi arbitrium, nulla facta Cleri mentione,

ſatis

ſatis fuiſse, diſerte aſserit ſcribens ad Polycarpum; *Decet enim, ut & ducentes Uxores & nubentes cum Epiſcopi arbitrio coniungantur, & nuptiæ iuxta precepta Domini, non autem ob concupiſcentiam coijſse videantur*. Ex quibus plane ſequitur, Clerum hac ſuffragij prærogativa penitus caruiſse. Igitur nec datam Uiduis Præsbyteriſsis ulla ratione aſtrui poterit, etiamſi ipſas in Clero fuiſse, ut perperam contendit Lupus, concedatur, quod tamen abſit admittere; Nam ipſemet Tertullianus lib. de Monogamia cap. 12. de Clero loquens, solùm ſexum virilem in eundem adlegi haud obſcure inſinuat ita ſcribens: *Unde enim Epiſcopi & Clerus nonne de omnibus? ſi non omnes Monogamię tenentur, unde Monogami in Clerum? An ordo aliquis ſeorſum debebit inſtitui Monogamorum, de quo adlectio fiat in Clerum*. Monogami græce, latine Viri qui unicam duntaxat Uxorem habuerunt; quare fit conſequens, Tertulliani ſenſum eſse, Clerum Viris ſolummodo conſtare, non autem Fœminis; quanti verò valeat hæc Tertulliani ratiocinatio in medium relinquo, ſatis enim eſt, prout ad noſtrum inſtitutum, illam recitaſse. Inſuper quid, ſi in Clero fuiſsent, Clericas vocari prohibuiſset? At huiusmodi titulo inſignitas nuſquam gentium invenitur, ſolùm enim eos, qui Eccleſiaſticis ordinibus initiati Clericorum nomine decoratos tradit Sanctus Pater Auguſtinus in Pſalmum 67. circa medium: *Nam & Cleros & Clericos hinc appellatos puto, qui ſunt Eccleſiaſtici Miniſterij gradibus ordinati, quia Matthias ſorte electus, quem primum per Apoſtolos legimus ordinatum*. Et Sanctus Iſidorus lib. 7. Etymol. cap. 12. recitatis Auguſtini verbis, eos qui in Clero ſunt, & Clerici nuncupantur, nominatim recenſet; *Cleros*

& clericos hinc appellatos credimus, quia Matthias ſorte electus eſt, quem primum per Apoſtolos legimus ordinatum. Cleros enim græce, ſors latine vel hæreditas dicitur; propterea ergo dicti ſunt Clerici, quia de ſorte Domini ſunt, vel quia Domini partem habent. Generaliter autem Clerici nuncupantur omnes qui in Eccleſia Chriſti deſerviunt, quorum gradus & nomina ſunt hæc: Oſtiarius, Pſalmiſta, Lector, Exorciſta, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter & Epiſcopus. Nullus noſtris Viduis locus, quarum profecto meminiſſet Iſidorus, ſi in Clero fuiſsent, cum in Hiſpaniarum Eccleſijs ſuo tempore eas viguiſſe conſtet ex cap. 55. Concilij Toletani IV. *Duo ſunt genera Viduarum, ſæculares, & Sanctimoniales; Sæculares Viduę quæ adhuc diſponentes nubere Laicalem habitum non depoſuerunt. Sanctimoniales ſunt quæ iam mutato habitu ſæculari ſub Religioſo cultu in conſpectu Sacerdotis & Eccleſiæ apparuerunt. Ne ſi ad nuptias tranſierint iuxta Apoſtolum non ſine damnatione erunt; quia ſe primùm Deo voventes, poſtea caſtitatis propoſitum abiecerunt.* Fuit hæc Synodus celebrata Ærę 671. vulgaris verò Epochæ anno 633. quo Sanctus Iſidorus adhuc Hiſpalenſem Eccleſiam regebat. Nomine autem Sanctimonialium noſtras Viduas intelligi, ab ipſomet Lupo addiſcimus, qui pag. 32. ex canone 12 Synodi Carthaginenſis quarti earundem titulum fuiſse docet ita ſcribens: *Eas Carthaginenſis Synodus appellat Sanctimoniales, & hic eſt tertius titulus.*

Tertulliani verò locum à quo citata verba laudatus Lupus deſumpſit, nempe, *Matrimonium poſtulas ab Epiſcopo, Presbyteris, Diaconis, Viduis*, integrum refert pag. 24. ex lib. de Monogamia cap. 11. *Vt igitur*

tur in Domino nubas ſecundùm legem & Apoſtolum, qualis es id Matrimonium poſtulans, quod ab eis à quibus poſtulas non licet haberi? (Eſt varia lectio, nam editio Pameliana legit: *Quod eis à quibus poſtulas non licet habere*). *Ab Epiſcopo Monogamo, à Presbyteris, à Diaconis eiusdem Sacramenti, à Viduis quarum ſectam tu recuſaſti. Et illi plane ſic dabunt Viros & Uxores quomodo bucellas? Hoc enim eſt apud illos: omni petenti te dabis. Et coniungent vos in Eccleſia virgine unius Chriſti unica ſponſa?* Verùm ex his haud candide inferri poteſt, Tertulliani mentem fuiſſe, *Viduas ad sigillatricem Matrimonij benedictionem concurrere, & Viros & Uxores in Eccleſia coniungere*; Cum lib. de Virginibus velandis cap. 9. à nobis ſupracitato expreſſè aſſerat, non permitti mulieri in Eccleſia *ullius virilis muneris nedum Sacerdotalis officij ſortem ſibi vendicare*. Coniungere autem Viros & Uxores in Eccleſia, ac ſigillatrici benedictione firmare, non Viduarum, ſed ſolius Sacerdotis officium ſemper fuiſſe clamant antiqui Canones, & ſacra aſtruunt Pontificum Decreta. Dominicus Macrus Rerum Eccleſiaſticarum peritiſſimus in Hiero-Lexico, verbo *Monogamus*, hunc Tertulliani locum explicat: *Qui non habet notitiam Tertullianicorum temporum difficiliter ſenſum prædicti textus percipere poſſet; Fœminæ enim tunc antequam nubebant conſilium & informationem petebant ab Epiſcopo unà cum alijs Eccleſiaſticis, Viduisque Diaconiſſis* (veriùs Presbyteriſsis) *inquirentes viri conditionem, & hoc dicebatur petere Matrimonium ab Epiſcopo, à Viduis &c.* (magis placeret ſi aliquo teſte comprobaret) *quare perperam aliqui hunc locum de nuptiali benedictione loqui intellexerunt; Nam ſenſus*

quidem improprius eſset, non enim Viduæ hanc benedictionem dare poterant. Cardinalis verò Baronius cenſet, Tertulliani verba intelligi de interventu Viduarum pro maiori Matrimonij celebritate ita ſcribens ad annum 57. numero 50. *Præterea verò non coram uno tantùm Presbytero Matrimonij adſtipulatore hęc olim tractabantur, ſed, quod alibi idem Tertullianus ait*, ſcilicet de Monogamia cap. 11. *Coram Epiſcopo, Presbyteris, Diaconis, intervenientibus etiam in Eccleſia Viduis maiore celebritate.* Verùm magis conſentaneum arbitror, ſi dicatur, Tertullianum à Viduis Matrimonia poſtulari dixiſſe, ut patriam conſuetudinem indicaret, qua nubiles Virgines non ſolùm à parentibus, ſed à Viduis quoque, ſub quarum cura, ac diſciplina cuſtodiebantur in Matrimonium peti ſolebant, ut colligitur ex epiſtola Evariſti Romani Pontificis, qui anteriori Sæculo à Tertulliano vixit, hæc inter alia ad Epiſcopos Africæ ſcribentis. *Ab his qui ſuper Fœminam dominationem habere videntur, & à quibus cuſtoditur Uxor petatur, & à parentibus, & à propinquioribus ſponſetur, & legibus dotetur, & ſuo tempore Sacerdotaliter, ut mos eſt, cum precibus & oblationibus à Sacerdote benedicatur*, & à Paranymphis, *ut conſuetudo docet cuſtodita & ſociata &c.* Qui mos & conſuetudo Matrimonia petendi à cuſtodibus Viduis adhuc Tertulliani tempore viguiſſe oportet, non tanquam Eccleſiaſticus Ritus, quo videlicet Viduarum conſenſus ſive ſuffragium, quia in Clero eſſent, uti neceſſarium ab Eccleſia requireretur, ſed tantùm duntaxat, quia nupturas Virgines cuſtodientes, ipſarum animos faciliùs petentibus conciliarent, ac Sponſalia ſenili gravitate provide diſponerent, ut omnia ad uberiorem fructum concorditer ſanctèque in Domino fierent;

Quod

Quod etiam ſua ætate ſervatum indicat Sanctus Ambroſius, lib. de Viduis prope finem. *Maritandis tamen iunioribus provida, ubi cultus utilior, ubi fructus uberior ſit, quarum copulam aptiorem ſenili gravitate diſponit*. Cum verò Sponſæ ſigillatricem benedictionem accepturæ erant, ipſas Viduæ Presbyteriſsæ ad Eccleſiam comitabantur, & tanquam Paranymphæ ſeu Pronubæ Sacerdoti benedicendas offerrebant, ut habetur canone 13. Concilij Carthaginenſis IV. *Sponſus & Sponſa cum benedicendi ſunt à Sacerdote, à parentibus ſuis, vel à Paranymphis offerrantur*. Explicat Gloſſa apud Gratianum diſt. 23. Ca. Sponſus. *Dicas quòd Paranymphi vel Paranympha ſunt cuſtodes puellæ ei aſſiſtentes, & docentes qualiter ſe debeant habere*. Cur autem ſolæ Viduæ Paranymphas ſeu Pronubas agerent, rationem diſerte reddit Iſidorus lib. 2. de Officijs Eccleſiaſticis cap. 19. *Quòd verò eisdem Virginibus univiræ adhibentur Pronubæ, hoc fit ſcilicet propter monogamiam, & ſi auſpicij cauſa, tamen auſpicium boni eſt*.

Cæterùm ut huiuſce loci obſcuritati aliquid lucis pro modulo afferamus notari debet, Tertullianum iam à Catholica Eccleſia ad Montanicam delapſum, librum de Monogamia adverſus *Pſychicos* ſcripſiſſe (ita ignominiæ cauſa Catholicos appellat; ideſt *animales*, cum ſe ſolummodo *ſpiritales* iactarent Montaniſtæ) idque in ſecundarum nuptiarum odium, quas, ut ait Sanctus Pater Auguſtinus de bono Viduitatis, *tanquam illicitas maledico dente concidit, quas omnino licitas Apoſtolus ſobria mente concedit*. Quod ſane Uxoris Zelo conceptum ſatis apparet ex libris ad eandem ſcriptis, quibus ipſam à ſecundis nuptijs multis argumentis dehortari nititur, præcipue initio libri primi, ubi

ubi ita ſcribit: *Pręcipio igitur tibi quanta continentia, poſt exceſſum noſtrum renuncies nuptijs, nihil mihi iſto nomine collatura, niſi quod tibi proderis*. Eximia Charitas! Et paulò poſt. *Ne putes propter carnis tuę integritatem mihi reſervandam, de contumelia dolore ſuſpectum inſinuare iam hinc tibi conſilium Viduitatis*. Sancta profectò ſynceritas, ni plerunque cupiditatem, qua quid impenſius appetimus, ut ſine ſuſpicione conſequamur, urbana, ne dicam callida diſſimulatione occuleremus. Qua quidem arte plane uſum ſe prodit Tertullianus, ne ſcilicet tanta contumelia iteratis ab Uxore coniugijs, afficeretur. At unde talis contumelia è vivis iam ſublato, ſi Uxor alteri nupſiſſet? Viam aperit Sanctus Hieronymus 54. epiſtola ad Marcel. ita ſcribens: *Nos ſecundas nuptias non tam appetimus quàm concedimus, Paulo iubente, ut Viduæ adoleſcentulæ nubant; illi*, nempe Montani ſectatores, *in tantùm putant ſcelerata coniugia iterata, ut quicunque hoc fecerit Adulter habeatur*. Ex hoc igitur orta contumeliæ ſuſpicio, ne ſcilicet Uxor iterato coniugio haberetur adultera; Hinc ab ipſo tanta ſolicitudo in dehortanda à ſecundis nuptijs Uxore adhibita, non caſtitatis amore ſeu pudicitiæ, ſed timore ignominiæ, quam ſibi ſuoque nomini, Montanica lue tactus, inurendam putabat. Et quamvis cum iſta ſcriberet non ita palam Montani partes foveret, attamen ipſius hæreſes ſorbere incæperat, nam ſecundas nuptias licèt non omnino tunc damnaſſe videatur; ipſas tamen *confuſionem, contumeliam, deteſtabiles* appellat, quas poſtea Montani ſectator aperte factus, *ſtupra, adulteria, & Mœchiam* libro de Monogamia vocare non timuit, immo varijs argumentis clariſſima Apoſtoli verba, aliaſque Scripturas detorquendo, tales eſſe probare contendit.

Hic

Hic liber præter hæreſim, qua totus olet, quædam per deriſum ac ironiam continet, & præſertim illa præcitati loci verba, quibus Viduam nubere cupientem alloquitur, nempe: *id Matrimonium*, ideſt ſecundum, *poſtulans – ab Epiſcopo Monogamo à Presbyteris &c.?* Num in Eccleſia tunc ſolùm Monogami Epiſcopi & Presbyteri à quibus Matrimonia poſtularentur? Non etiam cœlibes & Virgines? fortaſse plures. Sed Monogamos tantùm nominat, immo & Viduas annectendo, quibus nullum Virile munus, ut ipſemet fatetur, in Eccleſia conceſsum, ut magis irrideat Matrimonium poſtulantem à quibus haud licitum, Montanico ſenſu, erat haberi, quia ſi Monogami, bigamiam profectò permittere nequaquam poterant. Sequitur: *Et illi plane ſic dabunt Viros & Uxores quomodo buccellas?* Pamelius cum Rhenano in notis ad hunc locum numero 36. per buccellas Euchariſtiam ſignificari exiſtimant: *De illis buccellis loquitur, ut conijcio, quas domum ferendas ab Eccleſiæ Miniſtris accipiebant*. Quam quidem coniecturam venia tanti Viri approbare haud poſsum; Septimio enim frequens obſcure loqui, & reconditis quibuſdam proverbiorum formulis uti, quòd perdifficile ſit ipſius divinare mentem, ut obſervat eruditiſsimus Andreas Hoyus Brugenſis in epiſtola ad Pamelium: *Nam cum obſcuram & reconditam proverbiorum eſſe per ſe & univerſe ſententiam non ignorarem, tum in horrido & minime ſermonis genere, cuiuſmodi tuus utitur Tertullianus; proverbia explicare qua neque hodie inter eruditos frequentantur, neque apud alios Scriptores, interpreteſve facile eſt invenire, niſi explorata Tertulliani ſententia, ſæpiuſque iterata lectione &c.* Attamen ſi proprio ſenſu abundare aliquando liceat, probabiliori coniectura

ra dixerim, Tertullianum alludere ad buccellatum; quod à Græcis paxamas, à Latinis buccellatum, panem ſcilicet bis coctum dici ſcribit Svidas: de quo pariter Ammianus Marcel. lib. 17. *Frumentum ad uſus diuturnitatem excoctum buccellatum vocant, humeris militum impoſuit*; Ideoque Buccellarius Exercitus in Oriente ita appellatus, quia panem buccellatum ſeu bis coctum ſecum ferebat, notat laudatus Macrus in Hiero-lexico, verbo *Buccellarius*. Quo quidem verbo *buccellas* Septimium veluti proverbio uſum opinor, ut tali ſimilitudine Bigamos ſcommatice denotaret, ac per ironiam dixerit: *Et illi plane ſic dabunt Viros & Uxores quomodo buccellas?* Ideſt bis Maritos, bis Uxores, quomodo bis coctos panes? Et eadem figura proſequens, ſubdit: *Et coniungent vos in Eccleſia Virgine unius Chriſti unica Sponſa? Et orabis pro Maritis tuis novo & vetere*. Si Eccleſia Virgo, Chriſtique unica ſponſa, quomodo vos Bigamos in ipſa coniungent? Inde Viduæ quam alloquitur optione per probrum data, nempe; *Elige cui te adulteram preſtes*, ſtatim mordaciori reſponſione ſugillat: *Puto ambobus*. Ita miſer Tertullianus hæreſi obcæcatus fœdiſſimo convitio ſecundas nuptias proſcindit. Cuius quidem verba prolixiori examine expenſa Lectori obtulimus, ut magis appareat, ex ipſis nullatenus evinci, Terulliani mentem fuiſſe, *Viduas ad ſigillatricem Matrimonij benedictionem concurrere, & Viros & Uxores in Eccleſia coniungere*; Sed aliter, per ironiam loquendo, ſenſiſſe, ut Bigamos veluti adulteros huiusce probri inſimularet, acriorique ſtylo ſecundas nuptias per ignominiam configeret.

Alterum Officium, quod Vir doctiſſimus Præsbyteriſsis attribuit, prodit pag. 26. ita ſcribens: *Secundum ſacrarum Uiduarum Officium eſt in his Tertulliani*

ni verbis: Proſternis in medium ante Viduas; ante Presbyteros. *Publicę olim pœnitentiæ exordium & primus quaſi gradus erat ſolemnis ac publicus fletus, de quo Doctor in lib. de Pœnitentia*: Exomologeſis proſternendi & humilificandi hominis diſciplina eſt. *Flentes agebant hæc omnia, ut ſua tandem pœnitentia ad operis operati virtutem, ac ipſi ad reconciliationis gratiam per Sacerdotales claves admitterentur. Fiebant hæc ad Cleri examen atque iudicium. Et hoc in Clero ſacra Viduę licèt nihil Eccleſiaſticæ iurisdictionis, habuerunt tamen ſuum locum, atque ſuffragium.*

Solemnis iſte fletus, quo Pœnitentes ſacco ac cinere ſordidati peccata publice deplorabant, nomine *primi* Pœnitentiæ gradus tempore Tertulliani haud in Eccleſia noſcebatur, ſolùm enim poſt Novatianam hæreſim, quæ anno 254. conflato primo in Eccleſia Schiſmate, emerſit, de Pœnitentiæ gradibus, ſive Pœnitentium in varias claſses diſtinctione ab Eccleſiaſticis Scriptoribus mentionem fieri reperitur, ut erudite obſervat Eminentiſsimus Bona lib. 1. Rerum Liturg. cap. 17. numero 3. *Obſervant Eruditi in ſcriptis Tertulliani, Cypriani, & aliorum Patrum, qui ducentis & quinquaginta annis poſt Chriſtum floruerunt, nullam reperiri Pœnitentium in varias claſſes diſtinctionem; ſive Epiſcoporum prudentiæ commiſſa tunc fuerit, ſive revera poſt Novatianam hęreſim inceperit, quod probabilius exiſtimo. Cum enim Novatiani perperam aſſererent, non eſſe in Eccleſia poteſtatem peccata poſt Baptiſmum dimittendi, in quo, teſte Paciano, eorum hæreſis ſita erat, non quòd ſimpliciter negarent lapſis pœnitentiam: Viſum eſt Patribus modum & ordinem pœnitendi certis legibus ſtabilire.* Harum præcipuas

tulit Sanctus Gregorius cognomento Thaumaturgus; ac pœnitentium gradus ſive claſſes primus ordinavit, ut ex eius epiſtola Canonica videri poteſt, quam ſcriptam celebrato Neocæſareæ prius Concilio anno 261. poſt Gothorum ſcilicet aliorumque Barbarorum incurſiones, quibus totam Provinciam divexarant, tradit Baronius ad annum 263. numero 24. *Ad emendationem complurium delictorum, quæ tunc illius barbaricæ incurſionis occaſione perpetrata fuiſſent, eam epiſtolam ſcripſit, quam Græci Canonicam vocant, & in Canone ad ſextam Synodum appoſito inter alias Canonicas epiſtolas annumeratur.* Continet undecim pœnitentiales Canones, in quorum ultimo hæc leguntur: *Fletus ſeu luctus eſt extra portam Oratorij, ubi peccatorem ſtantem oportet fideles ingredientes orare, ut pro ſe precentur. Auditio eſt intra portam in loco quem Narthica vocant in ferula, ubi oportet eum qui peccavit ſtare poſt Catechumenos, & illinc egredi; Audiens enim poſt ſcripturas & doctrinam eijciatur, & precatione ne dignus cenſeatur. Subiectio autem ſeu ſubſtractio eſt, ut intra templi portam ſtans, cum Catechumenis egrediatur. Congregatio ſeu conſiſtentia eſt, ut cum fidelibus conſiſtat, & cum Catechumenis non egrediatur. Poſtremo & participatio Sacramentorum.* Quatuor hos gradus Græci appellant Proclauſin, Acroaſin, Hypoptoſin, & Syſtaſin. Ex quibus deducitur, Tertullianum, cum de publico pœnitentium fletu ſermonem facit, haud poſſe intelligi, de eo loqui veluti primo pœnitentiæ gradu, ſiquidem de tali ordine pœnitendi per gradus, nondum quidpiam à Patribus ſtabilitum Eccleſiæ innotuerat, ſed tantummodo Fletus tunc erat in uſu, in quo pœnitentes breviori vel longiori tempore pro ſcelerum qualitate manebant

bant extra Eccleſiam mœſti, ſqualidi, ac ad excitandam miſericordiam omni ex parte compoſiti, ingredientium pietatem implorabant, ut pro ipſis apud Epiſcopum intercederent; Pœnitentia enim ſolemnis à ſolis Epiſcopis indicebatur, ac pax pœnitentibus reddebatur, quod innuit idem Tertullianus lib. de Pud. cap. 18. *Utique & pœnitentia ad ſe clementiam invitat, ſalva illa pœnitentiæ ſpecie poſt fidem, quæ aut levioribus delictis veniam ab Epiſcopo conſequi poterit, aut maioribus & irremiſsibilibus* (hìc montanizat) *à Deo ſolo*. Nec id Presbyteris licebat niſi in abſentia Epiſcopi cogente neceſsitate; Quod à quibuſdam temere factum conqueritur Cyprianus tota epiſtola decima edit. Pamel. Opera verò, quibus in hoc Fletu Pœnitentes pro purgandis criminibus interim incumbebant, commemorat idem Cyprianus lib. de *Lapſis* verſus finem; & Tertullianus de Pœnit. cap. 9. Orare ſcilicet impenſius & rogare, diem luctu tranſigere, vigilijs ac fletibus noctes ducere, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus deijcere, illa quæ peccavit triſti tractatione mutare, ingemiſcere, lachrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum ſuum. Quibus iuxta præſcriptum tempus plene peractis, ad reconciliationis gratiam, ſacramque Synaxin admittebantur. Nullum porro hac in re iudicium, nullum examen fieri per Clerum conſueverat, quoniam hæc Epiſcoporum duntaxat authoritati ac poteſtati debebantur; ita Cyprianus in epiſt. Synodica num. apud Pamel. quadrageſima quarta ad S. Cornelium Papam: *Placuit nobis Sancto Spiritu ſuggerente, & Domino per viſiones multas & manifeſtas admonente, quia hoſtis nobis imminere prænunciatur, & oſtenditur, colligere intra caſtra milites Chriſti*, & examinatis ſingulorum cauſis *pacem lapſis dare*. Ad quam

Digitized by Google

tamen nemo pervenire poterat niſi prius ab Epiſcopo & Clero manus eſset impoſita, & hac tantummodo prærogatiua fruebatur Clerus cum Pœnitentes ad Eccleſiæ communionem recipiebantur, non autem cauſas cognoſcendi, examinandi, vel iudicandi ut imaginatur Lupus. Clare Lucianus inter epiſtolas Cypriani vigeſima ſecunda ad Celerinum ſcribens, ait: *Et ideo frater peto ut ſicut hìc cum Dominus cæperit ipſi Eccleſiæ pacem dare, ſecundùm præceptum Pauli & noſtrum tractatum*, expoſita cauſa apud Epiſcopum, *& facta exomologeſi habeant pacem*. Ad quæ verba ſcitè Pamelius: *Vides hìc à Luciano quantumvis indiſcreto, tamen obſervatum illud, quod toties in Presbyteris reprehendit Cyprianus*, ut cauſæ cognitio apud Epiſcopum, *& exomologeſis præmitterentur antequam pax daretur etiam ad preces Martyrum.*

Cyprianum audiamus dictos Presbyteros epiſtola duodecima increpantem: *Audio tamen quoſdam de Preſbyteris nec Evangelij memores, nec quid ad nos Martyres ſcripſerint cogitantes*, nec Epiſcopo honorem Sacerdotij ſui & Cathedræ reſervantes, *iam cum lapſis communicare cæpiſse; & offerre pro illis, & Euchariſtiam dare, quando oporteat ad hæc per ordinem pervenire. Nam cum in minoribus delictis, quæ non in Dominum committuntur pœnitentia agatur iuſto tempore, & exomologeſis fiat* inſpecta vita eius qui agit pœnitentiam, *nec ad communicationem venire quis poſſit, niſi prius illi ab Epiſcopo & Clero manus fuerit impoſita, quanto magis in his graviſsimis & extremis delictis caute omnia & moderate ſecundùm diſciplinam Domini obſervari oportet*. Dat Clero, unà tamen cum Epiſcopo manus tantummodo imponere, cætera prohibet, ac repre-

reprehendit, quare non ita facilè aſſentiri poſſumus Viro doctiſsimo aſſerenti, ***Fiebant hæc ad Cleri examen atque iudicium***, cum id ſolis Epiſcopis incumbiſse doceat Cyprianus. Quod autem ſubdit, & ad rem noſtram præcipue facit, nempe, ***Et hoc in Clero ſacra Vidua, licèt nihil Eccleſiaſticæ iurisdictionis, habuerunt tamen ſuum locum atque ſuffragium***, quantum veritatis habeat ex eo vel maxime deprehendi poteſt, quòd nusquam à ſummis Pontificibus, Synodis, ac priscis Patribus tale quid hisce Viduis iniunctum reperiatur, quinimmo Fœminis cuiuſcunque conditionis, ſe rebus Eccleſiaſticis immiſcere ſemper & ubique penitus interdictum legatur; Repetit eadem chorda oberrando, ***Viduas in Clero*** fuiſse, ut validiùs inferat earum locum, ac ſuffragium in Pœnitentium cauſis, examine, ac iudicijs; At nec in Clero fuiſse iam ſupra probavimus, nec ad Clerum talia ſpectaſse, ſed ad ſolos Epiſcopos dudum ex Cypriano oſtendimus. Præterea, habere locum in Pœnitentium examine, ac in eorundem iudicijs ſuffragium, nonne ſapit Eccleſiaſticam iurisdictionem ſaltem exteriorem, ut in materia pœnitentiali vocant Canoniſtæ.

Tandem addit pronomen ***hoc*** ut demonſtret Maſculinum Clerum ad diſtinctionem Fœminei, quem in Eccleſia tunc fuiſſe autumat pag. 32 verſu ultimo ex Tertulliani verbis libri primi ad Uxorem cap. 7. nempe: ***Viduam adlegi in Ordinem***, quæ ita interpretatur; ***Et notanda ſunt verba***: Adlegi in Ordinem. ***Edicunt uti in Maſculinum ita & in Fœmininum Clerum tunc non ſola adlectione, ſed etiam Ordinatione fuiſſe adſenſum***. Non contentus in Maſculinum Clerum ipſas obtrudere, niſi etiam Fœmineum ſomniaret, in quem non ſola ***adlectione***, ſed etiam ***Ordinatione*** cooptarentur. Quæ quidem interpretatio quàm

longe

longe à Tertulliani ſenſu abhorreat ipſomet teſte manifeſtè evincitur. Libro de Virginibus velandis cap. *9.* ſcribit: *Plane ſcio alicubi Virginem in* Viduatu *ab annis nondum viginti collocatam*. Et paulo poſt: *Ad quam* Sedem *præter annos ſexaginta non tantùm univiræ, ideſt, nuptæ aliquando, eliguntur*. Igitur Viduam adlegi in *Ordinationem*, ſive ut vult Lupus, in *Ordinem*, nil aliud intelligit Tertullianus, quàm *Viduatum*, ſivè Viduarum *Sedem*, ad quam ab Epiſcopis admittebantur, ut ſupra fuſius diximus, non autem Fœmineum Clerum, in quem non ſola adlectione, ſed etiam Ordinatione cooptarentur. Iſta Tertulliani loca doctiſsime comparat Pamelius in notis num. 47. *Quod hìc* ordinationem *vocat, in lib. de velandis Virginibus vocat.* Sedem: Ad quam Sedem non tantùm univiræ aliquando eliguntur. *Reſpicit autem locum qui exſtat ad Timotheum priore epiſtola cap. 5. Quod autem hìc ordinationem, illic Viduatum vocat & Sedem Viduarum*. Et in notis ad librum de velandis Virginibus numero 70. *Viduatum accipit pro Ordine Viduarum, quæ poſt annum ſexageſimum ab Epiſcopis in eum numerum aſciſcebantur*. Et numero 73. *Quod hìc ad Sedem eligi, ſupra lib. 1. ad Uxorem dixit, in Ordinationem adlegi*.

Præterea cum haud ſatis authoritatis ſuis hiſce Viduis tribuiſſe ſibi videretur, ipſas quoque in alijs Eccleſiæ negotijs etiam gravioribus, Epiſcoporum Conſiliarias, ſuadere nititur ita loquens pag. 29. *Illic enim Epiſcopo ac maiori Clero aſſidebant: Flentes admittebant ad pœnitentiam; Iuvenibus dabant maritos & Uxores, & alia cooperabantur graviora Eccleſię negotia, adeoque illic omnino habebant ſuum ſaltem conſultativum ſuffragium*. At perperam ta-

le

le conſultativum ſuffragium incruſtare conatur; etenim tali privilegio ſoli fruebantur Presbyteri tanquam Eccleſiæ Confeſsus ac Senatus, Diaconis ipſis alijsque omnibus excluſis. Nunquid etiam Viduis? Sanctus Clemens Romanus lib. 2. Apoſtol. conſt. cap. 28. *Presbyteris autem, ſi aſſidue in ſtudio docendi verbum Dei laboraverint, ſeponatur dupla etiam portio in gratiam Apoſtolorum Chriſti, quorum locum tenent tanquam* Conſiliarij *Epiſcopi. & Eccleſia corona, ſunt enim* Conſilium, & Senatus *Eccleſię*. Et Sanctus Martyr Ignatius in epiſtola ad Trallianos: *Sicut Epiſcopus forma eſt Patris omnium, Presbyteri verò ſicut* Conſeſſus *Dei, & coniunctio Apoſtolorum Chriſti*. Et infra: *Quid eſt Presbyterum, niſi inſtitutio Sancta* Conſiliarij & Conſeſſoris *Epiſcopi*? Et in Epiſtola ad Magneſianos: *Aſſidente Epiſcopo in loco Dei, & Presbyteris in loco* Conciſtorij *Apoſtolorum*. Ubi ſacræ Viduæ? Ubi Presbyteriſſæ? Nulla mentio, nec ullum verbum quidem. Fortaſse reponere audebimus, grande hoc Viduarum privilegium hos Patres data opera ſilentio preterijſſe, aut memoria ſcribendo excidiſſe? Quo teſte? Quibus tabulis?

Verùm ne Tertulliani verba initio allata, quibus à Lupo tota componitur machina, effugere videamur, nobis hìc parumper, ut verior eorum ſenſus pateſcat, hærendum. Libro de Pudicitia cap. 13. ſcribit: *Et tu quidem pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in Eccleſiam inducens, Conciliciatum & Concineratum cum dedecore & horrore compoſitum proſternens in medium ante* Viduas ante Presbyteros *omnium lachrymas ſuadentem, omnium veſtigia lambentem, omnium genua detinentem*. Quibus verbis Tertullianus temere ac petulanter perſtringit Sanctum

ctum Zephirinum Papam ob indulgentiam mœchis reſipiſcentibus conceſſam, malens à Catholica communione, quàm à rigore acceptæ à Maioribus diſciplinæ recedere, ut docet inſignis Author Diſsertationis *de Vno ex Trinitate carne paſſo* pag. 442. Edit. Venetæ, quem ſi norim, ſancte iuro, ori etiam admoto digito, tanti Viri nomen ſilentio venerarer. Illis verò verbis: proſternens in medium *ante Viduas ante Presbyteros* morem indicat Pœnitentium, quo pro Eccleſiæ foribus manentes ad Presbyterorum ac Viduarum immo omnium fidelium Eccleſiam ingredientium, pedes provolvebantur humiliter deprecantes, ut apud Epiſcopum pro ipſis intercederent, ſuiſque precibus Deum pariter exorarent, ut bonos pœnitentiæ fructus ipſis concedere dignaretur. Ad id autem firmandum nullis rationibus, nec ullis opus eſt argumenti, cum idemmet Tertullianus multis in locis ſemetipſum diſerte explicet: Eodem libro de Pudicitia cap. 3. *Adſiſtit pro foribus eius, & de nota ſua exemplo cæteros admonet, & lachrymas fratrum ſibi quoque advocat*. Et libro de Pœnit. cap 9. *Presbyteris advolvi, & Caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ iniungere*. Et cap. 10. *Ergo cum te ad fratrum genua protendis Chriſtum contrectas, Chriſtum exoras. Æque illi cum ſuper te lachrymas agunt, Chriſtus patitur, Chriſtus Patrem deprecatur*. Ex quibus clariſſime habetur, à Tertulliano illis verbis tantummodo ſignificari, Pœnitentes rogare, exorare, obſecrare Presbyteros, Viduas, immo omnes fideles, ut eorum precationibus ad delictorum veniam ab Epiſcopo faciliùs obtinendam, adiuvarentur, ſuiſque precibus Divinam pro ipſis miſericordiam implorarent. Audiamus Sanctum Pacianum Barcinonenſem Epiſcopum

pum in Tertulliani ſtylo verſatiſſimum, ac pene ad verbum imitatorem, in Pareneſi ad pœnitentiam ita ſcribentem: *Tenere præterea pauperum manus*, Viduas obſecrare, *Presbyteris advolvi*, *exoratricem Eccleſiam deprecari*, *omnia prius tentare quàm pereas*. Et infra: *Ne pigeat opportuna quamprimum remedia ſalutis invadere, deijcere mœroribus animum, ſacco corpus involvere, cinere perſundere, macerari ieiunio, mœrore conficere*, multorum precibus *adiuvari*. Totum hoc confirmet alboque calculo roboret inſignis Catholicorum dogmatum Aſſertor Bellarminus lib. 3. de Pœnit. cap. 6. *Aut certe cum dicit Pœnitentes advolvi fratribus, loquitur de oratione, non de confeſſione præſertim in ſpecie. Solebant enim Pœnitentes abijcere ſe ad pedes* omnium fratrum, *ut eorum precibus ſe commendarent: Hoc enim ſonant illa verba:* cum te ad fratrum genua protendis Chriſtum contrectas, Chriſtum exoras; *& paulò ante apertius omnia diſtinguens ait*: Presbyteris advolvi, Caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis ſuæ iniungere. Hinc videre eſt quonam fundamento quanamve ratione ex laudatis Tertulliani verbis erui poſsit, Viduas Presbyteriſsas *locum* in Pœnitentium examine, ac in eorundem iudicijs *ſuffragium* habuiſſe.

Sed præter hæc non minori difficultate laborat, quod his verbis proſequitur: *Quartum harum Presbyterarum munus fuit, in Eccleſia ſolemnem cum Clero pſalmodiam agere*. Nam in primæva Eccleſia tam Viris quàm Fœminis cuiuſcunque conditionis, immo toti populo pſallere, ac hymnos canere datum erat, ut optime notat Cardinalis Bona cap. 1. de Divina Pſalmodia § 3. prope finem, Philonis Iudæi verba referens:

ferens: *Et primùm fiunt Chori duo virorum unus, alter mulierum; in utroque ſuus eligitur dux & præcentor, qui ſimul & perſona dignitate & arte muſica antecellit; deinde hymnos canunt in Deum metris, & modulationibus multis compoſitos, nunc iunctis vocibus ſimul reſonantes, nunc ſibi invicem congrue reſpondentes*. Plinius quoque in epiſtola ad Traianum de Chriſtianis ait: Solitos fuiſſe ſtato die ante lucem convenire, & *carmen Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem*. Quod etiam obſervat Baronius in magnis Annalibus ad annum 60. numero 28. *Illud autem non prætermittimus dicere de uſu priſtino, olim promiſcue unà cum Clericis in Eccleſia cantaſſe & populum, ſimulque Sacerdoti orationem danti vel colligenti reſpondere conſueviſſe*. Hunc morem Orientalis Eccleſia ex Pauli documento ad Coloſſenſes cap 3. & ad Epheſios cap: 5 *Loquentes vobiſmetipſis in pſalmis & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Deo*: ſemper obſervatum habuit; Quem poſtea à divo Ambroſio in Mediolanenſem Eccleſiam illatum, mox ad alias Occidentis migratum tradit magnus Parens Auguſtinus lib. 9. confeſ. cap. 7. *Tunc hymni & pſalmi ut canerentur ſecundùm morem Orientalium partium, ne populus mœroris tędio contabeſceret, inſtitutum eſt. Et ex illo in hodiernum retentum, multis iam ac pene omnibus gregibus tuis, & per cæteras orbis imitantibus*. Et ipſemet Ambroſius cantum hunc totius plebis in Eccleſia ſub maris allegoria ita commendat lib. 1. Hexam. cap. 5. *Deinde in oratione totius plebis tanquam undis refluentibus cum reſponſorijs & antiphonis pſalmorum, cantibus virorum & mulierum, virginum, parvulorum con-*

conſonus undarum fragor reſultat. Tertulliani quoque tempore in Eccleſia Africana viguiſſe ipſemet indicat in Apolog. cap. 39. *Ut quiſque de ſcripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere*. Et lib. 2. ad Uxorem cap. 6. *Quid maritus ſuus illi, vel marito quid illa cantabit?* Et cap. 9. *Sonant inter duos pſalmi & hymni, & mutuò provocant quis melius Deo ſuo canet*.

Ex quibus manifeſte apparet, quod pſallere in Eccleſia, non fuerit proprium & peculiare munus Presbyterarum ſive officium, ſed omnibus, & etiam fœminis matrimonio iunctis, commune. Quod cum omnino inficiari nequiverit Vir doctiſsimus, dubitationis particula implicuit, *olim inquit forſam pſallerunt omnes etiam mulieres*. At ſtatim poſt, coactus omnem dubitationem tollere ex Relatione Synodi Antiochenæ ad Sanctum Dionyſium Papam, in qua, inter alia Pauli Samoſateni ſcelera damnatur, quòd pſalmos in Chriſti honorem cantari ſolitos aboleverit, novoſque in ſui laudem compoſitos in Eccleſia Paſchatis die cantari à mulieribus iuſſerit, hoc idem candidè fatetur ita ſcribens: *Eum accuſat non quòd mulieres cantare in Eccleſia, ſed quòd vana per ipſas contari iuſſiſſet; & omnino loquitur de laicis mulieribus*. Nihilominus ut aliquid peculiare à cæteris fœminis in agenda pſalmodia Presbyteriſsis adſtruat, ita concludit. *Quidquid ſit, quin Epiſcopo ac ſacro Presbyterio intra ſacrum Tribunal adſidentes Presbyteriſſæ olim etiam concinuerint videtur non dubitandum*. Vult Presbyteriſſas Epiſcopo aſsidentes ſimul cum Presbyteris intra ſacrum Tribunal ſive Presbyterium pſalmos ac hymnos cantaſſe, quod etiam pag. 28. antea dixerat loquens de earum habitu, *in quo poſſent Epiſ-*

copo, ac maiori Clero aſsidere, & pag. 29. *Illic enim Epiſcopo, ac maiori Clero aſſidebant*. Et fuſius pag. 40. *Nempe cum Epiſcopo Clerus in eminentiori circa Altare loco quem ſacrum Tribunal appellavit antiquitas, ſedebat, ac præſidebat. Sedebant ſoli Presbyteri, Diaconi illic ſtabant, ac miniſtrabant & ſedere non poterant niſi in Diaconico. At verò Presbyteriſſæ ſedebant cum Presbyteris; Earum ergo erat eminens gradus, ſpectabilis dignitas*. Fallitur Vir eruditus, nam, ſi intra ſacrum Tribunal ſive Presbyterium *ſoli*, ut ait, ſedebant Presbyteri, idque Diaconis ipſis denegatum, quomodo affirmari poteſt conceſſum Presbyteriſsis? Num Diaconi inferioris conditionis iſtis Fœminis Viduis? minime gentium. Sed proprium locum extra Presbyterium in Eccleſia habebant, quem Tertullianus appellat *Sedem Viduarum, Viduatum, Ordinem Viduarum*, ut ſupra dudum lucide monſtravimus; ibique ſimul cum tota plebe pſallebant. Sanctus Clemens Romanus lib. 2. Conſt. Apoſt. cap. 57. *Sit ſolium Epiſcopi in medio poſitum, & ex utroque eius latere ſedeant Presbyteri, & aſtent Diaconi — Sit autem eorum cura, ut laici altera parte Ordine & decore & quiete ſedeant, item ut ſedeant mulieres ſeparatim ac cum ſilentio — Alius quiſpiam*, Lector ſcilicet, *pſalmos David canat, populus verò initia verſuum quæ dicuntur acroſtichia ſuccinat*. Et Sanctus Gregorius Nazianzenus in carmine de Sanctæ Anaſtaſiæ Baſilica hunc Conſeſſum intra ſacrum Tribunal eleganter deſcribens ait.

Sede alta, aut alta conſidere mente videbar.
Nam neque per ſomnum mente ſuperbus eram.
Presbyteri graves ſellis utrinque ſedebant

Demiſsis

Demiſsis: ætas lecta, Ducesque gregis.
Veſtibus in niveis adſtabat turba miniſtrans
Splendorem referens ordinis Angelici.

Sedentes Presbyteros, & turbam miniſtrantem, nempe Diaconos, nominat, nil de aſſidentibus Presbyteriſsis. Quod itidem conſtare poteſt ex Cypriano, qui paſſim hunc Presbyterorum cum Episcopo Conſeſſum in ſuis Epiſtolis memorat, nec usquam de Presbyteriſsis mentionem facit. Immo tanta erat huius ſacratioris loci dignitas, ac veneratio, ut nulli omnino etiam de Clero quantumvis virtutibus ornato, ac morum claritate conſpicuo, exceptis Presbyteris, Epiſcopo aſſidere licuerit, quod colligi poteſt ex eodem Cypriano epiſt. 34. in qua licèt poſt varia laudum præconia, Celerino & Aurelio Lectoribus Presbyterij honorem, ac priuilegia deſignarit, attamen in ſacro Tribunali ſecum ſolummodo ſeſsuros ſcribit, cum ad grauiorem, nempe Presbiteratus ætatem pervenisſent: *Cæterum Presbyterij honorem deſignaſse nos illis iam ſciatis, ut & ſportulis ijsdem cum Presbyteris honorentur, & diviſiones menſurnas æquatis quantitatibus partiantur, ſeſsuri nobiſcum provectis & corroboratis annis ſuis.*

Cæterum nefas erat Laicis, ac Fœminis in hoc Presbyterio conſiſtere ut luculenter docet Eminentiſsimus Bona lib. 1. Rerum Liturg. cap. 20, num. 7. Immo Sanctus Ambroſius ne Theodoſio quidem Imperatori id permittere voluit; etenim poſt donorum oblationes adhuc intus permanenti, per primarium Diaconum ſignificavit, *ad loca interiora ſolis Sacerdotibus aditum patere, eademque alijs omnibus inaceſsa eſse:* Adeoque exire iuſſit. Paruit Theodoſius, ſanctéque poſtea ſervavit; Nam Conſtantinopolin reverſus, quodam feſto ſanctuarium ingreſsus, Donisque, ut moris

ris erat, ſacræ menſæ oblatis, ſtatim exivit. Rogatus à Nectario Epiſcopo, cur non maneret intus? Hæc pius Imperator reſpondit. *Didici quid inter Imperatorem interſit ac Epiſcopum; Ægre tandem reperi veritatis Magiſtrum; nam ſolum Ambroſium novi Epiſcopum dignum eo nomine*. Quæ omnia fuſe denarrat Theodoretus lib. 5. cap. 17. Hinc inde id unum præteriri nequit, quod ſcilicet Vir inſignis, cum haud ſemel ingenuè fateatur, ſolos Presbyteros cum Epiſcopis ſediſſe, & hoc idem in Scholijs ad caput 42 de Præſcrip. pag. 725. conſtantiſsime repetat. *His enim ſolis antiqua diſciplina dedit in ſolemni Eccleſiæ Conventu Cathedram, Sedem, aut ius Conſeſſus. Diaconi utpote Miniſtri ſtabant parati ad miniſterium*, affirmet, poſtea ſine teſtibus, ſine tabulis, iſtas Fœminas ſacri huius Conſeſſus ius pariter habuiſſe, taleque monſtrum tanto verborum apparatu in priſcam Eccleſiam obtrudere adnitatur.

Porro ne Fœminæ in Eccleſia amplius pſallerent, fuiſſe legibus Eccleſiaſticis interdictum, tradit ex Synodo Antiochena Cardinalis Baronius ad annum 60. numero 25. Idipſum quoque in Eccleſia Latina Sancti Hieronymi tempore iam ſublatum colligitur ex eiuſdem verbis lib. 1. adverſus Pelagium, quibus ipſum ſic alloquitur: *Iungis enim & ponis in titulo, quod & Fœminæ Deo pſallere debeant. Quis enim ignorat pſallendum eſſe Fœminis in cubiculis ſuis, & abſque Virorum frequentia, & congregatione turbarum*. Reliqua duo Presbyterarum officia quintum ſcilicet & ſextum, quæ iſtis à nobis iam exploſis adnectit, nempe providere Sanctis Martyribus carcere detentis; Et exuere, ungere, ac ad ſacrum fontem mulieres Catechumenas deducere nullatenus ad Presbyteriſsas, ſed ad ſolas Diaconiſsas ſpectaſſe, ipſiſque peculia-

peculiaria fuiſse inſequenti capite videbimus.

Pro coronide tandem, ut harum Viduarum excellentiam ac gradus eminentiam Lectorum animis preſsius inſerat, tres prærogativas ſeu dignitates è quibuſdam Tertulliani ab ipſius mente deflexis verbis comminiſcitur ita ſcribens pag. 39. *Prima dignitas eſt in his verbis* : Velaminis venia illi fit. *Edicunt has Viduas non fuiſse facie velatas in Eccleſia Conventu, ſed virili more apertas & intectas. Quòd nempe eſſent adeo probatæ caſtitatis, ut nec allici periclitarentur nec allicere*. Mirum ſane! Si fortaſse poſthabita caſtitate vetulis pluſquam ſexagenarijs tale quid accidiſſet? Cui quidem aſſertioni refragatur Paulus 1. ad Corinth. 11. *Omnis autem mulier orans aut prophetans non velato capite deturpat caput ſuum, unum enim eſt ac ſi decalvetur, nam ſi non velatur mulier, & tondeatur, ſi verò turpe eſt mulieri tonderi aut decalvari, velet caput ſuum*. Ad quæ verba Chryſoſtomus Homil. 26. *Oſtendit, quòd non ſolùm tempore orationis, ſed etiam perpetuo eam oportet habere caput opertum*. Quod ipſum tradunt plures alij Patres, ac Expoſitores, quos ſingillatim recenſere omitto ne Lectoris patientiam longiùs exaſperem. Unum tantùm Tertullianum afferam oportet, ut palam fiat quàm longe Lupus ab ipſius mente aberraverit. Libro de Corona Militis cap. 14. hæc ſcribit. *Porro & quod obnoxium eſt velamento caput Fœminæ, iam hoc ipſo occupatum non vacat etiam obligamento: Habet humilitatis ſuæ ſarcinam; ſi nudo capite videri non debet propter Angelos, multo magis coronato*. Et libro de velandis Virginibus cap. 17. *Chriſtus eſt qui & alienas ſponſas & maritatas velari iubet, utique multo magis ſuas. Sed & vos admonemus alterius pudicitiæ*

dicitiæ

Digitized by Google

dicitię mulieres, quæ in nuptias incidiſtis; ne ſic à diſciplina velaminis exoleſcatis ne quidem in momento horæ, ut quia reijcere illam non poteſtis, alio modo deſtruatis neque tecta neque nudæ incedentes. Et paulò poſt: *Quantam autem caſtigationem merebuntur etiam illæ, quæ inter pſalmos, vel in quacunque Dei mentione retectæ perſeverant*. Præterea ineluctabili eiusdem Tertulliani argumento evincitur, omnes mulieres ſine ulla exceptione velamini obnoxias fuiſſe, ita enim cap. 8. citati Libri ex verbis Apoſtoli ſolidiſſime ratiocinatur: *De utraque parte ſatis ad univerſam ſpeciem cuiuſque ſexus Apoſtolus pronunciavit, & breviter & plane tam inſtructa definitione*, omnis, *inquit*, mulier. *Quid eſt* omnis? *niſi omnis generis, omnis ordinis, omnis conditionis, omnis dignitatis, omnis ætatis. Siquidem omne, totum eſt & integrum, & nulla ſui parte defectum. Pars autem mulieris & Virgo eſt. Æque & de Viro non velando*, omnis, *inquit*. *Ecce duo diverſa nomina Vir, & Mulier, omnis uterque. Duæ leges obnoxiæ invicem, hinc velandi, inde nudandi*. Quid clarius, quid lucidius in tam difficili obſcuroque Scriptore? Quæ Tertulliani loca ſi obſervaſſet Lupus, neutiquam has Viduas in Eccleſia intectas tanta confidentia autumaſſet. Nec perinde iuvat eiusdem Tertulliani locus à quo, ut hanc opinionem induceret, deſumpſit illa verba *Velaminis venia illi ſit*; Nam ibidem Tertullianus Virginum petulantiam tantummodo exaggerat, ipſaſque intecto capite in Eccleſia incedere auſas acriter perſtringit. Integrum Tertulliani locum recitare cogor, ne Viro aliàs doctiſsimo talia ex arbitrio affigere videar. Libro de velandis Virginibus cap. 9. hæc habet: *Quæramus an aliquid horum Virgini liceat*.

Si

Si Virgini non licet, ſed in omnibus eadem conditione ſubijcitur, & neceſſitas humilitatis cum muliere cenſetur. Unde illi unum hoc licebit, quod omni Fœminæ non licet? *Quid prærogativa meretur adverſus conditionem ſuam, in qua Virgo eſt, & carnem ſuam ſanctificare propoſuit? Idcirco* velaminis venia fit illi, *ut in Eccleſiam notabilis & inſignis introeat, ut honorem ſanctitatis in libertate capitis oſtendat? Potuit dignius honorari aliqua prerogativa Virilis aut gradus aut officij*. Et ſtatim poſt, Virginem in Viduatu à quoddam Epiſcopo collocatam improbans ſubdit: *Virgo Vidua hoc quidem portentoſior quod nec* qua Vidua caput texit, *utrumque ſe negans, & Virginem quę Vidua deputetur, & Viduam qua Virgo dicatur. Sed ea authoritate illic ſedet intecta qua & Virgo*. Reprehendit Virgines retecto capite in Eccleſia incedentes. Virginem in Viduatum intruſam veluti in Eccleſia monſtrum increpat. Sed, quod *nec qua Vidua caput texit, ut quid portentoſius* vehementer damnat. Quæ quidem verba luce meridiana clariora indicant, Viduas in Eccleſia velamine tectas ſemper fuiſſe; ſicuti pariter manifeſtiſſime apparet, illa verba *Velaminis venia fit illi* nullatenus ad Viduas referri poſſe; cum ea Tertullianus ad cohibendam effuſam Virginum licentiam tantùm duntaxat pronunciaverit.

Cæterum reliquæ duæ dignitates, quas ibidem ſubiungit Lupus, nempe, *Secunda dignitas eſt in his verbis*: ut in Eccleſia notabilis & inſignis introeat. *hoc eſt tanquam eximia & eminens perſona. Tertia dignitas eſt in his verbis*: Ea authoritate illic ſedet &c. Eadem prorſus ratione exſuflatæ remanent; etenim verba iſta ex eodem recitato loco ſunt deſumpta, quo ad compeſcendam Virginum audaciam utitur

Tertullianus; Nec ullo pacto ad harum Viduarum dignitates adſtruendas detorqueri queunt, ni invitum Tertullianum veluti obtorto collo, quod turpe eſt Hiſtorico, ad id trahere velimus.

Cap.

Cap. XIV.

De Diaconiſſarum origine, nomine, ac miniſterio diſſeritur. Nomen Diacona *in Orientali Eccleſia notiſſimum, & apud Scriptores ante Nicænam Synodum paſſim reperiri, contra Chriſtianum Lupum oſtenditur. Quas Plinius in Bithynia quæſtioni ſubiecit erant Diaconiſſæ. Ad hanc Ordinationem non ſolùm Viduæ univiræ, ſed Virgines plerunque admittebantur. Huius Ordinationis Ritus referuntur. Non erat Ordinatio Sacramentalis, ſed cæremonialis quadam inauguratio. Diaconiſſarum Officia recitantur. Etiam Latina Eccleſia habuit Diaconiſſas. Eaſdem primitus abrogatas in Gallicana Eccleſia à Synodo Arauſicana I. contra Ioannem Morinum ſtabilitur.*

HVcuſque de Presbyteriſsarum origine, ordine, ac officijs dictum eſt; modo ad Diaconiſsas tranſimus, propria, ac vera earum munera inveſtigaturi, ut Catholico Lectori, quod ma-

xime cordi eſt, clariùs magiſque eluceat, quàm falſò noſtri temporis Hæretici cum ſuo Protoparente *W*iteleſo, Fœminis ſe ſe ſacris immiſcere permittendo, puros putos primitivæ Eccleſiæ imitatores ſe prædicent, quando ſacrorum eiuſdem Rituum, ac cęremoniarum corruptores potius veriſsime ſint ac perverſores; ſiquidem inani fundamento, inſcitia, ſeu potius malitia innixi, Eccleſiam ſcilicet in ſuis primordijs Fœminas ad ſacra miniſteria, Diaconiſsas ordinando, ſicut eligendo Presbyteriſsas, ut præcedenti capite diximus, aſsumpſiſse, immane illud monſtrum in Chriſtianam Religionem invexerint. A quo quantum aliena fuerit ipſa Catholica Eccleſia, ex earum utique benedictione, uſu, ac miniſterio, quæ in præſentiarum deſcripturi ſummus, cuilibet harum rerum minus etiam perito patere poterit.

Duo Diaconiſsarum genera priſca noſcebat Eccleſia. Unum earum, quæ, ut ſuperioris capitis initio ex varijs Synodis notavimus, à Viris ad ſacrum Diaconatus Ordinem promotis, mutuo conſenſu relinquebantur, ita quòd à Virorum Diaconatu, Uxores quoque Diaconæ vulgò denominarentur. Alterum illarum, quæ in aliquibus Eccleſiæ inſervientes, à miniſterio Diaconæ ſeu Diaconiſsæ ſunt appellatæ; & de his præcipue loquuntur ſacri Canones, ac veteres Patres ex illis Apoſtoli verbis ad Rom. cap. 16. *Commendo autem vobis Phœbem ſororem noſtram, qua eſt in miniſterio Eccleſia quę eſt in Cenchris*. Hanc vocem *Diacona* longe antiquiſſimam eſſe ſcribit noſter Lupus in Scholijs ad Canonem decimum quintum Concilij Calchedonenſis pag. 572. *Etenim*, ait, *Apoſtolica ad Romanos Epiſtola ſubnotatio, quam nonnulli exiſtimant eſſe ab ipſo Apoſtolo ſic habet*: Scripta fuit ad Romanos è Corintho per Phœbem *Diaconam* Eccleſiæ

cleſiæ Cenchrenſis. Et pag. 579. addit. *Certe ante Nicænum Canonem vix reperis hocce nomen, niſi ſuperius laudata ſubnotatio ad Epiſtolam Apoſtoli ad Romanos ſit illo vetuſtior*. An talem epiſtolæ ad Romanos ſubnotationem poſuerit Apoſtolus, cum ſit res admodum dubia, certum eſt, nullum robur ad dicti nominis antiquitatem probandam habere poſſe. Attamen nec per hoc aſſentiri cogimur ipſi Lupo dicenti, Diaconæ nomen, dictæ ſubnotationis vetuſtate ſecluſa, ante Nicænum Canonem vix reperiri; Etenim plura extant priſcæ Chriſtianorum ætatis monumenta, quæ & ſi illam ſubnotationem uti fictam abijciamus, ſatis manifeſte produnt, Diaconiſſæ nomen longe ante Nicænum Canonem in Eccleſia floruiſſe. Initio citati capitis memoratæ epiſtolæ ad Romanos clare loquitur Apoſtolus: *Commendo autem vobis Phœbem Sororem noſtram* οὖσαν Διάκονον *Eccleſiæ quæ in Cenchris*. Quæ verba, ſi dubia omiſſa ſubnotatione, Lupus inſpexiſſet, nequaquam dixiſſet nomen *Diaconæ* ante Nicænum Canonem vix reperiri. Immo poſt Apoſtolos ſemper in Eccleſia perſeveraſſe lucide colligitur ex Origene qui anteriori ſæculo à Nicæna Synodo vixit; ita enim ad citata Pauli verba ait: *Hic locus Apoſtolica authoritate docet, etiam Fœminas in miniſterio Eccleſiæ conſtitui, in quo officio poſitam Phœbem apud Eccleſiam, quæ eſt Cenchris*. Duo alia ſanctorum Patrum, qui primo ſæculo floruerunt, teſtimonia producam, unum ſcilicet Sancti Martyris Ignatij ad Antiochenos ita ſcribentis: *Saluto Cuſtodes ſacrorum veſtibulorum in Chriſto Diaconiſſas*. Quæ epiſtola quamvis ad manus Euſebij & Sancti Hieronymi non pervenerit, tamen, ut notat Bellarminus de Scrip. Eccleſ. *ob ſtyli ſimilitudinem & ſpiritum vere Apoſtolicum à Viris doctis omnino reci-*

recipitur. Alterum Sancti Clementis Romani qui in ſuis Apoſtolicis conſtitutionibus Diaconiſſam ſæpiſsime nominat, quarum authoritate libentiſsime utitur etiam Lupus, cum tamen propriæ opinioni probandæ quid aptum vel accommodum in illis reperit; Cæterum in notis ad ſecundum Canonem Trullanum pag. 867. tanquam ſpurias & apocryphas explodit, Carolumque Bovium, & Franciſcum Turrianum perſtringit, quià bonas horas melius, quàm illis vindicandis, locare potuiſsent, additque; *Fuit opus editum à neſcio quo quarti ſæculi homine Ariano, varie & in dogmate & Ritu maculoſum, ut facile poſsit oſtendi*. Cui aſsertioni confutandæ cum is non ſim qui hanc Spartam aggrediar, ſatis erit, ſapientiſsimi ac eruditiſsimi Cardinalis Bona verba reponere ex cap. 8. libri primi Rerum Liturg. *Haud improbabile exiſtimo eaſdem eſſe*, nempe quas citat Sanctus Epiphanius hæreſi 70. num. 10. *Sed interpolatas, & aliquibus in locis vel Librariorum incuria, vel Hæreticorum fraude depravatas*. Et poſt tres verſus ſubdit: *Quidquid autem ſit de Authore harum Conſtitutionum, certum apud omnes & exploratum nunc eſt, quòd ſi ab Apoſtolis immediate dictatæ non fuerunt*, Concilio tamen Nicæno antiquiores ſunt, *& in his continetur diſciplina Eccleſiaſtica, qua Orientalis Eccleſia ſub ethnicis Imperatoribus ante Magnum Conſtantinum regebatur*. Quibus addere liceat Scriptorem ethnicum Plinium ſecundum in Bithynia Proconſulem, qui in epiſtola de Chriſtianis ad Traianum hæc ſcribit: *Quo magis neceſſarium credidi, ex duabus Ancillis quæ* Miniſtræ *dicebantur, quid eſſet veri & per tormenta quærere*. Quæſtioni ſequiorem ſexum ſubdidit, quia imbecillior, faciliùs tormentis ſuccumberet; voce latina *Ancillas* vocat,

vocat, quæ Miniſtræ, hoc eſt, græco vocabulo Diaconæ vulgò dicebantur. Ideoque cum Eccleſiæ inſervirent, quod quærebatur, nempe noſtræ fidei arcana, ſecretioreſque Ritus prodere magis poterant.

Pater Lupus in Scholijs ad cap. 3. Tertul. de Preſcrip. pag. 35. ait, ſe haud poſse adfirmare quas torturæ ſubiecit Proconſul Plinius fuerint Presbyteriſsæ, an Diaconiſsæ; Cum vox Diacona ſeu Miniſtra apud Apoſtolum ſit vox ambigua ſignificans omne ſacrum Eccleſiæ miniſterium, ut in Epiſtola ad Timotheum, *Miniſterium tuum imple*; Græcus habet Diaconiam. Hinc ſubdit: *Sacras Mulieres, quas tortura impoſuit Plinius omnino exiſtimo fuiſſe Presbyteriſſas, quòd nempe apud nos eſſent altioris gradus, ideoque & ſecreti noſtri peritiores.* Negari non poteſt verbum Diaconeo apud Græcos ſicuti Miniſtro apud Latinos ad omnia officia plerunque applicari, ita Διακονία & Miniſterium ut in Actis Apoſtolorum cap. 6. cum dicitur *miniſtrare menſis*, Græcus habet Διακονεῖν τραπέζαις & ad Hebræos 1. 14. in *miniſterium miſsi* Διακονίαν ἀποστελλόμενα alijſque novi Teſtamenti locis paſſim ſimilia leguntur. Quod idem pariter apud profanos Scriptores habetur, Ariſtoteles Polit. 7. ait Διακονεῖν τὰ ἔργα, ideſt, opera miniſtrare, & Plato 2. de Rep. Διακονεῖν πρός ὠνῆτε καὶ πρᾶσιν hoc eſt miniſtrare ad emptionem & venditionem. Ita apud Latinos Cicero pro Cluent. Miniſter in maleficio. De Amic. libidinis Miniſtri. Tacitus lib. 5. ſceleribus Miniſtri. Ulpian. L. 1. § eſt autem: Miniſterium annonæ. Nihilominus haud recte infert Lupus, *igitur vox Diacona & vox Miniſtra non ſolùm Diaconiſſa importat officium, ſed etiam Presbytera*. Nam Apoſtolus cum proprie de Presbyteris & Diaconis agit, eorum officia per hæc nomina diſtingvit, nec

nec unquam voce Diaconi promiſcue utitur, ſed ſemper Presbyteros appellat maxime qui laborant in verbo & doctrina, ut in epiſtola prima ad Timoth. cap. 5. 17. *Presbyteri duplici honore habeantur maxime qui laborant in verbo & doctrina*. Et verſu 19. *Adverſus Presbyterum accuſationem noli accipere*. Similiter de Diaconis proprie loquens in eadem epiſtola cap. 3. verſu 9. exactum de illis examen antequam ordinentur fieri iubet, eorumque officium per hoc nomen ab alijs ita diſtingvit: *Hi autem probentur primùm, & ſic miniſtrent*: Et paulò poſt: *Qui enim bene miniſtraverint gradum ſibi bonum aquirent, & multam fiduciam in fide quæ eſt in Chriſto Ieſu*. Ex quibus apparet haud ſemper à Paulo hanc vocem *Diaconus* promiſcue ac communiter accipi, ſed ad hæc diſtingvenda munera dictis nominibus preſse ac proprie omnino uti. Hinc antiqua Eccleſia Altaris Miniſtrum qui Presbytero ſacrificanti inſerviebat antonomaſtice *Diaconi* nomine ſemper appellavit, & modo appellat. Quod pariter de Diaconiſsis debet intelligi; nam Apoſtolus cum in citata epiſtola ad Romanos cap. 16. Priſcam, Mariam, Iuniam, Triphænam, Triphoſam, Perſidem, Iuliam & Olimpiadem tantùm in Eccleſia *loborantes* nominet, & ſolam Phœbem Diaconam ſeu Miniſtram dicat, planum fit, hoc nomen *Diacona* proprie, non ambigue ab Apoſtolo accipi, ac præ cæteris officium peculiare Phœbes ſignificari ac diſtingvi. Ita cum de Presbyteriſsis agit nunquam voce *Diacona* utitur, ut in epiſtola ad Titum cap 23. *Anus in habitu ſancto bene docentes*, quas antiquiori Ævo Presbyteriſsas appellatas legimus, *Presbytidas* vocat, vel, ut in prima ad Timoth. cap. 5. *Presbyteras*. Hinc clare patet, illas, quas torturæ Plinius ſubmiſit fuiſse proprie Diaco-

Diaconiſsas, ita ab officio in Chriſtianorum Eccleſijs per Bithyniam aliaſque Orientis Provincias vulgari idiomate, græca ſcilicet lingva vocatas: Ideoque Ancillas ac Miniſtras fuiſse Traiano latiae ſcripſit, nec imaginari poteſt, earum officia, conditionem, nomenque ipſum Proconſuli tam exacte in Chriſtianos inquirenti, ignota fuiſse. Præterea qui commentarios in laudatam epiſtolam edidere uno ore affirmant, Plinium Chriſtianorum Diaconiſsas intelligere. Auguſtus Buchnerius pag. 725. numero 4. Franciſcus Balduinus pag 756. Cunradus Ritterſhuſius pag. 779. quod eruditiſsimus Gerardus Ioannes Voſsius pag. 808. ita confirmat: *Sequitur nunc altera, ex confeſsione duarum Diaconiſſarum, quas tormentis ſubiecerat, ut melius veritatem cognoſceret*. Et infra: *Denique non quaſvis Ancillas æque idoneas putavit, elegit autem Miniſtras Eccleſię, ſive ut Græci dicunt* τὰς Διακόνους *poſteriores vocarunt Diaconiſſas, ut etiam appellantur in iure*. Ex ijs igitur certum habemus nomen *Diacona* antiquiſsimum eſse, ac, ut ita dicam ipſa naſcente Eccleſia ortum; nec vix, ſed paſsim ante Nicænam Synodum reperiri, ut ex hucuſque adductis teſtimonijs abunde probavimus; Quod etiam evinci poſset ex ipſiuſmet Lupi verbis pag. 579. ita ſcribentis: *Duo priora Eccleſiæ ſæcula videntur admiſiſſe ſolas Viduas*. Igitur ſæculis illis muliebris Diaconatus maxime florebat, ad ipſum ſiquidem admittebantur Viduæ, quod utique fatetur Lupus; Ipſas porro Diaconas etiam appellatas nec ambigi debet! At duo illa ſæcula Nicænam Synodum ſine dubio præceſserant, cum ſolùm quarto ſæculo nempe anno 325. coacta fuerit; Unde ergo ſcire potuit, Diaconæ nomen, & inſtitutum dictis ſæculis in Eccleſia extitiſse, niſi vel apud illius Ævi Scriptores, vel

vel in vetuſtioribus ante Nicænam Synodum Eccleſiæ memorijs id reperiſset? Hinc ſatis appoſite concludere poſsumus, ex ipſius Lupi dictis, ſecluſa etiam Apoſtolicæ epiſt. ſubnotatione, ante Nicænum Canonem non vix, ſed paſſim Diaconiſsàrum nomen ac inſtitutum reperiri.

Ad huius porro Diaconatus gradum admittebantur ſolùm Virgines vel Viduæ univiræ provecta tamen ætate; Sanctus Clemens Conſt. Apoſt. lib. 6. cap. 17. *Diaconiſſa verò eligitur Virgo pudica, ſin autem non fuerit Virgo, ſit ſaltem Vidua quæ uni nupſerit*. Sanctus Epiphanius lib. 3. contra Hæreſes, Hæreſi 80. in fine addit, etiam mulieres, quæ conſenſu Viri continentiam profitebantur: *Et ipſę ſunt etiam quæ in unis nuptijs continenter ſe habuerunt, aut ab unis nuptijs viduitatem ſervarint, aut ſemper Virgines ſunt*. Pater Lupus tempora diſtingvit illis mox citatis verbis pag. 579. quæ modo hìc etiam repetam: *Duo priora Eccleſiæ ſæcula videntur ad Diaconatum admiſiſſe* ſolas *Viduas ob adductas à Tertulliano rationes. At verò tertium ſæculum admiſit & Virgines*. Rationes, quas dicit à Tertulliano adductas recitat initio Scholij ad laudatum Canonem 15. pag. 572. nempe ex cap. 9. de Velandis Virginibus, ex cap. 11. de Monogamia, & ex cap. 13. de Pudicitia, quæ ipſiſsimæ ſunt, quibus decennio poſt in notis ad caput tertium de Præſcriptionibus pag. 24. ad Presbyteriſſarum dignitatem, maieſtatem, ac officia comprobanda pariter utitur; immo ibidem pag. 19 firmiter aſſerit, Tertullianum Presbyteras intelligere, inquiens: *Sanctus Paulus Apoſtolus, ſacri Canones, ac antiqui Eccleſię Patres per ſacras Viduas quandoque intelligunt tam Diaconiſsas, quàm Presbyteriſſas, hìc tamen noſter Septimius ſolas has intelligit*. Et citata pag. 24. recitatis Tertulliani

tulliani teſtimonijs ait : *Et ita lucet, has Viduas* ſcilicet Presbyteriſſas, *fuiſſe toto Cœlo diverſas à Diaconiſsis*. Igitur ſi Viduas, de quibus citatis locis agit Tertullianus, fuiſſe Presbyteras contendit, totoque Cœlo à Diaconiſsis diverſas, plane ſequitur, adductas Tertulliani rationes nullam prorſus vim habere poſse ad probandum, duo priora Eccleſiæ ſæcula ſolas tantùm Viduas, non autem Virgines ad Diaconatum admiſiſse. Immo Virgines ad huius Diaconatus dignitatem ſemper ab Eccleſia admiſsas colligi poteſt ex eiuſdem Lupi verbis in notis ad idem caput tertium de Præſcrip. pag. 23. quibus explicat Apoſtoli locum in prima ad Timoth. cap. 3. *Mulieres ſimiliter oportet eſſe pudicas &c.* Sic enim ait : *Utitur non ſpeciali Viduæ ſed generali mulieris nomine, quòd etiam Virgines ſemper potuerint eſſe Diaconiſſæ. Quin ad hoc Miniſterium Eccleſia ſemper maluit Virgines, quàm Viduas*. Igitur, ſi Eccleſia ſemper maluit Virgines quàm Viduas, neceſsariò dicendum eſt, prioribus illis etiam ſæculis Virgines maluiſse, ac ad huiuſmodi Miniſterium illas potius quàm Viduas ſemper admiſiſse, cum, Virginalem ſtatum dignitate ac præeminentia Viduis ſemper in Eccleſia præſtitiſse notiſsimum ſit.

Ritu quoque à Presbyteriſsis longe diverſo in Diaconiſsis promovendis utebatur Eccleſia, etenim Viduæ ut ſuperiori capite diximus, ſola electione in Presbyteriſsarum Cœtum ab Epiſcopis admittebantur ; At Diaconiſsas ſolemnioribus cæremonijs inauguratas teſtantur Græci Rituales quos ex antiquitatis ruderibus erutos publicavit Ioannes Morinus in ſuo Commentario de ſacris Ordinationibus parte 2. pag. 56. 65. & 80. Edit. Antuerp. quos poſtea parte 3. tota Exercitatione decima eruditiſsime illuſtrat. Quæ quidem inaugurationis ſolemnitas

lemnitas in cauſa fuit, ut harum rerum imperiti putaverint, hanc Diaconiſsarum benedictionem fuiſse veram ac Sacramentalem χειροτονίας immo Hæreticos anſam arripuiſse, permittere ſuis Fœminis ſacra Myſteria peragere, & alia Eccleſiaſtica munera exercere. A quo quantum abhorruerit Catholica Eccleſia, ſicut capite præcedente de Presbyteriſsis tot Patrum teſtimonijs oſtenſum eſt, ita nunc ad idem de Diaconiſsis convincendum ſatis foret eadem reponere, & præcipue inſigne illud Tertulliani lib. de velandis Virginibus cap. 9. *Non permittitur mulieri in Eccleſia loqui, ſed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius Virilis muneris, nedum Sacerdotalis officij ſortem ſibi vindicare.* Ne tamen Lectori eadem repetendo tædio ſimus, Ritus tantummodo illos, quibus in ipſarum promotione utebatur Eccleſia proferemus, iiſque perpenſis clarum fiet, Catholicam Eccleſiam nulla reapſe Sacramentali ordinatione, ſed cæremoniali quaddam inauguratione ad quædam officia Diaconas nomine tenus conſtituiſse.

Antiquiorem in hac re Ritum habemus in Apoſtolicis Conſtitutionibus Sancti Clementis Romani ſub hoc titulo.

Conſtitutio Bartholomæi de Diaconiſsa.

De Diaconiſsa verò ego Bartholomæus ſic conſtituo, Epiſcope, manus ei impones præſentibus Presbyteris, Diaconis & Diaconiſsis. Et dices: Deus æterne, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui Viri & Mulieris author es, qui Mariam, Deboram, Annam & Oldam Spiritu Sancto impleviſti, qui non dedignatus es filium tuum unigenitum ex muliere naſci, qui in tabernaculo teſtimonij, & in templo cuſtodes Fœminas ianuis

tuis

tuis ſanctis præfeciſti, ipſe etiam nunc reſpice hanc Ancillam electam ad Miniſterium, & da ei Spiritum Sanctum, illamque emunda ab omni inquinatione carnis & ſpiritus, ut opus ſibi impoſitum digne perficiat ad gloriam & laudem Chriſti tui, cum quo tibi gloria, & adoratio & Sancto Spiritui in ſæcula. Amen.

Ex qua quidem Epiſcopi invocatione nullum ſacris Altaribus miniſterium, ſed ad cuſtodiendas duntaxat ſanctas Eccleſiæ ianuas, Diaconiſsis collatum apparet, quod ipſemet Clemens cap. 28. plenius declarat: *Diaconiſsa non benedicit, nec facit aliquid eorum, quæ Presbyteri aut Diaconi faciunt, niſi quod ianuas cuſtodit*. Cui conſonat illud Sancti Ignatij Martyris in epiſtola citata ad Antiochenos: *Saluto ſanctarum portarum cuſtodes Diaconiſsas*.

Præter Clementis Conſtitutiones apud priorum Eccleſiæ ſæculorum ſacros Scriptores de ordinandæ Diaconiſſæ Ritu nullum veſtigium. Immo, quod mirum eſt, nec ipſe Divinus Areopagita, qui in ſua Eccleſiaſtica Hierarchia ſacras Ordinationes tam diſſerte & auguſte tradit, ullam de Diaconiſsis mentionem facit. Verùm poſterioribus ſæculis Orientalis Eccleſia Clementis Ritum varijs cæremoniarum additamentis ad maiorem celebritatem ampliavit, ut tres ex editis à Morino Græcorum Rituales clariſſime docent; Quorum primus ex codice Barberino ſeptimum vel octavum ſæculum ſapit, alij duo ex codicibus ſcilicet Cryptæ Ferratæ & Vaticano, ſæculi decimi & undecimi antiquitatem redolent. Quia verò tres iſti Rituales in huiuſmodi tradendo Ritum, paucorum verborum attenta ſolùm tranſpoſitione in omnibus optime cohæreant, ſatis putavimus, illum duntaxat ex Barberino, alijs duobus omiſſis, exſcribere, quem laudatus Morinus profert

parte

parte ſecunda de ſacris Ordinationibus pag. 56. ſub hac forma.

Oratio in Ordinatione Diaconiſsæ.

Poſtquam facta eſt ſancta oblatio, & aperta ſunt portæ, antequam dicat Diaconus, Omnium Sanctorum, *Ordinanda ad Epiſcopum ducitur, & alta voce pronuncians iſtud,* Divina gratia, *Ordinanda caput inclinanti manum imponit, factiſque tribus crucis ſignis ſic precatur.*

Deus ſancte & omnipotens qui per nativitatem Filij tui unigeniti, & Dei noſtri ex Virgine ſecundùm carnem ſanctificaſti ſexum muliebrem, & largitus es non ſolùm viris ſed etiam mulieribus gratiam & adventum Spiritus Sancti, ipſe nunc Domine reſpice ſuper hanc Ancillam tuam, eamque advoca ad opus Miniſterij tui, & immitte in eam divitem & abundantem donationem Sancti tui Spiritus: Conſerva illam in orthodoxa fide, in converſatione irreprehenſibili, Miniſterium ſuum iuxta id quod tibi placitum eſt, ſemper exequentem, quia te decet omnis gloria & honor.

Dicto Amen Diaconorum unus hanc facit orationem.

In pace Dominum deprecemur. Pro ſuperna pace. Pro pace univerſi mundi. Pro Archiepiſcopo noſtro N. Sacerdotio eius, auxilio, perſeverantia, pace, & ſalute, & operibus manuum eius. Pro hac iſta quæ nunc promovetur Diaconiſsa, & eius ſalute, ut clemens, & hominum amans Deus noſter puram & inculpatam illi largiatur Diaconiam, Dominum deprecemur

cemur pro pijſsimo, & à Deo cuſtodito Imperatore noſtro.

Dum hæc à Diacono fit oratio, Archiepiſcopus ſimiliter habens manum ſuper caput Ordinandæ ita precatur.

Hære Domine qui non repellis mulieres conſecrantes ſe-ipſas & volentes, ut decet, miniſtrare ſanctis Domibus tuis, ſed eas in Ordine Miniſtrorum recipis, largire gratiam Sancti tui Spiritus, & huic Ancillæ tuæ, quæ vult ſe ipſam tibi conſecrare, Miniſterijque Diaconici gratiam adimplere, ut largitus es Phœbe Miniſterij tui gratiam, quam vocaſti ad opus huius adminiſtrationis. Da illi Deus ſine culpa perſeverare in ſanctis Templis tuis, caute curare propriam converſationem, moderationem præſertim & temperantiam. Effice præterea Ancillam tuam perfectam, ut ipſa Tribunali Chriſti tui adſiſtens dignum optimæ converſationis fructum reportet, miſericordia & humanitate Unigeniti Filij tui.

Dicto Amen circumponit collo ipſius Orarium ſive Stolam Diaconicam ſubtus Maphorium ipſius, geſtans anterius duas Stolæ extremitates. Tunc qui ſtat in Ambone dicit, Omnium Sanctorum memoriam agentes, & reliqua. *Poſtquam autem particeps facta eſt Sancti Corporis, & pretioſi Sangvinis, tradit ei Archiepiſcopus ſanctum Calicem, quem accipiens in ſancta Menſa deponit.*

Negari non poteſt Ritum hunc Sacramentali Diaconorum Ordinationi in multis aſsimilari; etenim ad invicem hæc conferendo in ijs convenire reperimus ſcilicet :

Sicut

Sicut Diaconus, ita Diaconiſsa ſancta oblatione in Sanctuarium adducebantur. Pronunciato ab Epiſcopo alta voce decreto *Diuina gratia* utrique, ipſo adprecante, manus imponebatur. Orarium ſeu Stola amborum collo apponebatur. Sacram in Altari communionem ambo accipiebant. Denique Calix Sangvine Chriſti plenus, ut ex eo deguſtarent, in manus tradebatur. Attamen ob hanc cæremoniarum ſimilitudinem nunquam Orientalis Eccleſia tenuit, Fœminis veram ac proprie dictam χειροτονίαν infundi, ut teſtatur Sanctus Epiphanius hæreſi 79. à Morino relatus Exercitatione decima pag. 143. *Quamquam Diaconiſſarum in Eccleſia Ordo ſit, non tamen ad Sacerdotij functionem, aut ullam eiuſmodi adminiſtrationem inſtitutus eſt*. Quæ quidem orthodoxa veritas ut toto lumine clareat, quatuor etiam, quibus iſti duo Ritus maxime differunt attentius obſervare debemus. Primum, quia in Ordinatione Diaconi ex eodem Rituali habentur hæc verba: *Et cum dictum eſt, Divina gratia*, genuflectit qui ordinatur. In Diaconiſsæ benedictione ita legitur: *Ordinanda caput inclinanti manum imponit*. Secundum, in Oratione Diaconi conſecrativa dicitur: *Domine Deus noſter qui providentia tua ſubminiſtrationem & abundantiam Sancti tui Spiritus in eos miſiſti, qui ab inſcrutabili virtute tua conſtituti ſunt Miniſtri ut inſerviant* immaculatis tuis Myſterijs. In illa Diaconiſſæ Epiſcopus ita precatur: *Here Domine, qui non repellis mulieres conſecrantes ſe ipſas, & volentes, ut decet, Miniſtrare* ſanctis Domibus tuis. Tertium; Quia factis adprecationibus, Epiſcopus *illi*, nempe Diacono, *Orarium imponit, datoque illi oſculo tradit ei ſanctum flabellum, ſiſtitque ventilantem Sancta Dona, cum in Divina Menſa exponuntur*. At Diaconiſſæ *circumponit*

collo

collo ipſius Orarium ſive Stolam Diaconicam ſubtus Maphorium ipſius, geſtans anteriùs duas Stolæ extremitates. Quartum & ultimum eſt: *Cum autem Ordinatus*, nempe Diaconus, *participaverit Sancto Corpori & pretioſo Sangvini, tradit ei Archiepiſcopus ſanctum Calicem, quo accepto participes facit ſacri Sangvinis ad eum accedentes*. De Diaconiſſa verò dicitur: *Poſtquam autem particeps facta eſt Sancti Corporis & pretioſi Sangvinis, tradit ei Archiepiſcopus Sanctum Calicem, quem accipiens in ſancta Menſa deponit*.

Ex quibus ſingillatim diſcuſsis perſpicue videbimus, Diaconiſsarum benedictionem nullatenus verum fuiſse Ordinis Sacramentum, ſed puram reapſe Eccleſiæ cæremoniam.

Quantum igitur ad primum; Diaconiſsa caput ſolummodo benedictioni inclinabat; Diaconus verò genuflectebat, quæ genuflexio ad Sacramentaliter initiandos tantùm ſpectabat, tanquam quid peculiare & proprium, ut Scholaſtice loquar, diſtinctivum à cæteris quibuſcunque extra Sacramentum benedictionibus: Immo ipſæ Presbyteratus & Diaconatus Ordinationes vario eiuſmodi genuflexionis modo ab invicem, quantum ad hoc, diſtingvebantur, ut docet Divinus Areopagita de Eccleſiaſtica Hierarchia parte ſecunda capitis quinti ita ſcribens: *Sacerdos verò coram ſancto Altari* ponens utrunque genu *in capite habet Pontificis dexteram, & in hunc modum à ſacrante Præſule ſanctiſsimis invocationibus conſecratur: At verò Miniſter* altero tantùm coram ſanctis Altaribus poſito genu *ſacrantis ſe Pontificis dexteram in capite præfert, atque ab eo perficitur precationibus ad eam rem accommodatis*. Quod ſtatim poſt, parte tertia eiuſdem capitis his verbis declarat: *Sunt*

quidem iſta Præſulibus & Sacerdotibus, ac Miniſtris in ipſorum conſecratione communia, aſceſſus ad Altare Divinum, poſitio genuum, manuſque Pontificalis impoſitio, Crucis impreſſio, prædicatio, conſummanſque ſalutatio; Præcipua verò & propria Epiſcopis Evangeliorum ſupra caput impoſitio, qua inferiores Ordines carent. Sacerdotibus utriuſque pedis inclinatio, *cum id non habeat Diaconorum conſecratio; illi enim, ut dictum eſt,* alterum tantùm genu ponunt. *Itaque acceſſus ille quidem ad ſanctum Altare, & poſitio genuum omnibus præſcribit, qui ad ſacrorum Ordinum promoventur Officia.* Quod idem aſſerit Simeon Theſſalonicenſis Archiepiſcopus cap. 4. de ſacris Ordinationibus, & omnia Græcorum Euchologia confirmant.

Quò ad ſecundum: Verbis illis in oratione conſecrativâ Diaconi *ut inſerviant immaculatis tuis Myſteriis* nulla prorſus incubat difficultas, quin ſacroſanctum Miſsæ Sacrificium ſignificent, cui Diaconi inſervire debent. At in benedictione Diaconiſſæ verba illa *miniſtrare ſanctis Domibus tuis* plane indicant, earum miniſterium extra Altare fuiſſe, intra tamen Eccleſiam, ad illius ſcilicet ſanctas ianuas cuſtodiendas, ut ex Apoſtolicis Clementis Conſtitutionibus, & Sancto Ignatio ſupra didicimus.

Quantum ad tertium: Tam Diacono quàm Diaconiſſæ traditum Orarium legimus, hoc tamen diſcrimine, quòd ſuper ſiniſtrum humerum Diacono imponebatur, ipſumque ex utraque parte dependens in alarum typum utrinque fluitans geſtabat, quod ſignificabat, ut docet Simeon Archiepiſcopus Theſſalonicenſis loco nuper citato, Diaconum in Divini Sacrificij Miniſterium Seraphim aſſimilari, de quibus Eſaias cap. 6. *Seraphim ſtabant ſuper illud ſex alę uni, & ſex alæ*

alteri,

alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant, & clamabant alter ad alterum Sanctus, Sanctus, Sanctus. Ideoque nomen ἅγιος in ſola Diaconi Stola ſive Orario ter erat inſcriptum; Quod idem ante ipſum Simeonem indicavit Sanctus Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus in Theoria Liturgiæ his verbis: *Diaconi verò ad typum Angelicarum poteſtatum tenuibus tenuium Orariorum alis, ut adminiſtratorij ſpiritus in Miniſterium miſsi, præcurrunt*. Et Sanctus Ioannes Chryſoſtomus in Homil. de Filio prodigo: *Recordamini tremendorum Myſteriorum, & Miniſtrorum ſive Diaconorum Divini Sacrificij tenuibus linteis ſuper ſiniſtros humeros impoſitis Angelorum alas imitantium, & per Eccleſiam diſcurrentium*. Diaconiſsæ verò Stola nullis Divini Triſagij notis erat inſignita, nec ſiniſtro humero imponebatur, ſed collo ipſius circumpoſita, Maphorio, quod velum peramplum erat, contegebatur, ita quòd nil de ipſa præter ambas extremitates anteriùs appareret. Quo quidem diſcrimine pariter colligitur, Diaconiſsas non fuiſse proprie Diaconas; Cum præcipuum & ſolius Diaconi inſigne in Eccleſia Græca fuerit ſemper Stola Divino Triſagio inſcripta, quo carens Stola Diaconiſsæ, ac inſuper Maphorio contecta, omni dubio procul deſignabat, nullam ipſi in Divinis Myſterijs miniſtrandis traditam poteſtatem, ſicuti Diacono eandem in ſacri Miniſterij teſtimonium palam ac pervolantem geſtanti. Quòd autem Stolæ extremitates duntaxat detectas haberet Diaconiſsa, hoc erat in ſignum proprij ſui muneris, ac dignitatis, qua præ cæteris, nempe Viduis ſacriſque Virginibus in Eccleſia eminebat.

Præterea Diacono tradebatur Flabellum Græcis Ῥιπίδιον Diaco-

Diaconiſsæ verò nequaquam; Erat enim ſacri Miniſterij inſtrumentum, quo Diaconi ex utroque latere Altaris utebantur ad abigendas muſcas, aliaſque immundas beſtiolas, ne ſacroſancta Myſteria contingerent, de quo ſcribit ſupra citatus Theſſalonicenſis: *Ideo Diaconis ut Seraphim figurantibus Flabellum à Pontifice traditur. Illud autem alas Angelorum deſignat ipſa quoque Cherubim & Seraphim, cum & Seraphim Flabellum depicta habeat.* Clariùs deſcribit Eminentiſſimus Bona lib 1. Rerum Liturg. cap. 25. numero 6. inquiens: *Manubrium habent ligneum ſatis longum, cuius extremitati facies Cherubini ſex alis circumdata affigitur, eiuſque motu ventilant Diaconi ſancta Dona certis temporibus, quæ in Ordine Liturgiæ notantur.* Quorum etiam uſum in Eccleſia Latina fuiſse evidentiſsime demonſtrat.

Quò tandem ad ultimum: Ordinatus in Diaconum poſt ſacri Sangvinis participationem accepto ab Epiſcopo Calice omnibus ad ſancta Myſteria accedentibus deguſtandum porrigebat, ſiquidem ad ſacrum Diaconatus Miniſterium ſingulariter pertinebat, Dominicum Sangvinem ab Epiſcopo aut Presbytero conſecratum populo diſpenſare; Quam tamen diſpenſandi pretioſi Sangvinis poteſtatem Diaconiſsis datam, vel ſaltem aliquando permiſsam in nullis Eccleſiæ Catholicæ monumentis reperitur; Illud ſolùm ipſis ad maieſtatem quandam cæremonialis illius Ordinationis conceſsum, quod ſcilicet poſt acceptum ab Epiſcopo ſacrum Calicem, proprijs manibus in ſancta Menſa reponerent, omnes citati Rituales teſtantur. Quibus omnibus recte perpenſis, ac adamuſsim conſideratis neceſsariò fatendum erit, nulla Diaconali Ordinatione, quæ Sacramentum eſt, Diaconiſsas fuiſse inſignitas.

Cæterum nullam vim huic veritati facit, quòd Diaconiſ-

ſæ

ſæ per manus impoſitionem initiarentur; Nam manus impoſitio in Catholica Eccleſia multiplex ſemper fuit ac varia, nempe *Reconciliatoria* ad remiſsionem peccatorum. *Confirmatoria* ad roborandum animum in fidei confeſsione. *Curatoria* ad morbos expellendos ut Marci 16. *Super ægros manus imponent & bene habebunt.* Et Act. 9. Ab Anania manus Paulo impoſita ad depellendam cæcitatem. Et pure *Cæremonialis* ut benedictio Sacerdotalis cum impoſitione manus Sacramentum Baptiſmi præcedens, de qua Sanctus Cyprianus referens verba Vincentij à Thibari in Actis Concilij Carthaginenſis ſcribit: *Habemus utique regulam veritatis, quam Dominus præcepto Divino mandavit Apoſtolis dicens*, ite, in nomine meo manum imponite, Dæmonia expellite. *Et alio loco*, ite, & docete gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *Ergo primò per manus impoſitionem in exorciſmo; Secundò per Baptiſmi regenerationem, tunc poſsunt ad Chriſti pollicitationem venire*, Et Auguſtinus lib. 2 de pec. meritis & remis. cap. 26. *Non unius modi eſt ſanctificatio, nam & catechumeni ſecundum quendam modum ſuum per ſignum Chriſti, & orationem, & manus impoſitionem puto ſanctificari.* Et paulò poſt *Ita Sanctificatio Catechumeni, ſi non fuerit Baptizatus non ei valet ad intrandum in Regnum Cœlorum, aut ad peccatorum remiſsionem.* Quod pariter confirmat lib. 3. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 16. ad finem his verbis. *Manus autem impoſitio non ſicut Baptiſmus repeti non poteſt: Quid eſt enim aliud niſi oratio ſuper hominem?*

Ex quibus clare infertur ſanctum Patrem de impoſitione manus pure *Cæremoniali* loquutum, cum dicat hanc repeti, non autem de Sacramentali in Baptiſmate, ſacriſque

criſque Ordinibus, quæ nullatenus repeti poſsunt. Quæ omnia paſsim docet Cardinalis Bellarminus de Sacramentis præcipue cap. 16. De Sacramento Baptiſmi; & cap. 2. de Sacramento Confirmationis. Huius porro generis erat manus *impoſitio* in illius dignitatis collatione ad quam promovebantur Diaconiſsæ. *Etenim non ſtatim concludendum eſt*, ut ait eruditiſsimus Morinus in Adnot. ad Græc. Ordin. pag. 190. numero 71. *Manus* impoſuit, *ergo ordinavit & conſecravit. In omni Ordinatione ſacra fit manus impoſitio, ſed non in omni manus impoſitione qua confertur aliqua dignitas Eccleſiaſtica, fit Ordinatio.*

Nec ſimiliter obſtat, quod in Diaconiſsæ inauguratione pronunciaretur ab Epiſcopo decretum illud, nempe: *Divina gratia qua ſemper infirma curat & deficentia complet, promovet hanc N. in Diaconiſſam &c.* Quæ verba pariter pronunciabantur in ſacris Ordinationibus Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi. Non obſtat, inquam, quia tale decretum ante inchoatam ab Epiſcopo ſacram Ordinationem enunciabatur, in teſtimonium ſcilicet electionis legitimæ antea factæ, ideoque ad Sacramentalis Ordinationis ſubſtantiam non pertinebat, ideſt, *Ad Ritum qui ſi deſit, irrita prorſus ſit Ordinatio & iteranda, quanquam illegitima & illicita meritò dici poſsit, & conſecrans puniri, eò quòd contra leges Ordinationi præſcriptas egerit*, ut idem Morinus ſolidiſſime probat contra Petrum Arcudium Corcyrenſem Exercit. 2. cap. 3. & 4. Cui ſubſcribit doctiſſimus Lupus in Scholijs ad Canonem 15. Concilij Calchedonenſis pag. 577. his verbis: *Et hæc verba* Divina gratia &c. *nequaquam ſunt Eccleſiaſticæ Ordinationis eſſentiale verbum: Sunt Decretum factæ electionis, poſtulatioque faciendæ conſecrationis, æquivalens hiſce noſtris verbis Archidia-*

chidiaconi ad Epiſcopum ordinantem : Poſtulat ſancta Mater Eccleſia ut hunc electum in Diaconum conſecretis.

Verùm tamen eſt per talem Ordinationem mere quamvis cæremonialem, certum quoddam miniſterium Diaconiſsis impartitum, quod in varia officia tunc Eccleſiæ utique neceſsaria, dividebatur. Quorum primum erat, Eccleſiæ portas, per quas Fœminæ ingrediebantur, cuſtodire, & curare ut quælibet in Eccleſia proprium locum teneret, ut indicat Sanctus Martyr Ignatius in citata epiſtola ad Antiochenos: *Saluto Cuſtodes ſacrorum veſtibulorum in Chriſto Diaconiſsas.* Et Sanctus Clemens Conſt. Apoſt. lib. 2. cap. 57. *Ianitores ſtent ad introitus virorum cuſtodiendi cauſa, Diaconiſsę verò ad mulierum.* Et lib. 3. cap. 26. *Diaconiſsa non benedicit nec facit aliquid eorum quæ Presbyteri aut Diaconi faciunt, niſi quod ianuas cuſtodit.* Solebant enim Viri ac Mulieres per diverſas portas ad tollendam confuſionem ſervandamque venerationem in Eccleſiam ingredi; in qua cuilibet è ſancta plebe iuxta ſexuum ætatem, & conditionem proprius locus aſsignabatur, ut idem Clemens citato capite 57. iubet: *Sic in Eccleſia adoleſcentes quidem ſeorſum ſedeant ſi locus ſit; ſin autem non ſit, ſtent; Ætate verò provecti ordine ſedeant, pueros autem ſtantes Patres & Matres eorum ſuſcipiant. Rurſus Adoleſcentulæ ſeorſum, ſi fuerit locus, ſi verò non fuerit, poſt mulieres locentur. Nuptæ iam & Matresfamilias item ſeorſum. Virgines autem & Viduæ, & Anus primæ omnium ſtent aut ſedeant.*

Alterum erat providere unà cum Diaconis tempore perſequutionum Sanctis Martyribus & Confeſſoribus carcere detentis, quod ipſemet impius Lucianus, qui Chri-

ſtianam

ſtianam pietatem deridebat, verbis illis in *Peregrinò* inſinuavit: *Manè illico videre erat iuxta carcerem præſtolantes Anus Viduas quaſdam*, quæ ſcilicet quotidianum victum, aliaque, quibus indigebant, Sanctis illis Martyribus ſuppeditabant, ut legitur in Actis Sancti Hadriani Nicomediæ ſub Diocletiano apud Surium: *Interim Diaconiſſa & aliæ mulieres piæ & Deo notæ permanebant in carcere curantes vulnera Sanctorum, & aliæ quidem medebantur vulneribus, aliæ verò ſuis Stolis quibus indutæ erant abſtergebant putredinem à vulneribus*. Qua Chriſtianorum pietate excandeſcens Tyrannus vetuit, *ne cuiquam illarum pateret aditus in Carcerem*. Qua de re facta certior Sancta Natalia Hadriani uxor Tyrannum ingenioſa metamorphoſi eluſit, etenim detonſis capillis ac virili veſte induta cuſtodibus ignota carcerem, cum lubebat, ingrediebatur, totoque Agonis tempore non tantùm proprio Viro, quàm viginti tribus alijs eiusdem in martyrio ſocijs ad ſanctam uſque conſummationem omnia pietatis officia exhibuit.

Tertium Officium erat: Cum Mulieres Catechumenæ baptizandæ erant, ipſas ad ſacras Baptiſmi cæremonias inſtruere, ad ſacrum lavacrum deducere, earum corpora denudare, ac ad immerſionem præparare; inde poſt factam in ipſarum fronte ſacram unctionem, Diaconiſſa reliquas corporis partes ſancto oleo perungebat, ut habetur in lib. 3. Conſt. Sancti Clementis cap. 25. *Ad multa enim indigemus Diaconiſſa, ac primùm quidem cum Mulieres baptizantur ungit quidem eis Diaconus frontem tantùm oleo Sancto, poſt eum verò illiniet eas Diaconiſſa; Non enim opus eſt ut Viri inſpiciant Fœminas*. Quod idem fuſe deſcribit Sanctus Epiphanius lib. 3. contra Hæreſes, Hæreſi 79. *Et Miniſtrarum quidem Diaconiſſarum*

coniſſarum appellatarum Ordo eſt in Eccleſia ; ſed non ad ſacrificandum neque ut quidquam aggredi permittantur, verùm reverentia gratia muliebris generis, aut propter horam balnei, aut viſitationis, affectionis, aut laboris. Et quando fuerit nudatum corpus mulieris, ut nec à Viris ſacrificantibus conſpiciatur, ſed à Miniſtrante muliere, cui pracipitur à Sacerdote, ut curam gerat ad tempus indigentis mulieris in tempore denudationis corporis ipſius ; ita ut ordo bona diſciplina, & Eccleſiaſtica conſtitutionis valde ſcientifice munitus ſit in menſura regula. Et Hereſi 80. in fine: *Sed & Diaconiſſa conſtituuntur in Miniſterium Mulierum ſolùm propter reverentiam ſi opus fuerit balnei gratia, aut viſitationis, & inſpectionis corporum.* In primitiva ſiquidem Eccleſia Baptizandorum corpora tam Viri quàm mulieris denudabantur, terve ſacris aquis immergebantur, ut tradit Sanctus Dionyſius cap. 2. Eccleſiaſt. Hierarchiæ : *Proprie ac convenientiſſime merſio illa qua totus homo aquis operitur ad imaginem mortis, ac ſepultura informis accipitur. Eum igitur qui ſacro fonte renaſcitur, Sacroſancta Miſteria docent, trina illa lavacri merſione, & emerſione Divinam triduana ſepultura Ieſu authoris vitę mortem imitari.* Quod adhuc ſuo tempore uſitatum ſcribit Sanctus Gregorius Magnus epiſt. 41. lib. 1. ad Leandrum Hiſpalenſem Epiſcopum, in qua pariter docet, unicam ſolummodo merſionem ad verum & legitimum Baptiſma ſufficere his verbis: *De trina verò merſione Baptiſmatis nihil reſponderi verius poteſt, quàm quod ipſi ſenſiſtis, quia in una fide nihil officit ſanctę Eccleſia conſuetudo diverſa. Nos autem quòd tertio mergimus, triduana ſepultura Sacramenta ſignamus,*

ut dum tertiò infans ab aquis educitur, reſurrectio triduani temporis exprimitur. Quod ſi quis forte etiam pro ſummæ Trinitatis veneratione exiſtimet fieri, neque ad hoc aliquid obſiſtit, baptizando, ſemel in aquis mergere; quia dum in tribus perſonis una ſubſtantia eſt, reprehenſibile eſſe nullatenus poteſt infantem in Baptiſmate vel ter vel ſemel immergere, quando & in tribus merſionibus perſonarum Trinitas, & in una poteſt Divinitatis ſingularitas deſignari.

Verùm ab hac immerſionis cæremonia excipiebantur illi, qui morbo aut langvore aliquo preſſi detinebantur, ne ſcilicet totius corporis ablutione in aliquod vitæ diſcrimen inciderent, ideoque ſacra tantùm aſperſione perfundebantur, ut docet Sanctus Cyprianus in epiſt. ad Magnum, ordine 76. edit. Pamel. reſpondens ad quæſitum; An habendi ſint legitimi Chriſtiani, eò quòd aqua ſalutari non loti ſint ſed perfuſi, his verbis: *In Sacramentis ſalutaribus neceſſitate cogente, & Deo indulgentiam ſuam largiente totum credentibus conferunt Divina compendia. Nec quemquam movere debet, quòd aſpergi vel perfundi videntur ægri, cum gratiam dominicam conſequuntur, quando Scriptura ſancta per Ezechielem Prophetam loquatur & dicat:* Et aſpergam ſuper eos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditijs veſtris &c. Et paulò infra: *Unde apparet aſperſionem quoque aquæ inſtar ſalutaris lavacri obtinere.* Qua quidem de cauſa Occidentalem Eccleſiam in collatione Baptiſmatis uti tantùm aſperſione incæpiſse putat Pamelius in notis ad citata Cypriani verba numero 44. *Eadem ratione ab Eccleſia Occidentali primùm obſervari cæpiſse conſuetudinem aſperſionis, qua nunc utimur, exiſtimo, ob teneritudinem nempe*

pe infantium, cum iam rariſſimus eſſet Adultorum Baptiſmus. Cui rationi alteram addunt fratres Macri in Hiero-lexico pag. 68. nempe, *quia multoties ſacrum lavacrum ſtercore fœdabant*, ut traditur de Conſtantino Copronimo, qui dum trina immerſione baptizaretur ſacras aquas conſtercoravit.

Quartum Officium erat: Epiſcopi iuſsu perſequtionum tempore ad Chriſtianas Fœminas referre, ipſas ſolari, ac in fidei conſtantia ſanctis exhortationibus roborare; etenim Diaconos ad earum domos accedere ob ſuſpicionem infidelium res magni periculi erat. Inſuper ijsdem curæ erat, quotieſcunque aliqua Mulier Epiſcopum, Presbyterum, vel Diaconum alloqui vellet, ipſam honeſtatis teſtimonio comitari, ſicut edicit idem Sanctus Clemens loco ſupra citato: *Eliges quoque Diaconiſſam fidelem & ſanctam ad miniſtrandum Mulieribus; Evenire enim ſolet aliquando in quibuſdam domibus, ut non poſsis propter infideles mittere Diaconum ad Mulieres, mittere verò poſſis Diaconiſſam, propter cogitationes improborum*. Et lib. 2. cap. 26. *Ad Diaconum aut Epiſcopum nulla Mulier ſine Diaconiſſa accedat*.

Cæterùm Eccleſiam Latinam ſuas quoque Diaconiſsas quamvis non adeo frequentes uti Græca antiquitus habuiſse clare colligitur ex antiquo Ordine Romano in Bibliotheca veterum Patrum, ubi unà cum peculiari Miſsa, eas benedicendi Ritus habetur, in quo poſt peractam benedictionem hæc leguntur: *Tunc ponat Epiſcopus Orarium in collo eius dicens*: Stola iucunditatis induat te Dominus. *Ipſa autem imponat velamen capiti ſuo palam omnibus de Altari acceptum*. Et ad initium huius benedictionis iſta verba adnotantur: *Epiſcopus cum Diaconam benedicit Orarium in Collo eius ponit. Quando autem ad*

Eccleſiam procedit, portat illud ſuper collum ſuum, ſic verò ut ſummitas Orarij ex utraque parte ſub tunica ſit. Stola taliter cooperta ad Diaconorum differentiam, qui in ſignum Sacramentalis Ordinis plane detectam deferebant, etiam apud Latinos indicabat nulla Sacramentali Ordinatione ſuas Diaconiſsas fuiſse inſignitas.

Præter Ordinem Romanum varia Occidentalis Eccleſiæ Concilia Diaconiſsas commemorant; Arauſicanum I. ad annum 441. Epaunenſe ad annum 517. Aurelialenſe II. ad annum 533. & Romanum ſub Gregorio II. ad annum 721. Ex quorum Canonibus pariter addiſcimus, in Eccleſia Gallicana Diaconiſsas abrogari primitus incæpiſse, cum ante Arauſicanam Synodum apud Latinos aut Græcos nullum reapſe decretum huiuſmodi abrogationis reperiatur. Huius Synodi Canon 26. ita habet. *Diaconiſſa omnimode non ordinanda. Si qua iam ſunt, benedictioni, quę populo impenditur capita ſubmittant*. Et in capite 21. Concilij Epaunenſis hæc leguntur. *Viduarum conſecrationem, quas Diaconas vocant, ab omni Regione noſtra penitus abrogamus; Solam eis pœnitentię benedictionem, ſi converti ambiunt, imponendo*. Ioannes Morinus parte tertia de Sacris Ordinationibus, Exercit. 10. cap. 3. num. 7 horum Canonum vim datis explicationibus infirmare conatur, quarum unam Arauſicano Canoni taliter annectit: *Neceſſe non eſt Canonem illum de Diaconiſſarum abrogatione interpretari, Sed tantùm ex eo colligere, pręcipi, ne omnimode ordinentur, hoc eſt, ne ſine examine, ne ante quadraginta annos, ne pręter conditiones à Canonibus requiſitas. Quòd ſi aliter ordinata fuerint, benedictioni, qua populo impenditur, capita ſubmittant, ideſt, laica habeantur*.

Certum

Certum eſt nulla Canonem illum interpretatione de Diaconiſsarum abrogatione indigere, cum nec dubijs nec obſcuris, ſed clariſsimis verbis apertiſsime hoc ſtatuat, ideoque nec fas ipſi Morino conceptę opinionis affectu in diverſum interpretari; ſiquidem Eccleſiaſticæ eruditionis Viri peritiſsimi conſtantiſsime aſserunt, Diaconiſsas illo Canone penitus ac ulla abſque exceptione abrogari. Iacobus Sirmondus ſplendidiſsimum Societatis Iesu lumen in notis ad eundem Canonem ſic ait: *Diaconiſsas Synodus non ſolùm deinceps ordinari vetat, ſed & eas, quæ iam ordinatæ ſunt, extra Clerum habendas decernit, ac proinde ut Laicas benedictioni, quæ populo impenditur ſubijciendas.* Chriſtianus Lupus Lovanienſium Regius Profeſſor in notis ad Canonem 15. Calchedonenſis Concilij pag. 574. ſcribit: *Ex his clarum eſt hanc benedictionem uſque ad hoſce Canones viguiſſe in Gallicana Eccleſia atque ad illam extirpandam fuiſse opus tot repetitis Canonibus.* Quod etiam fuſius probat pag. 581. Noviſsime verò hanc Morini opinionem improbat Natalis Alexander Doctor Sorbonicus tom. 5. Hiſt. Eccleſiaſt. art. 6. pag. 167. ult. edit. *Doctiſsimo enim Morino aſſentiri non poſsum, qui hac verba:* Diaconiſſæ omnimode non ordinandæ, *ſic interpretatur, ut illo Canone prohibitum ſit duntaxat, ne ſine examine, ne ante quadraginta annos, ne pręter conditiones à Canonibus requiſitas ordinentur. Hanc autem Ordinationis Diaconiſſarum abrogationem alia Concilia Gallicana confirmarunt, ſcilicet Epaunenſe Can. 21. & Aurelialenſe II. Can. 18.* Verùm in illa ſua interpretatione hallucinatum Morinum ex ipſiuſmet verbis quoque convincitur; Nam cum ſcribit: *Hoc eſt; Ne ſine examine, ne ante quadraginta annos, ne pręter conditiones à Canonibus requiſi-*

tas

tas, ullo abſque dubio verba illa demonſtrant, ipſum pro certo habuiſſe, Canones talia iubentes ante Arauſicanam Synodum extitiſse, aliter ſuamet interpretatio foret inanis. At hoc falſum eſse facile evincitur, ſiquidem Canon ſtatuens Diaconiſsas non ordinandas ſine examine, & ante quadrageſimum annum eſt quintusdecimus Concilij Calchedonenſis decennio poſt à Synodo Arauſicana celebrati, anno nempe 451. Qua igitur ratione intelligi poteſt, Arauſicanam Synodum omnimode non abrogaſse Diaconiſsas, ſed tantùm prohibuiſse *ne prǽter conditiones à Canonibus requiſitas, ne* ſcilicet, *ſine examine, & ante quadraginta annos*, ordinarentur? Niſi velit Morinus Arauſicanos Patres de futuro Calchedonenſis Concilij Canone prophetaſse. Ita pariter alia explicatione utitur, ut oſtendat, Epaunenſem Synodum Canone illo 21. ſupra laudato, haud intellexiſse, Diaconiſsarum Ordinem omnino extingvere, ſed ſolas duntaxat, quæ crimine aliquo notarentur; ſic enim numero 8. ſcribit: *Quam ob rem enim iubent Patres Diaconas illas ad pœnitentiam publicam relegari ſi convertantur? Gravia igitur crimina perpetraverant. At omnes crimina perpetraſse, & ad pœnitentiam amandandas eſt improbabile — Certum igitur de omnibus Diaconiſsis Canonem non eſſe intelligendum*. Inde recitato Canone 17. Aurelialenſis Synodi iſta ſubiungit: *Patres igitur Epaunenſes univerſas Diaconas contra Canones ordinatas deponunt; quales teſte Concilio Aurelialenſi II. plures erant eo tempore, non autem omnes omnino Diaconas*. Sed nec iſta quidem explicatio ſuam opinionem iuvat; Nam Epaunenſis Canon duo facit, primò in integrum reſtituit, ac roborat Arauſicanum Canonem prohibentem Diaconiſsas in poſterum ordinari, etenim annorum ſex & ſeptua-

ſeptuaginta interiecto ſpatio, Præſulum fortaſse incuria, ne dicamus conniventia, ſimulque Fœminarum ambitione iam in Gallicana Eccleſia pene obſoleverat. Secundò ſtatuit pœnitentiæ benedictionem Diaconiſsis illis, ſi converti velint, impendendam. *Gravia igitur*, infert Morinus, *crimina perpetraverant*; *at omnes perpetraſſe eſt improbabile*. Immo probabiliſſimum! Nonne omnes omnino Diaconiſſæ, quæ tunc temporis in Eccleſia Gallicana reperiebantur, grave crimen commiſerant ob ſurreptam contra Synodi Arauſicanæ interdictum Diaconalem benedictionem? Ideòque omnes ad pœnitentiam amandandas? Et hoc quidem maxime conſtat, quod in nulla Gallicanæ Eccleſiæ poſteriori Synodo Arauſicanum Canonem abolitum vel abrogatum legatur. Igitur ſi Patres Epaunenſes, uti fatetur Morinus, *univerſas Diaconas contra Canones ordinatas deponunt*, neceſsaria illatione ſequitur, omnes omnino depoſuiſse, cum omnes benedictionem illam contra Canonem Arauſicanum ſuffuratæ fuiſsent. Præterea apud illius Ævi Scriptores vel Gallicanæ Eccleſiæ monumenta nuſquam reperitur, unam vel tantummodo ex iis Fœminis aliqua gratioſa ſaltem diſpenſatione benedictionem illam ſuſcepiſse, ſed potius ad ipſam penitus extirpandam novos Canones conditos fuiſse, ut habetur ex Concilio Aurelianenſi II. annis ſexdecim ab Epaunenſe celebrato, in quo ita Canone 17. edicitur: *Fœmina, quę benedictionem Diaconatus hactenus contra interdicta Canonum acceperunt; ſi ad coniugium probantur iterum devolutę, à communione pellantur*. Et Can. 18. *Placuit etiam ut nulli poſtmodum Fœminæ Diaconalis benedictio pro conditionis huius fragilitate credatur*. Fœminas appellat Concilium non vero Diaconiſsas, quia auſu temerario Diaconalem benedictio-

nedictionem contra interdicta Canonum Arauſicanæ & Epaunenſis Synodi acceperant. Cum autem illarum procaciores tali ſe dignitate ſpoliatas minime ferentes ad interdicta coniugia in Eccleſiæ contumeliam paſſim delaberentur, eodem Canone ipſas Eccleſiaſtica communione privatas Aurelianenſes Patres decrevere, primam ſiquidem fidem irritam facientes iuremerito anathemate percuti merebantur; Nulla enim Fœmina Virgo vel Vidua ad Diaconiſſarum dignitatem promovebatur, niſi virginitatem ſi Virgo, aut continentiam ſi Vidua univira ſolemniter profeſsæ fuiſsent.

Hinc Concilium Turonenſe II annis 34. poſt Aurelianenſe celebratum Can. 21. Epaunenſem Canonem repetens Diaconiſsarum benedictionem ab omni ſua regione pariter abrogat, ſimulque Viduas alias non Diaconiſsas, continentiam ſcilicet ſolummodo profeſsas, quæ nullius acceptæ benedictionis obtentu novis ſe ſe implicare nuptijs in contemptum promiſsæ caſtitatis præſumerent, his verbis coercet. *Illud verò, quod aliqui dicunt, Vidua quæ benedicta non fuit, quare non debet maritum accipere? Cum omnes ſciant quòd nunquam in Canonicis libris legatur benedictio Vidualis; Quia ſolùm propoſitum illi ſufficere debet ſicut in Epaunenſibus Canonibus à Papa Avito cum omnibus Epiſcopis conſcriptum eſt*. Quia verò huiuſmodi Viduarum damnationem haud clare exprimit Canon Epaunenſis, Turonenſes Patres authoritate Canonis 27. Concilij Arelatenſis II. aperte declarant eſſe damnandas; recitato enim Epaunenſi Canone ſtatim addunt: *Et expreſsius decretum eſt in Synodo Arelatenſi*, Profeſſas Viduas, *ſi in incontinentia perſtiterint, cum raptoribus eſſe damnandas*. Ex quibus apparet Turonenſes Patres non ſolùm Epaunenſem Canonem de Diaconiſsarum abrogatione ijſdem mu-

tuatis

Digitized by Google

tuatis verbis confirmaſse, ſed inſuper Viduas illas non Diaconiſsas, continentiam ſcilicet tantùm profeſsas, ſi eandem novis coniugijs violaſsent, damnationi obnoxias expreſsius declaraſse. Hinc minus rectè à Morino dicitur, Turonenſium Patrum mentem fuiſse *non agi in Canone Epaunenſi de Diaconiſſis proprie dictis, ſed tantùm de Viduis, quas Vulgus improprie Diaconas vocabat, non benedicendis.*

Tandem & ultimo ut ſuam ſententiam firmius corroboret, omneſque dictos Canones ſibi, ut ipſe ait, perbelle conſentire, per ipſos ſcilicet ſolùm prohiberi, Diaconiſſas ante quadrageſimum annum ordinari, non autem omnimode abrogari, profert decimum nonum Canonem Concilij Agathenſis anno 503. celebrati, qui talis eſt: *Sanctimoniales quantumlibet vita earum & mores probati ſint ante annum ætatis ſuæ quadrageſimum non velentur.* Ex quo ita argumentatur: *Ætas illa Diaconiſsis velandis & ordinandis erat deſtinata; Sanctimonialibus verò Virginibus annus vigeſimus quintus, ut illius ſęculi & prę-cedentis Canones & decreta definiunt: Ita Concilium Carthaginenſe III. Can. 4. Arelatenſe II. Can. 33. Milevitanum Can. 26. Gelaſius I. epiſt. 1. Turonenſe II Can. 21. Non eſt probabile Agathenſes Patres tot Canonibus contrarium ſtatuiſſe. Velum igitur Diaconiſsarum intelligunt, quod Sanctimonialibus, ſi neceſſe erat, iuxta Canones anno quadrageſimo tradebatur.* Verùm iſta Morini coniecturalis interpretatio nil firmitatis habet; Nam Agathenſes Patres luquuntur de Sanctimonialibus velandis, non de Diaconiſsis ordinandis, ut ex ipſomet Canone manifeſte conſtat; Nec ullam vim facit, cum ait, Patres Canone illo velum Diaconiſsarum intelligere, quia ætatem quadraginta annorum decernunt, quæ ad or-

dinandas Diaconiſsas tantùm ſpectabat, cum ad velandas Virgines Sanctimoniales alia ætas, nempe viginti quinque annorum, requireretur, ut ab ipſo citati Africani Canones aſserunt. Nam lex illa de viginti quinque annorum ætate fuit peculiariter ab Africanis Patribus pro ſuis Diœceſibus ſtatuta, non à tota Eccleſia recepta; etenim de ætate velandarum Virginum in ſolemni emittenda profeſsione variæ pro temporum, ac locorum diverſitate extiterunt leges, ac decreta. Concilium Romanum ſub Sancto Sylveſtro Can. 10. prohibet velari Virgines ante annos ſeptuaginta duos, quem Canonem Bellarminus lib. 2. de Monachis cap. 35. vel corruptum putat, aſserens *Multo minorem annorum numerum fortaſſe debere poni*, vel intelligendum, ait, de illis Virginibus, quæ iam Viros petierant, quod ex eiuſdem Canonis verbis optime probat. Sanctus Baſilius in ſuis Canonibus ſtatuit, eam, quæ ſe ſua ſponte Deo offert & Virginitatem complectitur, ſi ſeptimum decimum annum compleverit in Virginum Ordinem referendam eſſe. Concilium in Trullo Can. 40. profeſsionem poſt uſum rationis factam admittit his verbis: *Sed nobis à Patribus traditum, terminum in eis quoque ſervare, ut vitæ ſecundùm Deum profeſsionem ut iam firmam, & à ſcientia ac iudicio factam tunc admittamus poſt rationis complementum*. Concilium Toletanum X. cap. 6. annum decimum quartum requirit. Synodus Triburienſis Can. 24. annum duodecimum completum. Clemens Papa III. lib. 3. Decretal. Gregorij tit. 31. Can. 12. ætatem adultam. Alijque quamplurimi Canones de huiuſmodi ætatum varietate nos docent, ut videre eſt apud Gratianum 20. Q. 1. & 2. Immo tempore Sancti Ambroſij, Virgines in omni ætate ad profeſsionem admiſsas haud obſcure colligitur ex ip-

ſiuſmet

ſuiſmet verbis in tertio libro de Virginibus; *Non ergo*, inquit, *ætas recipitur florentior*, *ſed animus examinatur*, *ac certe Theclam non ſenectus*, *ſed virtus probavit*, *& hinc quid plura contexam*, *cum omnis ætas habilis Deo*, *perfecta ſit Chriſto? Nec mirere in adoleſcentulis profeſsionem*, *cum legeris in parvulis paſsionem*. *An dubitamus ſi eum uſque ad continentiam ſequatur adoleſcentia quem uſque ad mortem confitetur infantia?* Quam tamen ætatum varietatem in emittenda profeſsione à tota Eccleſia eliminavit Concilium Tridentinum ſeſ. 25. cap. 15. prohibens, profeſsionem in poſterum fieri ante annum decimum ſextum his verbis: *In quacunque Religione tam Virorum quàm Mulierum profeſſio non fiat ante decimum ſextum annum expletum &c.* Igitur Agathenſes Patres nullatenus quid contrarium Canonibus Africanis ſtatuunt iubendo non velari Virgines Sanctimoniales ante quadrageſimum annum, cum liberum fuerit Patribus ubique Eccleſiarum ante Tridentinum, eam ætatem in Virginibus velandis ſtatuere, quam ſuarum Diœceſum diſciplinæ magis expedire iudicarent, ut mox citati Canones declarant. Inſtat Morinus. *Ætas illa Diaconiſsis velandis & ordinandis erat deſtinata*. Igitur Agathenſis Canon intelligi debet de Diaconiſsis ordinandis non de Virginibus velandis. Fateor, ætatem illam quadraginta annorum pro ordinandis Diaconiſsis deſtinatam fuiſſe à Concilio Calchedonenſi Can. 15. Nunquid ergo prohibitum ad velandas etiam Virgines eandem ætatem deſtinari potuiſse? Tantum abeſt, ut Sanctus Pontifex Leo doctrina ac ſanctitate magnus idipſum in Romana Eccleſia conſtituerit. Do inſigne teſtimonium ex libro Pontificali, in quo ita legitur; *Hic quoque conſtituit ut Monacha non acciperet vela-*

minis capitis benedictionem, niſi probata fuerit in Virginitate quadraginta annos. Et hoc à Sancto Pontifice factum ad reprimendam vim, qua nobiles Adoleſcentulæ perpetuæ Virginitatis velum accipere à Parentibus cogebantur. Immo ipſius Sancti Pontificis ſuaſu hoc idem decrevit Imperator Maiorianus in Novella lege ad Baſilium P. P. in Codice Theodoſiano (quem mihi Cæſar Vignia noſtræ Urbis doctiſſimus Canonicus ſingulari humanitate commodavit) data Ravennæ VII. cal. Novembris Leone & Maioriano A. A. Coſſ. qui fuit annus 458. in qua ita loquitur Imperator: *Quis enim ferat, Parentes, filias, quas oderunt his non tam dicare quàm damnare conſilijs, ut eas in annis adhuc minoribus conſtitutas neceſſitati continua Virginitatis addicant, ac ne adoleſcentibus animis aliud velle ſit liberum capitibus invitarum ſacrum velamen imponant, cum huiuſmodi obſervatio philoſophiam Religioſa mente ſuſcipiens, non cogentis imperio, ſed ſpontanea & matura deliberatione capiatur.* Et paulò infra: *Edictali lege ſancimus, filias, quas Pater Materve à ſęculari permixtione translatas Chriſti fidei ſervare pręcepta continuata Virginitate cenſuerint, in beata vitę propoſito permanentes, non ante ſuſcepto honorato capitis velamine conſecrari*, quàm quadraginta annos ætatis emenſæ *talibus infulis inoffenſa meruerunt obſervatione decorari, & multi temporis ſeries, & cœleſtis conſuetudo ſervitij ad perfidam voluntatem novis deſiderijs aditum non relinquant; Qui ante deſtinatum temporis ſpatium Sanctimonialem puellam alijs adulti ſexus ſui votis calentem memoratorum quiſquam Parentum velari fecerit atque permiſerit, tertia bonorum parte multetur, eadem pœna conſtringi etiam, quę*
illa

illa Parentibus deſtituta, ut intra prædictæ ætatis annos voluerit conſecrari.

Recitatum S. Leonis decretum unà cum Maioriani lege exhibet Chriſtianus Lupus in notis ad Tertullianum de Præſcript. cap. 3. pag. 61. & Cardinalis Baronius de iſto Imperatore loquens hæc ſcribit to. 6. ad an. 458. num. 3. *Sed & hoc eodem anno promulgavit edictum adverſus eos qui filias Virgines invitas cogebant velum accipere, Deoque in perpetuo Virginitatis cultu dicari: prohibens ne aliqua huiuſmodi à Parentibus oblata Virgo, ante* quadrageſimum ætatis annum *ſacrum velamen acciperet, ut uſque ad illud tempus libera eſſet, poſſetque nubere, ſi vellet.* Ex quibus ineluctabili conſequentia infertur, ætatem illam *quadraginta annorum* non fuiſse ſolis ordinandis Diaconiſsis ita deſtinatam, quin ad velandas quoque Virgines iuberi, vel lege decerni potuerit; cum hoc à Sanctiſſimo Pontifice conſtitutum, & à Moioriano Auguſto Imperiali Edicto roboratum clariſſime pateat. Hinc Agathenſes Patres Romanæ Eccleſiæ omnium Eccleſiarum Matri obſequi volentes, eandem diſciplinam in Eccleſiam Gallicanam invexere, ut inſinuat Doctiſsimus Lupus loco nuper laudato ita ſcribens: *Quibus moribus antea vixerit Latina Eccleſia, ignoro. Certum eſt iuxta iſtam legem & decretum poſtmodo vixiſſe. Et ex hoc fonte prodiiſse videtur ſupra adductus Canon Agathenſis. Quòd nempe Romana Eccleſia ſuam diſciplinam traduxerit in Galliam.* In Hiſpania quoque eandem pro velandis Virginibus diſciplinam viguiſſe perſpicuum habemus ex Canone 8. Concilij Cęſarauguſtani: *Item lectum eſt non velandas eſſe Virgines, quæ ſe Deo voverint, niſi* quadraginta annorum *probata ætate, quam Sacerdos probaverit.* Quæ omnia ſi Morinus ſynceriori

riori animo conſideraſſet, nequaquam profectò tot Canonibus vim intuliſset, ſuiſque interpretamentis infirmaſset, ut male conceptam opinionem de non abrogatis omnimode Diaconiſsis à Concilio Arauſicano aliquo veritatis nitore fucaret.

Quamvis autem Gallicana Eccleſia Diaconiſsas tot repetitis Canonibus penitus extinxiſset, eaſdem tamen in Romana Eccleſia diu poſtea perduraſse certum habemus ex Concilio Romano ſub Gregorio II. anno 721. celebrato, in cuius capite ſecundo hoc nomen *Diacona* legitur. *Si quis Diaconam in coniugium duxerit anathema ſit*. Et cap. 14. anathematizat quendam Adrianum Exhilarati filium eò quòd Epiphaniam *Diaconam* in Uxorem habuerit. Similiter Concilium à Zacharia Gregorij ſucceſsore Romæ pariter habitum *Diaconam* nominat cap. 5. Et Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Leonis III. ſcribit; Diaconiſsas tunc temporis extitiſse. At octavo ſæculo elapſo in tota Latina Eccleſia omnino evanuiſse mihi perſuaſum habeo, cum poſteriores Synodi, Latini Rituales, Scriptoresque Eccleſiaſtici haud amplius de Diaconiſsis ordinandis mentionem faciant, quod ſuo tempore etiam obſervavit Petrus Pictavienſis primus Lombardi Commentator lib. 4. diſt. 20. ſcribens: *Eſt Velum ordinationis in Diaconiſsis quadrageſimo anno, ſed abijt in deſuetudinem*.

In Orientali verò Eccleſia longe, multumque poſt, Diaconiſsas perſeveraſse conijci poteſt, quòd tempore Theodori Balſamonis Patriarchæ Antiocheni qui anno 1191. floruiſse dicitur, Diaconiſsarum nomen in Eccleſia Conſtantinopolitana viguerit, ut ipſe ſcribit in Commentario ad Canonem 15. Concilij Calchedonenſis, quas tamen, aſserit, nulla manus impoſitione conſecratas. At in lib. 5. Iuris Orientalis numero 35. aliter loquitur;

quitur; Nam ad interrogationem Marci Patriarchæ Alexandrini de Diaconiſsis, reſpondet, adhuc in Eccleſia Conſtantinopolitana ſupereſse, ſed ob meſtruorum inquinamenta ab omni Miniſterio ac Officio excluſas. Vt ut ſit pro certo habemus, ſolùm duodecimo labente ſæculo in tota etiam Orientali Eccleſia extinctas Diaconiſsas fuiſse; Etenim Michael Anchialus Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui ad annum uſque 1183. vixit, in Synodo, quam Leo Allatius in quarto ſuo libro de Concordia Eccleſiæ Occidentalis & Orientalis inſeruit, damnat Clementem, & Leontium in Cappadocia Epiſcopos, *quòd Mulieres ordinaſsent Diaconiſsas*: Quòdue ſceleratæ Bogomilorum factioni addicti; *Eis Sanctorum Evangeliorum lectionem, & conſuetas Eccleſiæ preces facere permiſiſſent, & quòd illa cum Clemente Sacrificium Miſſa celebraſsent.* Præterea cum Simeon Theſsalonicenſis Archiepiſcopus, quo nullus è Græcis Scriptoribus accuratiori ſtudio ſacras eorum Ordinationes deſcripſit, in Opere de Sacramento Ordinis nullam prorſus de Diaconiſsarum Ordinatione mentionem fecerit, ſignum eſt, haud amplius initio decimi tertij ſæculi, anno ſcilicet 1204. quo floruit, viguiſse. Quòd autem tali tempore dictum Opus etiam conſcripſerit, colligitur ex capite octavo eiuſdem Operis ubi ait: *Ideo afflictiones & contuſiones noſtræ multa ſunt, & præ omnibus gentibus contemptibiles & minimi habiti ſumus, & dum violente feſtinamus ea quæ non decet attingere, & ijs quos non oportet imperare nobis alienigenæ dominantur; Dumque facimus quæ Deo diſplicent, inimici noſtri Deique conſequenter nobis inſultant, & quæ nobis ſacra ſunt poſſident, Deoque conſecratis potiuntur. Eheu, exiſtimantes lucrum aliquid facere,*

propria

propria noſtra perdidimus. Verbis illis, *nobis alienigenæ dominantur*, conqueritur amiſsum à Græcorum Gente Imperium, alijs verò ſequentibus, nempe, *inimici noſtri Deique*, Dei inimicos homo Schiſmaticus Latinos appellat: *Conſequenter nobis inſultant*, & *quæ nobis ſacra ſunt poſsident*, *Deoque conſecratis potiuntur*, deperditam quoque Patriarchalem dignitatem deplorat. Quæ duo anno 1204. contigere; Veneti namque mari, Franci, Belgæque terra Bizantium adorti brevì potiti ſunt, fugatoque Tyranno Murtzuphlo Imperij invaſore, Balduinum Flandriæ Comitem Orientis Imperatorem fauſtis acclamationibus denunciarunt, Thomæque ex nobiliſsima totoque Orbe celeberrima Maurocenorum familia Patriarchalis dignitas Latinorum primo delata fuit. Qua de cauſa Simeon Latino nomini infenſus vanis his quæſtibus iras egit.

Ita igitur Diaconiſsis ab utraque Eccleſia tandem exactis, earundem nomen diutina ſubſequentium ſæculorum oblivione obrutum pariter evanuit, nec amplius muliebre Miniſterium in Eccleſia revixit, quod cum adhuc vigeret, nunquam Catholica Eccleſia ut verum Ordinis Sacramentum agnovit, neque ad ſacroſancta Myſteria inſtitutum unquam tenuit vel approbavit, ut ex hactenus dictis ſatis luculenter demonſtravimus.

Cap.

Cap. XV.

Lolardi everſo ſuarum Fœminarum Sacerdotio nova moliuntur. Anna Regina moritur. Richardus filiam Caroli ſexti Galliarum Regis in Uxorem ducit. Gloceſtriæ Dux turbas movet. Thomas Arundelius fit Archiepiſcopus Cantuarienſis, Concilium Londini celebrat. Harpsfeldij & Spelmanni error. Gloceſtrius laqueo ſuffocatur. Lanchaſtriæ Dux moritur. Optimates in Richardum conſpirant. Lanchaſtrij filius Henricus ad Regnum vocatur, capto Richardo Londinum ingreditur, coronatus Lolardos perſequitur. Hieronymus Pragenſis Angliâ Bohemiam revertitur. Arundelius alteram Synodum Oxonij celebrat. Petrus Payne alijque eiuſdem facis in Bohemiam profugiunt, Witclefi ſcripta Pragam deferunt, ibidem ut hæretica damnantur. Defenſa à Ioanne Huſſio Religionis mutationem cauſant. Huſſius & Hieronymus à Concilio citati Conſtantiam ſe conferunt, de Hæreſi convicti comburuntur.

PRolixiori hucuſque de Presbyteriſsis ac Diaconiſſis peracta diſputatione, ſatisque demonſtratum, unde muliebre noſtrorum Hæreticorum Sacerdotium primùm emerſerit; Nunc

ad intermiſsam Narrationem, à qua digreſsi ſumus; ſtylus vertendus eſt.

Dum igitur Londinenſis Epiſcopus, uti dicebamus, Muliebri *W*itcleſiſtarum Sacerdotio miſta ſeveritate clementia, ſimulque interpoſita Regia poteſtate valide ſe ſe oppoſuiſset, Fœminarum furor ita deferbuit, ut haud amplius conciones publice haberi, Miſsaſque celebrari à Lolardicis Sacerdotiſsis auderetur.

Ioannes Purvey eiuſque Socij ſpe, quam de Fœminis conceperant, fruſtrati, novas machinas ſtruere cogitarunt, eòque faciliorem in ijs promovendis ſecuritatem ſibi pollicebantur, quòd Rex ad rebellantium Sylveſtrium Hibernorum impetus totam pene Provinciam depopulantium comprimendos, in Inſulam tranſmiſerat, ita quòd Epiſcopalis poteſtas Principis abſentia haud parum infirmaretur. Iunctis itaque conſilijs, ut Principes Viros, Regnique Proceres Eccleſiaſticorum bonorum ſpe allicerent, tria Opuſcula publicarunt, quibus Eccleſiaſticos proventus, ampliſsimoſque redditus veluti quid Evangelio repugnans, perſtringebant, eodemque ictu univerſum Clerum ijsdem ſpoliandum perurgebant. Primi Opuſculi Author Purvey, cui titulus erat: *Contra Cleri iniuſtas poſſeſſiones*. Alterum compoſuerat *W*ilielmus *W*hyte, nempe *de ſubtrahendis decimis, & de poſſeſſionibus auferendis*. Tertium, Gualtherus Britte cum hac inſcriptione: *Pro tollendis à Clero poſſeſſionibus*. Quæ iam prædocuerat eorum Magiſter *W*itcleſus lib. de Eccleſia, ſive ſupplemento Trialogi ita ſcribens: *Contra Scripturam Sanctam eſt, quod Viri Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones. Papa cum omnibus Clericis ſuis poſſeſſionem habentibus ſunt Hęretici eò quòd poſſeſſionem habeant, & conſentientes eis omnes videlicet Domini ſęculares, & cæteri Laici*. Quæ dictæ propoſitio-

poſitiones ſunt decima & trigeſima ſexta in ordine damnatæ in Bulla Martini V. Conſtantiæ anno 1418. octavo cal. Martij. Petrus quoque Pateshul ſociorum alter ab Auguſtini inſtituto Apoſtata duos libellos evulgavit, unum de ***Flagitijs Auguſtinienſium***; Alterum ***de Nequitijs Dominicanorum***. quibus ſubtexuit ***Sermones contra Papiſmum***. Homo ad ſcurilia natus probroſis iocis calumnias ac convitia nequiori ingenio ita miſcebat, ut in Mendicantium Ordines riſum ſimulque odium excitaret. Tres alij ſocij, *W*ilielmus ſcilicet Thorpe, Richardus *W*ith, & *W*ilielmus Taylor ſuſcepto prædicandi munere, quod alij ſcriptis, iſti ſeditioſis concionibus univerſum Clerum bonis denudandum auditoribus perſuadebant. Londinenſis Epiſcopus ut novos hos improborum hominum auſus reprimeret, *W*ilielmum Thorpe præcipuum populi concitatorem in carcerem trudi fecit, quem tamen tumultuantis plebis metu, ac quorundam Procerum patrocinio libertate donare paucos poſt dies coactus fuit. Carcere dimiſsus maiori quàm antea audacia unà cum ſocio Taylor populum in Epiſcopi perniciem ſeditioſis declamationibus concitare nitebantur; Nec à diſseminando *W*itclefi lolio impij iſti duo homines deſtitere, niſi capti, Thorpe anno 1407. Taylor anno 1422. vivique comburio damnati turpem animam inter flammarum vortices evomerint:

Inter harum turbarum motus Anna Regina ultimum diem clauſit, de cuius morte accepto nuntio Richardus, relicta Hibernia Londinum è veſtigio ſe contulit, ubi perſolutis Regio funeri pompis, Iſabellam Caroli ſexti Francorum Regis filiam per Legatos in Vxorem petit. Carolus libentiſsime annuens, Richardus Caletum, inde Arderam proficiſcitur, quò pariter Carolus unà cum filia ſe contulerat; Puella quamvis imma-

tura Viro, Richardo traditur, quam primò Caletum, inde Londinum adducit. Harum nuptiarum lætitia hoc eodem anno 1396. induciæ inter Anglos & Gallos per triginta totidem annos renovatæ fuere. Gloceſtrius Lanchaſtrij frater iam Richardo infenſus, ex hac inopinata cum Gallo affinitate vehementiori rabie exacerbatus acriora in Regem obloquebatur, populumque Londinenſem ne amplius, renovatis cum Gallo inducijs, tributa ſolveret modis omnibus ſolicitabat, eòque impudentiæ pervenerat, ut palam iactaret, *ſe conie-ćturum Richardum tanquam hominem imbellem, minimeque regendo idoneum in aliquam Arcem, ut ſine Reipublicæ iactura pro ſuo iure otium traheret*. Quibus alijſque ſimilibus irati Principis exaggerationibus, oblatam occaſionem captantes Witcleſiſtæ tanto ardore ipſius voluntati obſequebantur, ut in apertam ſeditionem, quam in Regem Gloceſtrius ſummopere percupiebat, proſiliſsent, niſi Lanchaſtrius, ne facinoris conſcius, fratrique conſenſiſse putaretur, primis ſeditionis motibus occurrens expeditiſsima dexteritate ſedaſset; Quinimo ut omnem in poſterum ſuſpicionem tolleret, relicta Aula Lanchaſtriam ſui Principatus ſedem ſe recepit, cuius exemplo Eboracenſis pariter Dux eiusdem frater paulò poſt Eboracum ſe contulit, ambo ſperantes, Gloceſtrium fraterna authoritate deſtitutum ferociores illos impetus utique repreſſurum. At contra accidit, nam fratrum obſequio ſolutus Gloceſtrius, cum iniquiora in Regem liberiori auſu moliretur, Richardus, Sancti Pauli Comitis Gallorum Regis Legati conſilio, de ipſo quamprimum è medio tollendo cogitare cæpit.

Dum hæc agerentur Wilielmus Courtoney Archiepiſcopus Cantuarienſis fatis conceſserat, vixque nuncius de defuncto Præſule Londinum pervenerat, quòd omnia inter

ter Lolardos lætitiæ ac iucunditatis plena fuere, ſibique invicem de hoſte omnium infenſiſſimo tandem ſublato gratulabantur; Verùm tam effuſa lætitia de repente refrixit, etenim Thomas Arundelius Eboracenſis Archiepiſcopus ad Cantuarienſem ſedem Bonifacij IX. Romani Pontificis diplomate translatus defuncti Præſulis vices ſuſcipiens, Concilium Londini celebravit anno 1396. ut habetur Tom. 11. Concil. Lab. pag. 2080. in quo damnatis decem & octo Articulis ex Witclefi Trialogo excerptis, omnes eiusdem doctrinę Aſsertores anathematis fulmine percuſsit. Nicolaus Harpsfeldius Sæcul. 15. Hiſt. Angl. cap. 9. in fine, de hac re aliter ſcribit. *Duplicem his temporibus eodemque in anno*, ſcilicet 1408. *Synodum Thomas Londini indixerat*. Errat hic Scriptor & tempore & loco: Nam unum tantummodo Concilium factum fuit Londini ſub Arundelio ſui Archiepiſcopatus initio, nempe anno 1396. ut ex Labæo mox addiſcimus; Alterum non Londini, ſed Oxonij anno 1408. ab eodem Præſule celebratum fuit, ideoque Oxonienſe non Londinenſe appellatum, ut conſtat ex eodem Labæo loco citato pag. 2089. *Concilium Oxonienſe à Thoma Arundelio Cantuarienſi Archiepiſcopo cum Suffraganeis celebratum anno Domini* 1408. Spelmannus pariter labitur, qui in Collect. Concil. Angliæ Londinenſe pro Oxonienſe ſcripſit: *Fecit Concilium Londinenſe contra Hæreticos anno* 13. *translationis ſuæ, anno* 1408.

Hæc novi Antiſtitis vigilantia, tamque ſubita per Synodalia decreta Witcleficæ doctrinæ iterata damnatio permultos, ne in eandem allaberentur, retinuit, ipſoſque Sectarios ab habendis concionibus alijsque publicis actionibus maxime cohibuit; Quod verò rem Catholicam opportunius iuvit, quodve iſtorum hominum intolera-

bilem

bilem arrogantiam omnino perterruit, fuit inopinatus nuntius de Glocestrij morte iuſsu Regis ſequta; Impatiens ſiquidem Richardus tam ulſciſcendæ ſeditionis antea conflatæ, quàm depellendæ ſuſpicionis, qua continuò angebatur, Glocestrium ſibi ultimum exitium machinari, de ipſo interficiendo, quod iam animo conceperat, quàm citiſsime perficere ſtatuit; Qua de re habito conſilio cum Thoma Monbraio equitum Magiſtro, in Eſsexiam ad quandam Villam, in qua tunc temporis Gloceſtrius morabatur, ſimulata venatione ſe contulit. Gloceſtrius Regem quàm honorifice excipiens epulas ſtatim Regio more parari iubet, quibus vix deguſtatis, Rex Patruo ſignificat ſine mora Londinum ſibi redeundum ſimulque petit ſecum proficiſci; Gloceſtrius nil ſuſpicatus cum paucis ſuorum Regem comitatur. Mombraius, qui in proximam Sylvam ſe abdiderat, Gloceſtrium, Rege ex induſtria iam prægreſso, valida equitum turma de repente aggreditur, captumque ad Tameſis ripam pertrahit, inde conſcenſa navi Caletum deportat ac poſtridie ſtrangulatur. Ita præferocis animi Princeps, ac *Witcleficæ* factioni nimis addictus miſerando exitu perijt. Richardus Londinum reverſus omnes, qui cum Gloceſtrio in ipſum conſpiraſse putabantur, læſæ maieſtatis reos declaravit, publicatiſque bonis, captos ſupplicio affecit, alios exilio multavit. Sedatis hac ſeveritate turbis, Ordinum Conventum labente anno 1397. convocavit, Rebuſque pro Regni ſtatu ex animi ſententia conſtitutis nonnullos Principes Viros dignitatibus atque honoribus auxit; Hugonem Spenſerium in demortui Patrui locum Gloceſtriæ Comitem creavit, Thomam Mombraium ex Comite Ducem Northfolchiæ conſtituit, & Henricum Lanchaſtrij filium Herefordiæ Ducem declaravit; Qua quidem dignitate ob quædam

acrius

acrius in Regem dicta delatore Mombraio de repente privatus in exilium ire cogitur, multato paulò poſt eadem pœna etiam Mombraio, quòd multa falſa Henrici dictis per calumniam addidiſset. Henricus propriæ ſaluti conſulens in Galliam proficiſcitur, Mombraius in Italiam, & Venetijs angore animi vexatus vitam amiſit.

Interim Lanchaſtrius Patris exitio tam turpi morte necati, Filijque exilio mœrore preſsus paucos poſt menſes, inſequenti ſcilicet anno 1398. fatis conceſsit. Fuit Princeps perſpicaciſsimi ingenij, animi magnitudine in Rebus bellicis, ſummaque dexteritate in Reipublicæ negotijs peragendis poſteris commendandus, niſi factioſorum hominum, ac Hæreticorum patrocinio præclariſsimas animi dotes denigraſset. Defuncto Lanchaſtrio Richardus bonis omnibus fiſco adiudicatis exulantem Filium paterna hæreditate privavit, privatumque omnibus titulis ac dominijs edicto publicavit. Quod tam acerbe factum in cauſa fuit, ut Regni Optimates Propinqui ac Lanchaſtriæ familiæ Affines de opprimendo Rege ſecreta conſilia inierint. Interim Richardus harum molitionum ignarus accepto nuntio Sylveſtres Hibernos novis incurſionibus Inſulam depopulari, confeſtim Briſtolium, exercitum in Hiberniam inde traducturus, proficiſcitur. Regis diſceſsu arcani complices capta opportunitate, Henricum, quem ab obitu Patris, Lanchaſtriæ Ducem appellitabant, celeri nuntio in Patriam ſine mora redire monent, ne Angliæ Sceptrum ab amicis fortunaque paratum dubioſa cunctatione deperdat; Henricus ſpe potiundi Regni animatus è veſtigio in Angliam transmiſit, factaque exſcenſione magno Nobilium aliorumque clientum numero, qui preſto erant, ſtipatus populo undique confluente feſtisque clamoribus perſonante, Eboracum venit,

nit, ubi ope & auxilijs Eduardi Patrui Eboracenſis Ducis iuſto conflato exercitu magnis itineribus Ceſtriam contendit. Richardus de omnibus rumore famæ commonefactus relicta Hibernia in munitiſsimam Arcem paſſuum decem millibus à Ceſtria, quam *Flynt* vocant, ſe recepit, ſperans munitione loci imminens periculum de facili evaſurum; Quæ tamen ſpes ipſum fefellit, nam appropinquante Henrico ſubita ſuorum defectione proditus, ſe Regno depulſum, deperditumque cognovit. Porro Henricus nullo prælio, nulla vi Richardo potitus more Victorum Londinum triumphans ingreditur, captivumque Regem in Turri Londinenſi cuſtodiendum demandat, paulòque poſt Pontifractum vulgò *Pontfreyt* Caſtrum in agro Eboracenſi crebris propugnaculis munitiſsimum adduci imperat, ubi fame inter epulas, quas attingere prohibebatur, necatum, veraciores Scriptores tradidere.

Poſt hæc Henricus, ne quid cunctanti ſiniſtri accideret, convocatis Regni Ordinibus, omnium votis ad tertium iduum Octobris huiuſce anni 1399. Rex ſalutatur, ſacroque Chryſmate ab Arundelio Cantuarienſi Archiepiſcopo inunctus more Maiorum coronatur; Henricum filium *W*alliæ Principem declarat, Gloceſtrij mortem captis complicibus ſupplicioque affectis, ulciſcitur, deinde ad Regni quietem procurandam converſus, ſeditiones quamplures vel adepti Regni invidia partas, vel in vindictam Richardi conflatas, obtruncatis authoribus, extinxit. Sub hoc Rege, ſpatio ſcilicet annorum tredecim quibus regnavit, Lolardorum factio diſperſa penituſque proſtrata iacuit; defunctis enim Gloceſtrio ac Lanchaſtrio Patronis nil præſidij ſpeique reliquum erat, perſequente præſertim eos Arundelio, qui per Eccleſiaſtica Tribunalia ubique gentium inquirendos, Regiaque poteſtate, quam Rex ultro permittebat, punien-

puniendos demandaverat: Quamvis enim Henricus Lanchaſtrij Filius, ab hac tamen hominum peſte ſemper abhorruit, expertus, omnes ſeditiones hactenus exortas à ſola *W*itclefi hæreſi initia ſumpſiſse. Verùm qui eadem lue tacti in Regem iniquo animo erant omnia hæc acerbe ferentes, ut occultam rabiem impunè effunderent famoſas ſchedulas per Urbis compita frequentiora clam affixere, quibus novum Regimen, Regisque perſonam maledictis impetebant. Henricus tanta iniuria laceſſitus detectis Authoribus, Richardum Scrope Virum Nobilem, Rogerum Claryngtonum Equitem auratum, ac octo Franciſcani Ordinis Monachos aliosque nonnullos per indicem compertos tanquam læſæ Maieſtatis Reos ſupplicio affecit. Porro Lolardi res ſuas in peius ire videntes, ac quotidie aliquem ex Socijs carcere, ſecuri, alijsque pœnis ſeveriſsime puniri animadvertentes, voluntario exilio nonnulli Patriam deſerebant, alij in abditiora Regni loca ſe occultantes propriæ incolumitati conſulebant. Eandem viam tenuit Hieronymus Pragenſis famoſus poſtea Huſsitarum Coryphæus, qui id temporis in Anglia morabatur; Studiorum enim cauſa unà cum Bohemo quoddam nobili Adoleſcente Oxonium venerat, ubi ambo ſub diſciplina Petri Payne Artium Profeſsoris literis operam dantes, eo Magiſtro *W*itclefi Hæreſibus imbuti Lolardicæ Sectæ nomina dedere; Quamvis autem novam Religionem caute ſatiſque occulte profiterentur, metu tamen, ne indice aliquo fortè detecti, pœnas, quas cæteri, ſubire cogerentur, relicta Anglia in Patriam remigrarunt. Hi duo primi fuere, qui *W*itclefi *Trialogum* in Pragenſem Academiam intulerunt, cuius veneno propinante Ioanne Huſsio contaminata, totum poſtea Bohemiæ Regnum infecit.

Interea cum Arundelius, qui Londini ad extirpandam

Hæreſim totus incumbebat, inſuſurrante fama intellexiſset, Witclefi Lolium Oxonij occulte repullulare, convocatis ibidem Suffraganeis alteram Synodum ad ipſum eradicandum hoc anno 1408. celebravit. Varias Witclefi propoſitiones iterum damnavit: Sectarios, complices, ac ſequaces ſacro igne fulguritos publicavit; pertinaces verò, ſi capti, pœnas à ſacris Canonibus, Regijſque Edictis decretas inevitabiliter luituros declaravit. Dum hæc à Synodo agebantur; Petrus Payne, qui Londino fugiens Oxonium redierat, ac Witclefi Hæreſes ſecreto hactenus docuerat, metuens ne ſi quo delatore proditus, ſibi extemplo interclusa fuga, in carcerem raperetur, ad diſcipulos in Bohemiam advolavit. De hac celeri fuga ita ſcribit Apoſtata Balæus de Scriptoribus Angliæ: *Petrus Payne Oxonij donatus artium profeſſione Ioannis Witclefi ac diſcipulorum eius in ſincera doctrina veritatis conſtantiſſimus ſectator & diſcipulus fuit; Quippequi ob perſequtiones graves, quæ tunc in Anglia per Antichriſtos fiebant ſibi non parum metuens celeriter in Bohemiam profugit*; Quem ex eadem fæce nonnulli paulò poſt ſequti omnia Witclefi ſcripta Pragam detulerunt, quibus ut fidem, maioremque authoritatem adijcerent, *Literas approbatorias furtive ſignari fecerunt ſigillo Univerſitatis Oxoniæ, quas apud Pragenſes pro grandi authoritate monſtrarunt*, ut notat Waldenſis tom. 2. doct. 6. pag. 4. Hinc Scolaſtica Iuventus, nonnullique etiam ex Profeſſoribus decepti, novæque doctrinæ curioſitate allecti, tranſcriptis Witclefi libris tanta copia multiplicarunt, ut totam Urbem momento infarcierint. Germani (quo nomine tres tantùm ſignabantur Nationes in ea Academia, nempe Bavarica, Saxonica, & Polonica) qui iure privilegij, Univerſitatis Regimen tunc temporis

ris obtinebant, *W*itclefi opera veluti impia atque Hæretica ſolemni decreto interdixere. Ioannes Hus Artium Magiſter, ac Magni nominis Profeſsor, qui hauſto iam *W*itclefi veneno patrium ſolum inficere meditabatur, inique ferens, *W*itclefi ſcripta tam turpiter haberi, omnem poſuit operam, ut infenſos Germanos à ſupremo Academiæ Regimine deturbaret; illis namque deiectis ad redintegrandam *W*itclefi doctrinam firmiusque ſtabiliendam liberum ſibi facileque futurum prævidebat. Quare Bohemis inſuſurrare cæpit nimis iniquum eſse, exteras Nationes Academiæ inſignibus ſolas potiri, magiſque iniurioſum, neminem unquam ex Bohemis quantumvis doctrina celebrem ac optime meritum ijsdem prærogativis poſse frui; Bohemicam porro dignitatem diu ſatis conculcatam, ab huiusmodi ſervitute vindicandam, nec amplius tantam contumeliam Domi propriæ in dedecus Nationis fore tolerandam. Quibus permoti Bohemi *W*enceslao Regi ſupplicem libellum porrexerunt, ut impoſito modo ęqualitas in obeundis Academiæ Munijs in poſterum ſervaretur. Rex ut naſcentibus diſſidijs provideret, à iurgijs enim iam ad arma inter Nationum Scholaſticos ventum erat, per omnia Bohemorum voluntati indulſit. Germani Regijs mandatis antiquum ſibi ius eripi videntes, deſerta Univerſitate omnia deperdere, quàm Bohemis cedere maluerunt, eorumque circiter mille quaſi agmine facto illico Erphordiam commigrarunt; Reliqui ad duo & amplius mille præter Magiſtros & Profeſsores Lipſiam paulò poſt profecti, ſub auſpicijs Friderici Bellicoſi primi ex familia Miſnica Electoris pridie idus Novembris anno 1408. florentiſsimæ Academiæ fundamenta poſuerunt.

Poſt Germanorum diſceſsum, Bohemi omnium privilegiorum iuribus, atque Academiæ inſignibus potiti, *W*it-

cleſi doctrinam in publicis Scholis libere profiteri, inſtante Huſsio, permiſerunt, quam ſtatim ipſemet primùm ex Cathedra, mox è Suggeſtu Auditoribus omnium primus inſtillare cæpit. Witclefi Trialogum in vernaculam lingvam tranſtulit, quem in varia exemplaria exſcriptum, ubique per ſuos emiſsarios diſseminare fecit, eorumque nonnulla affabre inaurata, bullis, fibuliſque argenteis ornata ad quoſdam Regni Proceres, Viroſque principes dono miſit, quorum poſtea patrocinio eò Witclefi hæreſim perduxit, ut oppreſsa Catholica Religione, florentiſsimum Regnum omnium calamitatum genere immaniſsime afflixerit. Interim magno Scholaſticorum numero conflata factione, ſimulque quarundam Eccleſiarum Rectoribus, qui Huſſij opera Germanorum Cathedras obtinuerant, aucta ac roborata, omnia ad ſolius Huſsij arbitrium in ipſa Univerſitate gerebantur. Hinc famoſum Huſsitarum nomen miſeris Bohemis infauſtum ac ingentium malorum prænuntium primùm emerſit, quandoquidem dictæ factioni adhærentes hoc uno nomine Vulgus appellare incæperat; quòd cum ad magnam ſibi gloriam verteret Huſsius, maiori conatu, inſtitutam ſuo nomine Sectam longius latiuſque propagare animum defixit. Quare præ cæteris Hieronymum Pragenſem, de quo ſupra dicebamus, hominem in arte dicendi peritiſsimum æque ac in hæreſi pervicaciſsimum ſibi in hac provincia adiutorem, perpetuumque Collegam delegit.

Is Witclefi effigiem collo appenſam geſtabat laureola more Divorum ornatam cum Epigraphe *Sanctus Ioannes Witcleſus*: Et quamvis homo laicus publicas conciones in illis utpote Eccleſijs, quarum Rectores in Huſſij partes tranſierant, quotidie habebat, quibus Witclefi doctrinam vere apoſtolicam, & à puro Evangelij

ſenſu

ſenſu hauſtam exaggerando tanta facundiæ vi, mirisque dicendi modis Auditores circumveniebat, ut ad ipſam amplectendam, armisque defendendam adusqve perduceret. Subinco à Leporibus tunc Archiepiſcopus Pragenſis, ut credulam plebem huiusmodi concionibus deceptam à male concepta fide in *W*itclefum revocaret, eiusdem libros ad ducenta & amplius exemplaria publice comburi iuſsit, eosque in poſterum legere vel retinere impoſito anathemate interdixit.

Interea dum inter hos Religionis motus Civitas Pragenſis Huſsitarum perfidia magis magisqve implicaretur, Ioannes XXII. Romanus Pontifex Bullam evulgavit, qua plenariam peccatorum veniam ijs omnibus indulgebat, qui adverſus Ladislaum Neapoli Regem Eccleſiam infeſtantem arma ſumpſiſſent; Quod Pontificis diploma Bohemiam delatum cum Pragæ Archiepiſcopi iuſsu in maiori Eccleſia promulgaretur; nonnulli de fæce plebis Huſsij ſequaces, *Ioannem Papam Antichriſtum eſſe magna voce clamant, qui crucem contra Chriſtianos decerneret*: His vocibus excitato tumultu Pontificiam Bullam è Promulgatoris manibus raptam, collo ſpurciſsimæ meretricis alligant curruque impoſitam per loca Urbis frequentiora evehunt contumelioſis clamoribus venerandum Pontificis nomen infamantes. Magiſtratus tali impietate offenſus, tres, qui ſeditionis infandique facinoris authores habebantur, in carcerem trudi fecit, eodemque tempore occulte capite plecti iuſsit; Sed miniſtrorum incuria cum ſangvis è Prætorio efflueret, accurrens populus fractisque ianuis interemptorum corpora ſuſtulit, aureoque circumvoluta panno per omnes Urbis Eccleſias detulit cantantibus Huſsio ac ſuæ Sectæ Presbyteris, *iſti ſunt Sancti qui pro teſtamento Dei ſua corpora tradiderunt: Ecce Ieſu Chriſti martyres*. Inde aromatibus condita

ta veluti Martyrum reliquias in Sacrario templi Bethleemitici depoſuerunt.

Inter tanta rerum turbamenta Wenceslaus Rex ſuis delicijs, gulæ ventrique deditus, indormiebat, nec quidquam ipſi curæ, niſi menſa opiperis ferculis, ac generoſis falernis inſtructa. *Fama eſt, cum aliquando prandium non ita, ut juſſerat, inſtructum, offendiſſet, juſſiſſe, Miniſtrum caponis inſtar veru affixum ad ignem torreri.* Qua porro belluina ingluvie ſopitus, & quod peius erat, pretioſis Huſſitarum muneribus corruptus, dicere namque ſolitabat: *Unde mihi hic tam beatus Anſer natus? Qui tot ſubinde aurea, argenteaque ova mihi excludit?* (Alludens ad Huſſij nomen, quod lingva Bohemica Anſerem ſignificat) Religionem profanari, Reique publicæ ſtatum à ſeditioſis Hæreticis ſubverſum iri nihili curabat. Quod cum Sigiſmundo Imperatori Conſtantiæ tunc commoranti perlatum fuiſset, ut Catholicæ Religioni, Fratris ſocordia iam iam periclitanti ſuccurreret, Patres Concilij, qui pro tollendo Schiſmate ibidem convenerant, rogavit, ut Huſſiticæ peſti tempeſtivis remedijs occurrerent, ne quæ iam meliori Regni parte occupata, reliquas quoque minus curata inficeret. Qua de re Patribus viſum, Huſſium ac Hieronymum ad Concilium arceſſiri. Ambo igitur citati Conſtantiam veniunt; Concilio ſe ſiſtunt. Nulla Divini eloquij veritas, nulla Sanctorum Patrum Ratio, nulla Eccleſiæ Authoritas ut errores deponerent, veniamque peterent, fuit ſatis. Quare de Hæretica pravitate convicti tanquam pertinaces Magiſtratui traduntur, vivique combuſti, Huſſius die Sabbathi ſexta Iulij anno 1415. Hieronymus die pariter Sabbathi trigeſima Maij inſequentis anni 1416.

Fama de Huſsij atroci ſupplicio cum Pragam perveniſſet, rebellantes Huſſitæ de ulciſcenda Magiſtri morte coniurant,

rant, ſibique Ducem conſtituunt Ioannem Ziskam, qui ſicuti audacia ac impietate nulli ſecundus, ita fortitudine militari reique bellicæ peritia paucis conferendus, inſenſiſsimus Monachis præcipue, ut ſcribit Dubravius, *propterea quòd ſorori ſuæ flammeo velatæ neſcio quis cucullatus vitium obtuliſſe diceba-tur, ſed prætextum hoc potiùs ad velandam avaritiam propter quam ſe ad rapinas dederat, fuit*: Hoc Duce nullum ſcelus & ſi immanitate horrendum ab impijs Huſsitis prætermiſsum. Vis pudicitiæ illata, defloratæ Virgines, Divorum templa Solo æquata, Eccleſiarum prætioſa ſupellectili ſpoliata Sacraria, Civium ſangvine fœdata Civitas, Monaſteria admotis ignibus unà cum Monachis combuſta, aliæque innumeræ totius Regni calamitates Witcleſiani Evangelij, promulgatore Huſsio, pietatis opera fuere. Hæc pauca de Huſsitis obiter attingere voluimus, ut intuenti Lectori aperta ſcena patefaceremus, quomodo Witcleſiana Hæreſis traiecto mare, alijs Provincijs retro relictis, Bohemiam irrepſerit, ac Huſsij nomine larvata tot tantasque tragædias egerit, quas fuſius ac luculentius deſcriptas Æneas Sylvius, Ioannes Cochlæus, & Dubravius Olmuzenſis in Moravia Epiſcopus tradidere.

Cap.

Cap. XVI.

Celebrata Oxonienſi Synodo Epiſcopi ad proprias Sedes revertuntur. Henricus Henrici IV. Filius Patri in Regnum ſuccedit. Menevenſis Epiſcopus Arundelio. Polydori error notatus. Lolardi mortuo Arundelio in apertum prodeunt. Iuvenem Regem varijs modis corrumpere tentant. Audita Huſsij morte tumultuant. Ioannes Oldecaſtell rebellionis Author igne necatus. Lolardi funditus everſi ac extirpati. Witcleſica Hęreſis Regno expulſa Bohemiam, in varias Sectas diviſa, continuis per integrum Saculum cladibus dilacerat. Saxoniam invitante Luthero ingreſſa totam Germaniam ſtragibus implet. Diu divagata ſub Lutheri larva in Patriam remigrat.

HActenus, quantùm fuit opus, per Bohemiam divagati, in Angliam regredimur. Poſt igitur celebratam Oxonij Synodum Epiſcopi ad proprias Sedes reverſi illico perluſtratis Diœceſibus

Digitized by Google

ceſſibus aberrantes oves *W*itclefico Lolio allectas ad Ecclefiæ paſcua revocarunt, ſaniorisque doctrinæ documentis avitæ Religioni reſtituerunt; Quod profecto nec valde laborioſum vel difficile fuit, ſiquidem *W*itclefiſtarum Magiſtri, qui concionibus ſuavibusque ſuadelis fidelem plebem decipere ſolebant, horribili Arundelij diligentia, qua ipſos ubique gentium inſequebatur, perterrefacti, vel extra Regnum diſperſi, vel intra, latebris occultati ne mutire quidem audebant. Ex quo factum eſt, ut Res Catholica priſtinæ tranquillitati quamprimum reſtitueretur, in qua nullis vexata turbamentis fere per quinquennium permanſit, nempe ad annum uſque 1413. quo Henricus Rex, paulòque poſt Arundelius è vita migrarunt.

Defuncto Henrico in Regnum ſucceſsit eius Filius *W*alliæ Princeps Henrici quinti nomine appellatus; Arundelio verò Henricus Chicheley Menevenſis Epiſcopus. Polydorus Vergilius lib. 22. ſuæ Hiſt. de Arundelij morte ita ſcribit: *Fuit is annus ſalutis humanæ* 1415. *quo Thomas Arundelius Cantuarienſis Antiſtes annum iam tunc ſedens tertium & trigeſimum è vita exceſſit*. Duplici errore errat, nam annus 1415. erat annus ſecundus, quo Chicheleius Cantuariæ ſedebat, ut clare habetur ex quaddam ipſius Ordinatione à Spelmanno relata in Collect. Concil. Angliæ, quæ ita ſubſignata legitur: *Anno* 1415. *& noſtræ Tranſlationis ſecundo*. Falſum quoque eſt, Arundelium annos tres ac triginta Cantuariæ ſediſse, cum ab anno 1396. quo ab Eboracenſi ad Cantuarienſem Sedem fuit translatus, ad annum 1413. quo fatis conceſſit, anni tantummodo ſeptemdecim colligantur.

Interea *W*itclefiſtæ audita Regis, ac Archiepiſcopi morte pedetentim & caute è latebris prodire cæperunt, paſſimque conventicula in quibusdam ſecretioribus lo-

cis habentes, intermiſsum bellum denuo contra Eccleſiam inſtaurare deliberant; Verùm ut Eccleſiaſticam poteſtatem, quam in ipſorum perniciem Prædeceſsorum Regum decretis roboratam plurimum pertimeſcebant, fractam tandem eluderent, novum Regem ſibi benevolum vel ſaltem haud infenſum efficere tentant. Iuvenem Principem ſenili prudentia præditum miris laudibus efferunt, optimique Regis imperium palam gratulantur. Quò tamen ipſius gratiam ſimulque favorem aucupentur, ſummam primamque poteſtatem in Eccleſiam, in Epiſcopos, in Clerum iure Regio ipſi debitam ubique deprædicant, quod Waldenſis ipſum Regem alloquens ita memorat tom. 2. doctr. 7. pag. 5. *Sicut tu ipſe magne Princeps Henrice probaſti, quia Witcleſiſtę noſtri applaudentes tuis principijs præclarum Regem dixerunt, & habere te poteſtatem primam corrigendi Clerum, & tollendi eis dotem, & libris docuerunt & verbis*. Sed cum ſurdis auribus ſe canere perſpexiſſent, optimum Principem pecunia corrumpere moliuntur, quod idem Waldenſis refert in Prologo lib. 4. pag 479. *Et inde Miles quidam magnus eius diſcipulus à brevi tempore obtulit Domino Regi unum* Nobilem *pro unoquoque capite prædictorum & quidem in his oblationibus ſalutem Regis ſpondebant & Regni, quam tamen ſubdole cum Aman proponunt adimere*. *Nobilis*, erat nummus aureus Anglicus vulgo *Noble à la roſe*, quòd Roſam in medio præferret eiuſdem valoris, quo nunc nummus aureus italice *Ungaro*. Ex qua libera oblatione ab Witcleſiſtis capitatim Regi ſolvenda colligi poteſt, horum hominum factionem clam in magno numero tunc temporis fuiſse, propterea quòd ex uno tantùm *Nobili* à ſingulis tributo, tanta vis auri conflanda eſset, quæ

ad

Digitized by Google

ad Regis Regnique ſalutem, uti pollicebantur, ſufficeret. Deſpexit tamen pijſsimus Rex ac contempſit inſidioſæ Hæreſis munera Catholicæ fidei nocitura; Quantum verò, quove animo hoc peſtiferum hominum genus abominaretur ex eo apparuit, *quòd domorum latibula in quibus Lolardi ſua conventicula celebrabant docentes doctrinam Balam & offerentes contra Chriſtum Hæretica Sacramenta*, deſtrui iuſſerit – *Altaria demoliri, quibus decepti vulgares, aut Doctores eorum decumbebant in Clero, & ne libere docerent in Eccleſijs, excelſas eis Cathedras publica ſanctione Eccleſia fecerat interdici*; Sunt verba laudati Waldenſis in Prefat. tom. 2. ad eundem Henricum. Lolardi hac inopinata Regis deliberatione vehementer commoti, eoque magis indignati, quòd ſub novo Rege fœlicia quæque ſibi ominantes, rurſus docere palamque concionari incæperant, *ſtatim per libellos famoſos*, ut ait idem Waldenſis tom. 1. pag. 282. *clamabant fidelem Principem eſse corruptum, & nominare cæperunt eum Principem Sacerdotum*. Quod repetit tom. 2. pag. 5. *At poſtquam vibraſti in eos Eccleſiaſticum gladium, publicis coniectis ſchedulis & famoſis libellis appellabant te Principem Sacerdotum*.

Dum hæc pro Catholica Religione à pijſsimo Rege agerentur, de-damnatis à Concilio Conſtantienſi Witclefi opinionibus, ac de combuſto earundem propugnatore Huſſio, nuntij Londinum pervenerant, ubi Synodale eiuſdem damnationis Decretum per omnes Eccleſias in maiori populi frequentia ſubitò publicatum, ita Sectariorum rabiem, ac in Regem conceptum iam odium auxit, ut ad arma pro defendenda Magiſtri doctrina ſibi recurrendum deſperatiſsime deliberaverint; Immo Regem ipſum, eò quòd nec laudibus nec pe-

cunia ſibi conciliare nequiverant, opprimere coniurant. Ioannes Oldecaſtell, latine à Caſtro veteri, patrando ſceleri ſe Ducem præbuit: Erat Baro de Cobham; Eſt Oppidum in Comitatu Cantiano prope Tameſim, Graveſindæ à tergo adiacens, quindecim milliaribus à Londino diſtans, quod Uxoris hæreditario iure aquiſierat. Per plures annos in exercitu Regio militiam exercuerat, animi fortitudine, ac arte bellica illuſtris digniores militiæ gradus promeruerat. Sed cum *W*itcleſiſtarum erroribus nimis facilè aures præbuiſset, eorundem aſsertionibus deceptus in Hæreſim inciderat, quæ tam immani cæcitate miſerum obruerat, ut paſsim exclamaret. *Nunquam ante iſtam doctrinam ceſſavi peccare, quomodo tamen ab iſtis Witcleſiſtis tantum addidici?* Quem talia dicentem *W*aldenſis ſe audiviſse ſcribit tom. 1. doctrin. 7. pag. 4. Hæc autem cum palam & ubique exaggeraret, fuit de Hæreſi poſtulatus, ac coram Arundelio Cantuarienſi tunc Antiſtite, anno ſcilicet 1412. ſe ſiſtere iuſſus. Inter Quæſitores, qui ad perquirendum de ipſius fide ab Archiepiſcopo deſignati erant, aſsidebat etiam noſter *W*aldenſis, ut ipſemet teſtatur tom. 1. pag. 347. his verbis: *Quem textum cum obijcerem Ioanni veteris Caſtri militari Viro, iam reſpondenti in materia Hæreſis coram Thoma Primate Cantuariæ.* Itaque interrogatus, quid de *W*itcleſi doctrina, quam ſummis laudibus palam, ac pluries commendaſse dicebatur, ſentiret? Varie primùm, ac ambigue reſpondit; Mox deinde, nunquam de Catholica fide dubitaſse, nec omnino quidquam contra aſseruiſse dixit; Fateri tamen, aliqua *W*itcleſiſtarum effata laudaſse, eò quòd aliquibus ſacræ Scripturæ locis maxime conformia ſibi viderentur, quæ cum recitaſſet, *W*aldenſis, cui Archiepiſcopus hac in re ſummam deman-

demandaverat, exactiſsime explicavit, ac varijs ſacræ Scripturæ dictis, Sanctorumque Patrum ſententijs vero eorundem ſenſu demonſtrato *W*itclefica figmenta detexit ſimulque confutavit; Quibus convictus Oldecaſtell mentis perfidiam ignorantiæ velo ſubdole obtendens, ſe potius inſcitia deceptum, quàm ulla malitia depravatum firmiſsime aſseverabat, veniamque deprecatus, Eccleſiæ iudicio ſe humiliter ſubmiſit. Hac animi demiſsione commotus Arundelius, vero cordis dolore affectum facilè credidit, veniamque, gravi antehabita monitione largitus, liberum dimiſit. Verùm quia tali coram Archiepiſcopo, quamvis ficta confeſsione apud Confectarios ſe male audire conſpiciebat, propriæque famæ decus iri deperditum dubitabat, ſepoſito parumper gladio calamum ſtrinxit, ac Opuſculum, cui titulus *Agricolæ Querimonia* unà cum Symbolo ſuæ fidei conſcripſit, quod ſtatim è vivis ſublato Arundelio in publicum emiſit; Verùm patefacta hoc libello eius in Hæreſi pervicacia Henricus Rex omni militari dignitate privavit, ac è Regijs copijs, ne alios inficeret, relegari iuſsit. Oldecaſtell tam ignominioſa miſsione à Regia militia eiectus, plenus ira, atque vindictæ impatiens in Oppidum Cobham ſe recepit, ubi conſociatis cum Rogerio Actono conflandæ rebellionis conſilijs immane facinus quamprimum ac ſine mora perficiendum ſtatuere.

His igitur Ductoribus, collecta *W*itclefiſtarum aliorumque facinoroſorum hominum manus Natali Salvatoris noſtri die anni 1417. furiali quoddam impetu Londinum concurrit, quod *W*aldenſis tomo nuper citato pag. 479. his verbis innuit: *Sicut in quoddam Natali Dominico plane monſtravit tota ſimul fœderata in necem Domini Regis cognatio Lolardorum.* Rex inopinato nuntio minime territus ad arma conclamari iuſsit,

iuſsit, illicoque Prætoriano milite comitante, ſumptis armis, magno Nobilium, ac popularium numero ſequente, obviam proficiſcitur, appoſitoque loco haud longius ab Urbe Rebellium turbam expectaturus, ſubſiſtit. Sed vix de adventu Regis fama pervaſerat, quòd repentinus timor perditam illam colluviem inceſsit, ortaque ſubito tumultu confuſione, diſsiectis agminibus, Ducibusque relictis fugam arripuit. Rex monitus, fugientes quàm celerrime inſequitur. Horum permulti cæſi obtruncatique; alij comprehenſi terribili exemplo igne perduntur; Capti quoque ambo Ductores Londinum tracti in Turri Londinenſi ſeparatis carceribus traduntur. Verùm Oldecaſtell ſuorum induſtria, ne generis nobilitas infami ſupplicio deturparetur, corruptis Cuſtodibus, ea ipſa nocte aufugit. Rex Oldecaſtell fuga eluſus, abſque mora ſocium Actonum ultimo ſupplicio affici imperat, deinde publico Decreto edixit: *Ut ſi uſpiam deinceps reperirentur, qui eam ſequerentur Sectam perduelliones haberentur, quò citra omnem lenitatem ſeverius, ac maturius de illis ſupplicium ſumeretur*; quod alijs verbis profert Waldenſis pag. 282. *Ut ubique per Regnum Vitclefiſta probatus, ut Reus puniretur de crimine læſæ Maieſtatis*. Et in Præfatione ad Martinum V. Summum Pontificem versùs finem: *Nec mora longa proceſſit, quin ſtatutum publicum per omne Regni Concilium in publico emanavit edicto, quòd omnes Witclefiſtæ ſicut Dei proditores eſſent, ſic proditores Regis proſcriptis bonis cenſerentur, & Regni. Duplici pœna dandi, incendio propter Deum, ſuſpendio propter Regem; factumque eſt ita. Stat res iure perenni*. Cæterum Oldecaſtell carcere iam elapſo vel ex Anglia recedere, ſive in aliquo abditiori loco latère, ne quidem in cogitationem ceciderat, quin potius ampliſsima

ma cognatione, plurimiſque amicitijs confiſus nec inſenſum Regem, nec periculum tam minaci Edicto imminens vel curabat, vel metuebat; Immo tempus magis idoneum peiora in Regem moliturus expetiſcebat. At Henricus, qui firmiori animo peſtiferam Sectam Deo Principique rebellem è Regno exterminandam propoſuerat, gravioribus impetijs Provinciarum Rectoribus, alijſque per Regnum Miniſtris præceperat, ut in perſequendis *W*itcleſiſtis quàm diligentiſsime incumberent, captoſque nulla perſonarum habita ratione pœnis in promulgato iam Edicto contentis ſeveriter ſubijcerent. Ab hac porro Edicti promulgatione ne quidem annus præterierat, quòd Oldecaſtell de repente iterum captus Londinum tanquam Lolardicæ rebellionis Author è veſtigio pertrahitur, ubi firmiori Cuſtodiæ traditus haud multo poſt ipſi denunciatur, ſore iam extremis ſupplicijs ineluctabili ſententia deſtinatum, nec ullam vitæ ſpem eſſe reliquam; Vellet propterea animæ ſaluti hoc ultimo ſaltem vitæ momento conſulere, ac Sanctæ Eccleſiæ eiuratis hæreſibus reconciliari. Reſpuit homo pervicax ſalutaria monita, nec ullo modo aut ratione à falſis ſui *W*itclefi opinionibus divelli potuit; Quare è carcere eductus ad ſupplicij locum trahitur, ubi vinculis ferreis palo alligatus admoto igne, vitam accerbiſsima morte currente anno 1418. finivit, à qua nec ſangvinis claritas, nec ſingularis in re militari peritia, nec denique Procerum Cognatorum potentia ipſum eripere vel liberare valuerunt.

Interea non minori ſeveritate ubique locorum Regis iuſſa exequebantur, nam omnes qui *W*itcleſica labe infecti deprehenſi erant ſine mora ad ſupplicium rapiebantur, alij ſuſpendio necati mox inde combuſti; alij vivicomburio torrefacti corporis animæque interitu hæreticalis pervicaciæ pœnas luere cogebantur. Ex quo

factum

factum eſt, ut aſsiduo huius pyrijpharmaci uſu citius quàm putabatur totum Regnum à peſtifera *W*itclefi ſanie fuerit expurgatum; Quod noſter *W*aldenſis loco mox citato redarguens accuſantes Angliam, talem fidei corruptorem, nempe *W*itclefum, protuliſse, his verbis confirmat: *Multi eorum deprehenſi ignibus conſumpti ſunt, contriti ſunt, & malignantium habita opportunitate, relicto Regno deceſserunt; Si qua alia gens huius faſcinata criminibus colligere dignum ducat paleas, quas authoritate Sanctorum Antiſtitum cum Clero Regni, & principali terrore diſcuſsimus, quis imputet Anglicis? Mare noſtrum eijcit mortuos noſtros, & terra noſtra dedit fructum centuplum.* Gentem Bohemicam intelligit, quæ *W*itclefi Hæreſim iam Anglia expulſam aperto ſinu receperat, quod poſtmodum clare exprimit tom. 2. doctrin. 10. pag. 7. ita ſcribens: *At quis non dolore torquebitur audiens, preclarum illud Regnum Bohemiæ iam detentum, & totum pene per Witclefiſtas eſſe poſſeſſum? ubi, ut fertur vulgariter, quidam magnus Archiepiſcopus novus eorum Tyro, & fortis dogmatiſta contra Chriſti Eccleſiam, quam tueri deberet, decertat?* Magnus iſte Archiepiſcopus ita à *W*aldenſe appellatus, fuit Conradus quidam natione *W*eſtphalus Bohemici Regni ſubcamerarius, ac Epiſcopus Olumucenſis in Moravia; qui *W*enceslai favore, eò quòd præſtigiatoriæ, magicæque artis, quibus Rex maxime delectabatur, peritiſſimus erat, empto Archiepiſcopatu Pragenſi ab Albico Præſule impenſe ſordido, illam Sedem peſsimis artibus obtinuerat. In Hæreſim lapſus ad Huſsitarum partes acceſsit, & veluti verus Pontifex & Bohemiæ Patriarcha Concilium celebravit in quo articulos quoſdam fide credendos præſcripſit, nempe, *de Verbo*

Dei

Dei libere ab omnibus docendo: de communione Laicis ſub utraque ſpecie miniſtranda: de opibus & dominio temporali ab Eccleſia auferendis, & Eccleſiaſticis ad priſtinam paupertatem redigendis. Quo peracto continuis conſcientiæ ſtimulis exagitatus, haud longe poſt miſerabili morte in Caſtris Huſsitarum vitam amiſit.

Ita igitur Anglicanorum Præſulum, uti dicebamus, vigilantia, optimique Regis perpetua in perſequendis *W*itclefiſtis conſtantia, fugata iam totoque Regno exterminata Hæreſis, à qua illibatum inde perſtitit, donec Henricus octavus Bolenæ amoribus iretitus, ut infra dicemus, peiori lue fœdaverit, miſeram Bohemiam ingreſsa Huſsijque opinionibus fæcundata tot impietatis monſtra peperit, quot protulit factiones Taboritarum, Orphanorum, Orebitarum, Calixtinorum, ac Picardorum, quæ inteſtinis odijs quamvis diſsidentes, attamen cum in Eccleſiam quidquam agendum eſset, poſthabita ſimultate tam barbare in Catholicos coniunctis viribus deſæviebant, ut nulla alia ratione quàm ferro, igne, ac ſangvine ſuorum dogmatum deliramenta ſtabilire conarentur. Quas impietates loco mox citato ita deplorat *W*aldenſis: *Ibi in odium Euchariſtiæ panis grandis, ut videatur, levatur in palo, ita ut nihil deſit, quin ſic contra Corpus Chriſti in Sacramento, ſicut illi contra idem Corpus eius in ligno inſultent, & dicant*, ſi filius Dei eſt, deſcendat nunc, & credimus ei. *Ibi quot Cathedrales & alias locales Eccleſias deiecerunt? Quot ſanctos diris ſupplicijs peremerunt? Ita quod ſævitiam Paganorum excedat referre, quod circiter duodecim claros Doctores quoſdam Religioſos, quoſdam Schematis Clericalis in unam fornacem calcis ardentis trudentes gloriosos Martyres flammis coctilibus*

ſuffocaverunt; *Quot item putas Chriſtianos milites iugulabant in prælijs? Quot Proceres? Quot pios de populo? ita ut non vacaret domus in Oppido, non ſtrata magna, aut via vicinalis in Regno à cadavere, funeſto enſe, proſtrato*. Præter Bohemiam viciniores quoque Regiones Moraviam, Sileſiam, Luſatiam, atque Miſniam pari crudelitate tandiu afflixerunt, quousque continuis Catholicorum ſtragibus avita Religione ſpoliatas ad ultimum miſeriarum perduxerint.

Porro *W*itcleſica Hæreſis Bohemico ſangvine temulenta, nondum tamen, quamquam per integrum ſæculum tanta copia è Catholicorum venis exſuxiſset, ſatiata, cruentiorem Tragædiam, alias Germaniæ Provincias extemplo ſubingreſsa, excitavit. *W*ittembergæ, quæ Urbs eſt ad Albim fluvium ac ſuperioris Saxoniç Caput ſcenam aperuit, Huſsijque depoſita larva, Luthereo ſuccinta cothurno comparuit; Etenim à Martino Luthero Auguſtiniani Inſtituti deſertore manu ſibi porrecta, ſuaſore ac impulſore iniquis de cauſis Ioanne Staupitio eiusdem Congregationis Generali Vicario, ac Friderico tertio Principe Electore connivente utramque Saxoniam ſuis vexillis adiunxit; Et quamvis Lutherus proprij nominis ambitione Huſsita appellari dedignaretur, attamen Bohemis operam promiſit, datisque literis hortatus eſt, *ut Cœnam Domini retineant integram, ut Huſsij Pragenſis memoriam ſervent inviolatam. Sed licèt tota Bohemia deficiat, ſe tamen Huſsij doctrinam eſſe celebraturum ad omnem poſteritatem*; Plenoque ore ſe magnum illum novi Evangelij Præconem à præcurſore Huſsio præmonſtratum his verbis iactabat: *Ego Doctor Martinus Lutherus indignus Domini noſtri Ieſu Chriſti Evangeliſta dico, Sanctum Ioannem Huſſium de me loqutum eſſe quando dixit: Vos iam aſſabitis*

Anſerem

Anſerem, ſed poſt centum annos Cygnus veniet, quem non aſſabitis. Non Cygnus ſed Corvus qui infauſto ſuo crocitatu Chriſtianum Orbem funeſtavit.

Pacto igitur cum Bohemis fœdere ad *W*itclefi Huſsijque errores ſtabiliendos ſe convertit, primùmque ſacris Indulgentijs indicto bello huiuſmodi maledictis eas impetebat: *Dico, Indulgentias eſſe impiiſſimas ſceleratiſsimorum Pontificum fraudes & impoſturas, quibus & res & animas fidelium fallunt, & perdunt;* Quæ eſt *W*itclefi Hæreſis quadrageſima ſecunda inter damnatas à Concilio Conſtantienſi Ses. 8 ſub his verbis: *Fatuum eſt credere Indulgentijs Papæ & Epiſcoporum*, ut notat Bellarminus lib. 1. de Indulg. cap. 1. Reliquos quoque Fidei articulos non minori impietate perſtringens, populos ad novum Evangelium amplectendum, Divinam indignationem renuentibus minitando, compellebat, uſus præcipue perniciofis illis verbis, quæ è Suggeſtis aſſidue intonabat: *Oculos tuos ò Germania ad me converte, ad quam ſalvandam ego miſsus ſum. Accede ad me cariſſima mea Patria & aperi aures Evangelio, quod hactenus nunquam audiviſti*. Quia verò *turbas & ſeditiones excitare ſui Evangelij naturam eſſe* aiebat, ut ſcribit Eraſmus in Epiſtola ad Belgas, duos Libros, unum de Sæculari poteſtate, alterum, quem Captivitatis Babylonicæ Prodromum inſcripſerat, evulgavit; In quibus, ut citius Hæreſi viam aperiret, docebat: *Inter Chriſtianos nullam eſſe ſuperioritatem, nullam poteſtatem, nullum Magiſtratum: Nullam ſpem eſſe ſalutis, quandiu ſecundùm leges humanas ſeu civiles Reſpublica adminiſtraretur. Rogandum eſſe Deum, ne Subditi Magiſtratibus obediant*. Quæ impia effata, illam Ruſticorum in Principes ac Optimates rebellionem pepererunt, quæ

à Thuringiæ & Saxoniæ finibus ad Alpes uſque progrediens in ſolis Bambergenſi, & Herbipolenſi Franconiæ Diœceſibus centum triginta tres Principum, aliorumque Nobilium Arces incendio conſumpſit, ut recenſet Ræmundus in ſuo Catalogo. Una omnium vox erat: *Vivat Evangelium: Nos congregati ſumus, ut Ieſu Chriſti nomen libere profiteamur, eiuſque Divinam iuſtitiam conſervemus*. Hæ fuerunt novi huius Evangelij primitiæ, quod ut uberiores fructus produceret, duobus alijs editis libris repaſtinavit Lutherus, uno nempe *de Captivitate Babylonica Eccleſiæ*, altero *de ſuorum articulorum Aſſertione*, quibus per omnium manus citiſsime pervolantibus tota pene Germania breviſsimo temporis ſpatio à Catholica Religione deſcivit. Verùm quia *W*itcleſica Hæreſis iam præcedenti ſæculo Solum vertere ab Henrico V. coacta, Patriam reviſere iterumque Lutheri nomine larvata contaminare naturali quoddam impetu ferebatur, ijs Lutheri libris quaſi Navigio evecta in Angliam remeavit, quæ tamen zelo optimi tunc Regis Henrici octavi impedita, pedem refigere non valuit; Equidem compoſito Libello, Lutheri illum de Captivitate Babylonica ſolidiſsimis rationibus confutavit: Quòd & alterius, nempe de ſuorum articulorum Aſſertione, falſitates ac mendacia detexit penitusque convulſit doctiſsimus Ioannes Fiſcherus Roffenſis Epiſcopus, ut ipſemet ſcribit in Præfatione eiusdem Confutationis pag. 5. *Id quod fecit (quantum ad priorem libellum ſpectat) Rex noſter illuſtriſſimus, Rex, inquam, Angliæ Henricus octavus, is qui dudum gladio Romanam protexit Eccleſiam, idem iam calamo totius Eccleſiæ fidem tutatus eſt orthodoxam, atque id tam ſplendide, tamque copioſe fecit, ut neſcias quod primum in eo mireris, ingenium, eru-*

ditionem,

ditionem, an facundiam? Ut de cæteris (ne captare gratiam eius videar) ſileam penitus. Neque ſolùm oppugnavit, verùm etiam expugnavit, evicit, evertit funditus. Nos igitur poſteriorem ipſius Martini libellum Deo, quòd confidimus, auſpice, ſuſcepimus convellendum. Quod præclare abſolvit, ut cuilibet ſanctiſsimi huius Præſulis libros legenti patere poteſt.

Leo X. id temporis Romanus Pontifex Henrici pietatem ob profligatam calamo Hæreſim gratulatus, per Breve ſuum Apoſtolicum ſub idibus Octobris anni 1521. honorificum *Defenſoris Fidei* titulum ipſi, ſuiſque Poſteris tanquam perpetuum, ac immortale ſui Nominis monumentum relinquendum impertivit. Qui quidem titulus haud magis, vel maxime lætioribus plauſibus per Angliam perſonuit, quàm, cum tranſeuntes per Urbem Britanni Orbis Carolus Quintus Imperator, & idem Henricus octavo idus Iunij anni 1523. à Civibus è Spectaculis ſalutarentur.

Carolus Henricus vivat *Defenſor* uterque;
Henricus *Fidei*, Carolus *Eccleſiæ*.

Henrici igitur Liber ubique evulgatus varijſque lingvis impreſsus, magnam ſpem Orbi Catholico attulerat, Hæreſim tanto *Fidei Defenſore* penitus collapſuram; ſed haud diu pia mens, domusque Dei Zelus Henrico permanſit; Nam Annæ Bolenæ amoribus captus, repudiata Catharina Auſtriaca Uxore Sanctiſsima inceſtis nuptijs ſacros thalamos turpiſsime fœdavit, quibus obſtinate adhærens, ut eas aliqua Eccleſiaſtica authoritate firmaret, poſthabita Divina lege, Summique Pontificis monitis, ſe Anglicanæ Eccleſiæ *Supremum Caput* eſse, & appellari voluerit. Immo in omnes præfer-

præſertim Eccleſiaſtici Ordinis, qui ſuo huic Primatui obniterentur, morte, carceribus, exilio, Monaſteriorum, aliorumque Bonorum ſpoliatione tanta vi & crudelitate deſævire cæpit, 'ut momento de *Fidei Defenſore* immanis Eccleſiæ Perſequtor evaſerit; Equidem ſola Fidei Catholicæ cauſa unus Cardinalis, nempe Roffenſis Epiſcopus, Abbates novem, Religioſi Sacerdotes ſeptuaginta ſex, Laici ſex atrociſsimo mortis genere eiusdem iuſsu necati numerantur.

Cæterùm Hæreſis Henrici Schiſmate, magiſque Bolenæ auſpicijs, quæ Lutheranæ Religioni impenſe addicta erat, tacito inceſsu totam pene Aulam occupaverat, quam tamen nec Bolena ipſa, nec Aulicorum quiſpiam, qui creſcenti eiusdem fortunæ blandiebantur palam profiteri audebant, eò quòd Henricus Lutheranam Sectam, multoque magis Zuinglianam eodem ſemine obſtretricante Hulderico Zuinglio Canonico Conſtantienſi recens partam, maxime oderat, ſolamque Eccleſiam ſuo cerebro noviter inſtitutam ab omnibus amplecti, veramque fateri volebat; Quod continuatis in Recuſantes ſupplicijs, per annos decem & ſeptem, quibus repudiata Uxore ac Matre Catholica Eccleſia; vixit, pertinaciſſime præſtitit.

Cap.

Cap. XVII,

Eduardus Seimerus Regis Tutor & Angliæ Propapa Zuingliana Hæreſi Aulam corrumpit. Catholicis concionari prohibet, Hæreticis permittit. Academias exactis Catholicis, Hæreticis implet. Convocato Parlamento, contra Catholicos ſancita Thomæ Cranmero Cantuarienſi Archiepiſcopo exequenda demandantur. Cranmerus primus in Anglia Uxorem ducit; Seimerus accuſante Dudlæo ſecuri percutitur. Dudlæus Regem veneno inficit. Ioanna Graia Dudlæi filij Uxor, Regina proclamatur, Edictum contra Mariam, & Elizabetham publicat. Maria in Oppido Framlingham Reginam ſe promulgat, Dudlæum fugat, captum vltimo ſupplicio damnat. Philippo Hiſpaniarum Regi nubit, Catholicam Religionem reſtituit. Cranmerus aliĳque Hæretici comburuntur. Cardinalis Polus eodem die, quo Maria, moritur.

INter omnes Hæreſes Witclefico cerebro prognatas, quæ in Angliam Henriciani Schismatis occaſione ſub diverſis nominibus confluxerant, principem locum Zuingliana

gliana obtinuit; Mortuo enim Henrico, Filioque Eduardo nonum tunc ætatis annum agente in Regem denunciato, Eduardus Seimerus eiusdem Avunculus quindecim alijs Proceribus ad tutelam Filij Patris teſtamento deſignatis propria authoritate excluſis, ipſe ſolus Tutor, Prorex, Propapa, Regnique Protector factus non ſolùm ipſi viam ad ſecretiora Aulæ penetralia liberiori ingreſſu aperuit, ſed Regem ipſum eadem imbuendum Richardo Coxo Uxorato Sacerdoti, & Ioanni Checo Laico perditiſsimis Præceptoribus tradidit; A quibus Adoleſcentuli ingenio Zuingli commentis peſsime corrupto, facile fuit totam deinceps Aulam ad ipſius exemplum eodem veneno inficere.

Ut autem quemadmodum Aulam, totum quoque Regnum novus iſte Angliæ Propapa Hæreſi ſubderet, Epiſcopos, Parochos, cæterosque Religioſos nomine Regis concionum habendarum poteſtate privavit, facultate interim ad tale munus conceſsa Lutheranæ ac Zuinglianæ Sectæ hominibus Hugoni Latimero, Miloni Coverdallo, Ioanni Hoppero, alijsque non paucis, qui ex Germania & Helvetia à Catholica Religione Apoſtatæ Londinum convenerant. Deinde ad labefactandam ſimiliter Iuventutem, quæ ex totius Regni partibus in Oxononienſi, vel Cantabrigenſi Academijs literis operam dabat, Catholicos Profeſsores, *Regij Viſitatoris* titulo, è Cathedris eiecit, ſimulque deturbatis utriusque Academiæ Moderatoribus, tres præ cæteris inſignes Apoſtatas, nempe Petrum Martyrem Vermilium Florentinum Feſulani Lateranenſium Cœnobij olim Alumnum, Bernardinum Ochinum Senenſem Capucinum excucullatum, & Martinum Bucerum Argentoratenſem è Dominicanorum Familia transfugam, quos Argentorato Londinum evocaverat, in eorum locum ſubrogavit, Canonicalium Præbendarum novis redditibus etiam aucto ſtipendio.

Quibus

Quibus peractis, convocato Londini Parlamento pridie ſcilicet nonas Novembris anni 1547. non ſolùm ea omnia ad Seimeri voluntatem approbata fuere, ſed amplius ſancitum, ut omnium Eccleſiarum, Altarium, & Sodalitatum emolumenta, nempe annui cenſus, dotationes, vel oblationes, quæ à Maioribus ad quodvis piorum operum genus, præcipue ad Defunctorum animas ſublevandas inſtituta, Regio fiſco cederent. Vt Archiepiſcopi, Epiſcopi, Presbyteri alio omnino Ritu quàm Catholico initiarentur: Ut Imagines & Cruces ubique tollerentur, & in locum ipſarum Regis inſignia ponerentur: Ut Sacroſanctum Miſsæ Sacrificium abrogaretur, & Euchariſtiæ utraque ſpecies cuilibet ſuæ Sectæ participanti neceſsario traderetur: Denique ſacra Officia vulgari lingua recitarentur. Quæ ut citius toti Regno noteſcerent, Thomæ Cranmero Cantuarienſi Archiepiſcopo per literas Regias imperatum, ut illico ab ipſo cæterisque Epiſcopis per omnes Diœceſes exequtioni mandarentur. Cranmerus nullius Religionis homo, qui Seimeri nutu, arbitrioque gubernabatur, accepto Regio mandato abſque mora à Coepiſcopis omnia exequi iubet datis literis ſub hac forma.

Thomas permiſsione Divina Cantuarienſis Archiepiſcopus per Illuſtriſsimum in Chriſto Principem Eduardum Regem Sextum ſupremum in terris *Caput* Eccleſiæ Anglicanæ & Hibernicæ ſufficienter & legitime authorizatus &c. Tibi Edmundo Londinenſi Epiſcopo, & omnibus Fratribus Coepiſcopis vice & nomine Regiæ Maieſtatis, quibus in hac parte fungimur, mandamus, ut Imagines ex Eccleſijs cuiuſcunque Diœceſis tollantur; Ut privatæ Miſsæ prohibeantur &c. Quibus impijs Cranmeri mandatis cum Edmundus Bonerus Epiſcopus Londinenſis, Stephanus Gardinerus *W*intonienſis, Cuthbertus Toſtallus Dunelmenſis, & Nicolaus Hethus *W*i-

gornienſis aperte valideque obſtitiſsent, Seimerus ab eorum Sedibus eiectos, bonisque omnibus ſpoliatos per ſummam contumeliam in carcerem rapi iuſsit, quorum caſu, cæteri fortaſſe timidiores cauſam Dei deſerentes ſacras Infulas infami Hæreſis iugo ſubmiſere.

Interim Cranmerus ut Seimero in profliganda Catholica Religione impenſius obſequeretur, Catechismum varijs erroribus; praviſque doctrinis refertiſsimum edidit, quem Eduardo tanquam ſupremo Eccleſiæ *Capiti* dicatum, ad omnes Eccleſias tranſmiſit, Parochis præcipiens, eo uno pro inſtruendis in nova Religione populis tantummodo uterentur; Verùm quia Cœlibatum, cui iuratus hoſtis erat, è toto Clero eliminatum percupiebat, quod nunquam ſub Henrico auſus, exemplo pluſquam deteſtabili ipſe primus in Anglia ſacrilegis nuptijs tunc demum violavit; etenim fœminam, qua domi occulte, foraſque cum prodiret viminea quaddam capſa ad id affabre facta incluſam ſecum circumferebat, ad explendam libidinem utebatur, ſummo Archiepiſcopalis dignitatis dedecore, ſuique perpetua infamia in Uxorem publice duxit; Cuius exemplum paulò poſt Archiepiscopus Eboracenſis, Epiſcopus Ceſtrenſis & Sadorenſis extrema quamvis ætate, ſeptuageſimum namque annum attigerant, effreno impetu ſequti ſunt; Eccleſiarum quoque Decani, Parochi, Canonici quamplurimi, Monachi cuiuſcunque Inſtituti diſſoluti Apoſtatæ ad inceſtuoſa hæc Connubia convolantes Sacerdotalem continentiam turpiſsime fœdarunt.

Hiſce igitur fundamentis firmata Hæreſi, Seimerus ad ſummum potentiæ apicem pervenit, omnia enim tam civilia quàm Eccleſiastica pro lubitu adminiſtrabat, adeo abſolutum imperium exercebat, ut Rex ipſe Adoleſcentulus haud ipſi parere, pertimeſceret crudelitatem,

delitatem, cui natura deditus nec proprio ſangvini parcebat, Uxoris ſiquidem ambitione actus, quæ præcedentiæ honorem Catharinæ Parræ vltimæ Regis Henrici Uxori, quam eo defuncto eius frater Thomas Seimerus Regiæ Claſsi Præfectus in Uxorem duxerat, cedere minime patiens, eundem, perduellionis inſtructa calumnia, Carnificis manu è medio ſuſtulit. Verùm Divina ultio Anglicani huius Propapæ tyrannicam impietatem haud longius procedere permiſit; Equidem de Republica male geſta poſtulatus, in Cuſtodiam Actore Ioanne Dudlęo Varvicenſi Comite ſibi infenſiſsimo, traditur, qui poſt quatuor Menſes ſimulata pace cum Dudlæo, ſimulque ſubdola ſubmiſsione Protectoris nomine abdicato, è carcete exivit. Depreſsa Seimeri potentia momento crevit Dudlæi authoritas, qua opportune uſus, Seimerum, quem ficte reconciliatum metuebat, omnino perdidit, etenim ipſomet accuſante, quod Domum ſuam occulte ingreſſus in lecto ſemet confodere tentaſſet, de perfidia damnatus, ultimo ſupplicio ad decimum cal. Februarij anni 1552. afficitur ſui Propapatus quinquennio nondum exacto. Ita perijt Eduardus Seimerus Somerſeti Dux, nihil poſteris relinquens, quàm de everſa Catholica Religione infamem memoriam.

Sublato è vivis Seimero, Dudlæus Ducatus Northumbriæ donatus, Catholicis, quibus Seimeri oppreſsione certam reſtituendæ Catholicæ Religionis ſpem dederat, relictis, ad Hæreticos fovendos ſe convertit, quorum auxilio rerum potitus, ſimulque Principis fauore ad primas Aulæ dignitates evectus, de occupando Regno ac in familiam transferendo cogitare cæpit; Quod ut tutius ac ſine tumultu preſtaret, Regem temporario veneno inficit, deinde Mariam Eduardi Sororem Henrici & Catharinæ Auſtriacæ Filiam legitimam hæredem, ut in

poteſtatem haberet, Londinum nomine Regis venire iubet, quæ tamen Urbi iam propinqua de Dudlęi inſidijs ſubmonita quàm celerrime ad Arcem *Framlinghami* in Comitatu Suffolcienſi ſe recepit.

Interim Eduardus Rex lenta veneni tabe conſumptus pridie nonas Iulij anno 1553, ætatis decimo ſexto, Regni verò ſeptimo, Grenovici, quod eſt Oppidum ædificijs, Regumque delicijs celeberrimum, vitam finivit. Dudlæus cum Eduardi mortem occultare diu nequiviſset, nullo moræ interiectu, Arcem Londinenſem magno Aſseclarum comitatu ingreditur, qua, veteri milite dimiſso, novo ſuorum præſidio munita, Prætorem Londinenſem, Senatores præcipuos, aliosque ex Nobilitate quamplurimos in verba Ioannæ Graiæ Suffolcienſis Ducis Filiæ primogenitæ, quam paulò ante Glifordus Dudlæi Filius quartogenitus potiundi Regni ſpe in Uxorem duxerat, iurare coegit, ſumpto hoc prętextu, quòd Maria divortio Henrici Patris, illicito Matrimonio nata ab omni iure Regnandi iam excidiſset; E' contra, Ioannæ eiusdem Henrici legitimæ Pronepti in Regnum ſucceſsio, ac Coronæ hæreditas iure deberetur. Hinc trium Regnorum Regina per Regios Præcones ubique proclamata, per Thameſim regali pompa devehitur, ac in Arcem Londinenſem magno tormentorum fragore Hæreticorum acclamationibus miſto excipitur. Paucos poſt dies [*nemo enim legitimus Rex apud Anglos habetur, qui non dies aliquos in eadem Arce pacifice ſe continuerit*] Edictum de inhabilitate Mariæ & Eliſabethæ ad Regnum publicavit, quòd ex Ræmundo excripſimus ſub tali forma

Ioanna

Ioanna Dei gratia Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ
Regina, fidei in terris Defenſatrix, ſupremum
Anglicanæ & Hibernicæ Eccleſiæ ſub Chri-
ſto *Caput*, omnibus & ſingulis noſtris
bene amatis & fidelibus ſubditis
ſalutem,

Quandoquidem Eduardus ſextus cognatus noſter cariſsimus (cuius animæ Deus ſit propitius) patentibus literis anno Regni ipſius ſeptimo, die 21 Quintilis, in præſentia & cum conſenſu præcipuorum Conſiliariorum, Iudicum, & aliorum gravium & prudentiſsimorum Virorum (quod id ad Regni emolumentum & ſecuritatem facere videretur) ſcriptis Regis ipſius manu ſubſignatis, & magno ſigillo confirmatis, declaravit, vi Actus cuiusdam & Diplomatis ab Henrico octavo Progenitore noſtro & magno Patruo fœlicis memoriæ ita conſtitutum atque ordinatum eſse, ut Eduardo Filio ſine hæredibus defuncto, Regni huius Corona, & Imperium ad Mariam natu maiorem Filiam, hac verò itidem ſine liberis decedente, ad ſecundam Filiam Eliſabetham eiusque legitimos hæredes, ijs conditionibus quæ à dicto Rege Henrico ad limitandam ſucceſſionem tum fuerunt appoſitæ, devolveretur: At verò poſtea prædictæ Maria & Eliſabetha illegitimæ declaratæ ſint, utpote illa quidem ex Catharina Auſtriaca, hæc ex Anna Bolena progenitæ, quarum utriusque cum Henrico Rege matrimonium, & secundùm Divinum verbum, & Eccleſiaſticas leges interpoſito divortio, invalidum & nullum declaratum, & utrumque illud divortium Parlamenti authoritate, ſpecialiter verò vigeſimo ſecundo anno Regni eiusdem Henrici, approbatum & confirmatum fuit, ac poſtea ratum, & firmum manſit:

ſit: Eamque ob cauſam prædictæ Maria & Eliſabetha manifeſto iure ad talem hæreditatem adeundam, & huius Regni Coronam, Imperium, Honores, Dominia &c. accipienda inhabiles ſint & incapaces &c.

Maria interea de omnibus quæ contra ipſam Londini acta erant, ac dudum agebantur, facta certior, ope & conſilio Comitum Derbienſis, Haſtingiæ, ac Suſſexiæ, tubarum ſonitu ſe Angliæ Reginam promulgavit; Quo facto tanta Nobilium populique multitudo ad ipſam momento confluxit, ut minus quàm decem dierum ſpatio, triginta armatorum millibus ſe ſtipatam viderit. Quod ut Dudlæo perlatum, quàm celerrime collecto milite obviam ivit, ſed à ſuis deſertus Cantabrigiam fuga compulſus, animo fractus, Mariam veram ac legitimam Reginam conclamat, depoſitisque armis Magiſtratui ſe dedit. Quinto poſt die Londinum captivus veluti in triumphum à Maria ducitur, ubi tanquam proditor & læſæ Maieſtatis Reus condemnatus, capitis ſupplicio undecimo cal. Septembris fuit affectus. Hic ubi in Pegma aſcendit, ad ſpectatores converſus hæc dixit: *Vos iterum atque iterum rogo, ut teſtes mihi eſſe velitis me in Catholica Religione extremum diem clauſiſſe, nec ob aliam cauſam damnabilem Calvini Sectam me ſequtum, quàm, quòd eius ope ſupremam in Regno authoritatem me facile acquiſiturum ſperarem*. Eadem cauſa eodem ſupplicio plexi fuere Andreas Dudlæi frater, Ioannes Gattus Prætorianorum ſub Eduardo Præfectus, & Thomas Palmerius Eques auratus. Dudlæi verò filijs eidem pœnæ obnoxijs Mariæ clementia parcitum, excepto Gilfordo, quem paulò poſt nova molientem unà cum Ioanna Uxore, ac Suffolcio Socero ſecuri percuti iuſſit.

Maria igitur parta ſine prelio victoria Rerumque potita, in Arcem Londinenſem more Maiorum triumphans ingreditur

greditur, ſtatimque ſuperbum ac profanum Eccleſiaſtici *Primatus* titulum abdicatum, ubicunque à Prædeceſſoribus aut ſcriptum, aut ſcalptum, eradi ac tolli mandat. Edmundum Londinenſem aliosque Epiſcopos proprijs Sedibus, expulſis Hæreticis, reſtituit, aliosque omnes Catholicos carcere detentos priſtina libertate donavit; Ut autem Religionem Catholicam firmiùs ac omnino ſtabiliret, Philippo II. Hiſpaniarum Regi Caroli V. Imperatoris Filio nupſit, cuius potentiſſimi Principis auxilijs, ſimulque opera doctiſſimi Cardinalis Reginaldi Poli, quem ipſius rogatu Iulius tertius ſummus Pontifex de latere Legatum in Angliam miſerat, totum Regnum ad avitam Religionem, Romanæque Eccleſiæ obedientiam reduxit. Thomam Cranmerum Cantuarienſem Archiepiſcopum inſignem Apoſtatam, qui contra Catharinam Matrem divortij ſententiam iniquiſſime ferendo, Anglicani Schiſmatis prima atque præcipua cauſa fuerat, de relapſu ac in hæreſi pertinacia publico Eccleſiæ iudicio convictum flammis ultricibus tradendum voluit. Novus hic in Religione Proteus Londini Mariæ iuſſu in carcerem coniectus extremo ſupplicio damnatus fuit, quem tamen poſt damnationis ſententiam Oxonium deportandum imperaverat, ut illorum Doctorum rationibus ac perſuaſione ad Catholicam Eccleſiam iam moriturus rediret, qui porro evitandæ mortis ſpe facilem ſe præbens, publica confeſſione ore prius, moxque typis demandata, hæreſes quas hactenus docuerat atque defenderat revocavit ſub his verbis.

Ego Thomas Cranmerus tam Lutheri, quam Zuinglij, adeoque omnem, quæ puræ & ſanctæ contraria ſit, doctrinam reijcio & damno. Confiteor etiam unam Sanctam Catholicam Eccleſiam, extra quam ſalus nulla eſt, cuius ſupremum Caput Romanum agnoſco Pontificem

ficem tanquam Summum Sacerdotem, & Ieſu Chriſti in terris Vicarium. Credo etiam ſub panis & vini ſpeciebus in Euchariſtię Sacramento verum Chriſti Corpus contineri, & Divina virtute panem in Corpus, & vinum in Sangvinem Chriſti mutari ac tranſubſtantiari. Ad ſex reliqua quod attinet, idem de illis credo & ſentio, quod Romana credit & docet Eccleſia; Purgatorium credo locum eſſe, in quo Defunctorum Animę ad tempus expurgantur atque expiantur, eòque recte Eccleſiam pro ijs orare & Sanctorum quoque intercesſionem implorare. In ſumma, profiteor me credere omnia, quæ Catholica Romana credit & docet Eccleſia; Et quod unquam aliter crediderim ac ſenſerim ex animo doleo, ſimulque Deum precor, ut ea quę contra ipſum & Eccleſiam feci & docui, clementer mihi condonet; Eos etiam qui meo exemplo aut doctrina ſeducti ſunt, rogo atque oro per Sangvinem Ieſu Chriſti, ut ad unitatem Eccleſiæ quamprimum revertantur, atque ita omne Schisma tollatur. Denique quemadmodum Eccleſiæ Ieſu Chriſti eiusque ſupremo Capiti, ſic etiam Philippo, & Mariæ Angliæ Regibus, eorumque legibus, & ſtatutis obedientiam ſpondeo, Deumque teſtem appello, hanc confesſionem nec placendi hominibus ſpe, nec diſplicendi metu, ſed proprio motu, ac tam meæ ipſius, quàm aliorum ſalutis reſpectu à me factam.

In qua quidem confesſione, omnibus, qui ipſum in eadem conſtanter perſiſtere exhortabantur, ſe uſque ad extremum vitæ permanſurum ſancte obteſtabatur. At cum ipſi, ſibi moriendum, denunciatum fuiſſet, in deſperationem actus exclamare cæpit, ſe deceptum, ac vi coactum veram ſanctamque Lutheri ac Zuinglij doctrinam eieraſſe: *Palinodiam illam ſuam contra conſcientiam ſolo vitæ amore fecisſe, atque adeo*

tam

tam deteſtabile crimen commiſiſſe. A qua pervicaciâ cum à Doctoribus qui pro eius ſalute ipſi aſſiſtebant, nulla ratione dimoveri potuiſſet, Satanæ traditus ad ſupplicij locum perducitur, Rogoque impoſitus, dexteram quantum potuit protendens, *hæc* inquit, *nefarie peccavit, quæ recantationi meæ, & propoſita ab adverſarijs doctrina ſubſcripſit; prima ergo omnium pœnas luet*. Quibus dictis excitatus ignis blaſphemum os fumo obruens totum corpus celeri flamma conſumpſit. Eadem pœna, eodemque loco Hugo Latimerus Wigornienſis, & Nicolaus Ridlæus ſub Eduardo Londinenſis Epiſcopus, alijque minoris notę Sectarij plexi fuere. Poſt hæc Edicto ſancivit, ut Hæretici omnes ad certum diem gravisſima indicta pœna, Angliæ finibus excederent, quo promulgato ad triginta millia Regno digreſſos Scriptores tradunt; Ex quo nulli dubium erat, Hæreticorum exilijs, ac præcipuorum Sectariorum ſupplicijs, Hæreſim ipſam undiqueverſum depreſſam, omnique præſidio deſtitutam, patrium Solum iterum coactam vertere debuiſse, niſi effugium, ac fomentum in Eliſabethæ ſinu reperiſſet, quæ Wilielmi Cæcilij Eduardi Regis quondam à ſecretis, & Nicolai Baconi Iurisconſulti conſilijs depravata novam Religionem occulte fovebat, licèt palam ſummo ſtudio ſe Catholicam præberet, ne propter hæreſim à ſucceſſione Regni, defuncta Maria, excluderetur.

Interea Maria continuis curis ac varijs Reipublicæ negotijs preſsa, quinquennio quatuorque menſibus pro reſtituenda Catholica Religione laborioſiſſime conſumptis, in lethalem morbum incidit, quo invaleſcente, quintodecimo cal. Decembris nulla relicta prole, ſanctiſsime obijt. Princeps pijſsimis moribus, ac ob reſtitutam Catholicam Religionem perpetuis laudibus commendanda. Eodem die aliquas poſt horas è vita quoque

Digitized by Google

migravit Reginaldus Cardinalis Polus Archiepiſcopus Cantuarienſis integritate vitę ac Doctrina, magis quàm Regio ſangvine illuſtris; Eòque de Re Catholica ſumme meritus, quòd nec Principis gratia, amplisſimisque exhibitis muneribus unquam ab Henrico adduci potuit, ut divortium cum Catharina Auſtriaca, eiusque in Eccleſia Anglicana *Primatum* ſententia comprobaret, nec quòd plane mirandum, ſevitia vel crudelitate, ipſomet ſcilicet Patriæ proditore, læſæque Maieſtatis Reo declarato, Matre, Fratre, Avunculo necatis.

Cap.

Cap. XVIII.

Eliſabetha Angliæ Regina acclamatur. Stratam Hæreſim Regia manu ſublevat. Catholicam Religionem evertit. Primam in Rebus Eccleſiaſticis ac Spiritualibus poteſtatem ſibi arrogat, in eandem, propoſita iurisiurandi formula, iurare Catholicos imperat, nolentes varijs pœnarum generibus multat. Maria Stuarta Scotorum Regina in fide Catholica glorioſus exitus ſummatim deſcribitur.

DEfuncta Maria vixque ſepulcro incluſa, Elizabetha ſceptro potita puteum Apocalypticum aperuit effuſisque locuſtis, revocatis nempe Sectarijs, totum Regnum momento implevit.

Primis Regni auſpicijs, ſacram unctionem in Regum inauguratione Ritu Catholico fieri ſolitam, ad circumſtantes Fœminas Regijs veſtibus ipſam induentes converſa, his verbis irriſit: *Abite, ne fœtor huius olei vos offendat*. Epiſcopo Miſſæ Sacrificium coram peracturo præcepit, ne ſacram Hoſtiam ad adorationem elevaret, Epiſtolam, Evangelium, cæteraque omnia populari lingva recitaret. Porro Proteſtanticam ſuperſtitionem Parlamentaria authoritate reſtituere perquam cupida, Anno novo ineunte 1559. Ordinum Comitia habuit, in quibus declaratum fuit, *Elizabetham iure Divino, Civili Anglorum, & Regni Statutis, eſſe legitimam, indubitatam, & certiſſimam Angliæ Reginam, & iuſte, legitimeque è Regio ſangvine prognatam*. Idque cautum, ne amplius de ſpurijs eius Natalibus obloqui auderetur. Deinde confirmatis contra Sedem Apoſtolicam Henrici legibus, illas Eduardi Sexti pro Proteſtantibus à Maria abrogatis priſtino robori unà conſpirantes reſtituerunt. Præterea, ut omnes iureiurando obſtringerentur ad affirmandam in Elizabetha primam in Spiritualibus Poteſtatem, *Supremi* Eccleſiæ *Capitis* titulum in *Supremæ Gubernatricis* denominationem ex induſtria commutarunt, ut tali modo faciliores minusque cauti ad iuſiurandum adigerentur, ſimulque ne Calvinianis, quorum factio præ cæteris pollebat, offenſioni eſſet, quibus, Fœminæ adſcribere, quod Calvinus in Henrico Patre improbaverat, turpe atque abſurdum videbatur.

Dimiſſo Parlamento Elizabetha eiusdem Acta exequi mandat hac propoſita iuramenti forma.

Ego N. N. prorſus teſtificor, & declaro in conſcientia mea, Reginam eſſe ſolam ſupremam Gubernatricem & iſtius Regni Angliæ & aliorum omnium ſuæ Maieſtatis Dominiorum, & Regionum, non minus in omnibus

nibus Spiritualibus atque Eccleſiaſticis rebus vel cauſis, quàm Temporalibus: Et quòd nemò externus Princeps, Perſona, Prælatus, Status, vel Potentatus, aut facto aut iure habet aliquam iurisdictionem, poteſtatem, ſuperioritatem, præeminentiam vel authoritatem Eccleſiaſticam, aut ſpiritualem in hoc Regno. Ideòque plane renuncio, & repudio omnes Exterorum iurisdictiones, poteſtates, ſuperioritates atque authoritates &c.

Ex qua iurisiurandi formula manifeſtum fit, idem omnino eſſe ſupremum *Caput* Eccleſiæ, ac ſi dicas ſupremam *Gubernatricem*, cum utroque vocabulo ſumma ac prima Poteſtas in Spiritualibus deſignetur. Interim omnes Eccleſiaſtici, qui tali iuramento ſe obſtringere detrectarunt, Proventibus, Beneficijs ac Dignitatibus exuuntur, inter quos Nicolaus Hethus Archiepiſcopus Eboracenſis & Angliæ Cancellarius, Edmundus Bonerus Epiſcopus Londinenſis, Cuthbertus Tonſtallus Dunelmenſis, Thomas Thurlebeius Elienſis, Gilbertus Bournus Bathonienſis, Ioannes Chriſtophersonus Ciceſtrenſis, Ioannes Whitus Wintoniensis, Thomas Varſonus Lincolnienſis, Radulphus Bainus Lichfeldienſis, Ogolthorpus Carliolenſis, Iacobus Turbervillus Exonienſis, David Polus Petroburgenſis, Cuthbertus Scotus Ceſtrenſis, Richardus Pateus Wigornienſis, & Thomas Goldvellus Aſſaphenſis, vitam pro Catholica Eccleſia carcere vel exilio glorioſiſſimè finierunt; In quorum Sedes ſuffecti fuerunt Proteſtantes illi præcipue, quos ſub Maria in Germania exulantes, vel in Anglia latitantes Elizabetha pro formanda ſua Eccleſia in Angliam revocaverat, quam breui ſolummodo novem circiter menſium ſpatio, Fœmineo hoc Pontificatu erectam infœlix Anglia vidit; *Menſem enim integrum à Maria obitu, Romana Religio eadem, quo prius, ſtetit loco. Vi-*

ceſimo

ceſimo ſeptimo Decembris permiſſum, ut Epiſtola, Evangelia, Decalogus, Oratio Dominica, Symbolum & Litania vernacula lingva haberentur. Viceſimo ſecundo Martij, cum Ordines Regni conveniſſent, ex revocata Eduardi ſexti lege, uſus Cænæ Dominicæ ſub utraque ſpecie conceditur. Viceſimo quarto Iunij, ex authoritate legis de Uniformitate precum publicarum, & Sacramentorum adminiſtratione, *Miſſæ Sacrificium aboletur, & Liturgia in lingva Anglicana conſtabilitur. Menſe Iulio, Epiſcopis & alijs iuramentum* Supremarus *proponitur, & Auguſto, Imagines è templis emotæ, fractæ, aut combuſtę*, ut ſcribit Elizabethæ Encomiaſtes Camdenus parte prima Annalium pag. 27. ad annum 1559.

Hac Religionis mutatione conſtabilita Hæreſi, Elizabethæ prima potiorque cura fuit, eandem pertinaciſsime tueri, equidem editis contra omne genus Sacerdotum ac Catholicorum ſæviſsimis legibus, veluti Fœmina illa Apocalyptica *purpura ac lapide pretioſo circumdata aureum poculum* Hæreſum *immunditia plenum* porrigens, aut bibendum, aut moriendum erat, ſiquidem in Turri Londinenſi non ſolùm ad terrorem nutantibus incutiendum, ſed conſtantiores in Catholica fide diſcruciandos ſeptem ſuppliciorum genera parari iuſſerat, nempe: *Lacus ſive ſpelunca quędam ſubterranea viginti pedum altitudine profunda ſine lumine. Antrum arctiſſimum vix hominem erectum capiens, quod ab exigua requie Litileſium appellabant. Equleus, quo machinis quibusdam rotisque ligneis hominis membra in diverſa diſtrahebantur. Scavingeri filia ab inventore deducto nomine, conſtabat ex circulo ferreo, qui manus pedesque & caput in unum orbem compingebat. Ferreæ Chirothecę,*

thecæ, quibus manus graviſſimo cruciatu involvebantur. Ferrea brachiorum vincula. Ferrei compedes. Cuius Carnificinæ machinis, Elizabethæ in Ecclesia *Primatum* fateri nolentes, quive à Proteſtantium Religione quovis modo alios avocantes ſummo Pontifici obedientiam in Rebus Eccleſiaſticis ſuaderent, vel Hæreticorum Sacra adire recuſantes ad uſque membrorum luxationem oſſiumque fracturam prius crudeliſsime torti, veluti perduellionis læſæque Maieſtatis Rei turpiſsima inde ac atrociſsima morte afficiebantur, quorum damnationis ſententia ſub his verbis pronunciabatur.

Vimineo Crati ſupinus impoſitus ad ſupplicij locum productus, & collo in laqueum inſerto aliquandiu ad patibulum ſuſpenſus, inciſo fune ſemivivus demittatur; mox ſentienti adhuc virilia abſcindantur, inde aperto ventre inteſtina extrahantur & in ignem proiciantur. Tandem amputato capite, corpus in quatuor partes diſſecetur, eaque celebrioribus Urbis locis horribili ſpectaculo ſuſpendantur.

Quo mortis genere quinquaginta duo diverſorum Ordinum Sacerdotes, ac Laici duodecim Martyrium ſanctiſsime conſummarunt, preter duas Monialium Prioriſsas Catharinam Palmeram Sanctæ Birgittæ, & Elizabetham Cresneram Sancti Dominici, ac infinitum pene numerum omnium ordinum, ætatuum, atque ſexuum qui vel domi per carceres, vel foris per exilium extincti fuere. Quòd ſi novorum in dies tormentorum formas, vel hominum multitudinem ob Catholicam Religionem ſublatorum diſtincte ac nominatim enumerare vellemus, opus quavis Iliade maius moliendum foret.

Verum tamen Elizabethæ haud ſatis viſum fuerat, Hære-

ſim

ſim tot mactatis victimis Anglicano populo adorandam in proprium Solium evexiſſe, niſi feralem quoque Chlamidem Regio Stuartorum ſangvine purpuraſſet; etenim cum Maria Scotorum Regina rebellantibus Subditis iam captiva, è Cuſtodia in lacu Levino opera Georgij Douglaſi elapſa Elizabethæ tutelæ ſe committere ſtatuiſset, præmiſſo ad ipſam Ioanne Betorcio *cum adamante, quem in mutuę benevolentia ſymbolum ab ea prius acceperat*, ſignificavit, ſe ſpe certa auxilij in Angliam quamprimum perventuram, cui Elizabetha, odium in Emulam Regni hæredem tacito ſinu coercens, amorem & omnia Sororis ſtudia cumulatiſsime promiſit, ampliusque pollicita, *ſe ad Regni uſque limites profecturam, ac ſecum deducturam*. Quibus ad ſpem firmata Maria conſcenſo navigiolo, cum Heriſio, & Flemingo Baronibus Wirkintonæ in Cumberlandia appulit, ubi exſcenſione facta, Elizabetham de adventu certiorem fecit, quæ ſine mora Franciſco Knolles obviam miſſo acceſsum inhibuit, iuſsitque, ut Carleolum tanquam in locum tutiorem, hoc quæſito colore, ne iterum in Subditorum rebellium manus incideret, à Richardo Loudero Caſtri illius Propræfecto appoſitis Cuſtodibus deduceretur Quod ægre ferens Maria Baronem Heriſium ad Elizabetham datis literis miſit, quibus maximopere obteſtabatur, ut *vel ad colloquium admitteretur, & adiuvaretur, vel ex Anglia diſcedere ad opem aliunde implorandam bona cum venia quamprimum permitteretur, nec tanquam captiva diutius in Caſtro Carleoli detineretur, quondoquidem ſponte in Angliam venerit freta amore toties literis, nuntijs, & ſymbolis honorifice promiſſo*. Hæc tamen omnia ſurda aure neglexit Elizabetha; ſuperſtite namque Scota legitima Regni Hærede ac Catholica, ſibi ſuæque Religio-
ni

Digitized by Google

ni ruinam metuens, ipſam de medio tollere iam animo conceperat. Ne autem è manibus elaberetur, rupta fide, ſangvinisque vinculis, ac ſacro Hoſpitij iure violato, Carleolo Boltonam Baronis Scropi Caſtrum in Ducatu Lanchaſtrenſi, cuſtodia Franciſci Knolles abduci imperat; Quod cum id paulò poſt minus tutum putaret, in interiora Regni ad Whinfeldiam, poſtea ad Theuburiam Georgio Talboto Salopiæ Comiti iuſsit deportari, ſub cuius cuſtodia per quindecim annos captiva infœlix permanſit ad annum uſque 1583. qno cum de ipſius fuga, fideque Salopienſis ſuſpicio Elizabethæ incidiſset ad Fodheringham Oppidum in Northamptoniæ Comitatu deducta novis cuſtodibus Amicio Powletto, & Durgoni Drurio ſervanda committitur, à quibus per quatuor annos varijs & indignis modis vexata miſerabilem vitam ad annum uſque 1586. traduxit, quo à perfidioſiſsimis Hæreticis in Indices ab Elizabetha delegatis, iniquiſsimis calumnijs implicata, mortis ſententiam idibus octobris ſibi tandem maturatam conſtantiſsime ſubijt. Quo quidem iudicio Ordinum ſuffragijs [tunc enim Comitia agebantur] comprobata, Parlamentarij libellum ſupplicem, ut illico publicaretur, per Cancellarium Elizabethæ exhibuerunt, ſed intercedente Albaſpinæo Legato Gallico, evulgatio aliquandiu procraſtinata, ſolùm menſe Decembri publica Præconis voce primùm Londini, deinde per totum Regnum fuit promulgata; eodemque tempore per duos Regni Barones Aukurſtum, & Bealum Fodheringham miſsos extremum ſupplicium ipſi quoque Mariæ denunciatum, quæ *tantum abfuit ut animo caderet ut ſtabili vultu ſublatis in Cœlum oculis & manibus gratias Deo egerit, Et quamquam omni dignitate à Powletto cuſtode exuta, non alio, quàm miſera ex infima ſorte mulıercula, loco haberetur, animo tamen pertulit æquiſſimo.*

Dum hæc agerentur, Pomponius Bellieurus magnis itineribus Londinum pervenerat à Galliarum Rege miſsus, ut toto conatu, interpoſitis etiam Regijs precibus feralem in Mariam ſententiam impediret. Expoſuit ſumma facundia omne id, quod ad tantam rem opus erat, cui ab Elizabetha reſponſum, *Se in re tam ardua cum ſuis Conſiliarijs amplius deliberaturam*, & hac ſpe quidem tenui Legatum dimiſit. Scotorum quoque Rex Mariæ Filius de imminenti Matris periculo certior factus iteratis nuntijs ac vehementiſsimis literis non minorem operam pro ipſius ſalute adhibuit, incaſsum tamen fraude Patricij Gray, qui ad Elizabetham à Matris ſupplicio diſuadendam noviſsime à Rege miſsus, in odium Catholicæ Religionis immania illa verba MORTVA NON MORDET Elizabethæ auribus aſſidue inculcans, violata in Principem fide, Mariæ exitium acceleravit. Ex altera parte Prædicantes Miniſtri per Aulam, per Urbem ubique clamabant ſi Mariæ parcitum, actum eſse de Religione, de Regina, de Republica, quandoquidem Angliæ Regno fortaſse potita, ſine dubio Proteſtantium peſsundata Religione, Papiſmum reductura, totumque Regnum tyrannico Pontificum iugo ſubiectura. Quibus terriculamentis Elizabetha apprime uſa, ſe in Mariæ mortem, quam corde vehementer cupiebat, neceſsitate potius, quàm livore coactam videri ſtudioſiſsime curavit; Animi namque dolore, timoriſque impetu angi ſe ſimulans vel ſola deambulabat, ſine voce, ſine vultu irrequieta ſubinde ſedebat. Qua animi ficta perturbatione verbis illis AVT FER, AVT FERI, & NE FERIARE FERI ſæpe ſibi ſæpiuſque immurmuratis, Guilielmo Daviſono à ſecretis, datis literis ſua manu ſignatis, iuſsit, Regium de Mariæ ſupplicio *Mandatum* ſub magno Angliæ Sigillo ſine mora confici.

Paruit

Paruit Daviſonus, idque quibuſdam Conſiliarijs communicavit, qui aſtu Religionis in Mariam iniquiſsimi *Mandatum* cum literis ad Salopienſem, Cantij, & Derbienſem Comites per Bealum nuntium Mariæ ſemper funeſtum expedite transmittunt, data poteſtate; ut quamprimum in ipſam ex lege agerent; Qui è veſtigio Fodheringam convenientes eidem ſignificarunt, poſtridie truncato capite ſibi moriendum. Quibus illa nullo trepidationis ſigno generoſe reſpondit. *Haud putaram Reginam Sororem in meam mortem, quæ iuri veſtro ſubdita non ſum, aſſenſuram: verum cum ita viſum, mors mihi erit gratiſſima; Nec illa quidem anima ſupremis & ſempiternis gaudijs digna, cuius corpus unum Carnificis ictum perferre non poterit*. Inde Confeſsarium ſuum ſibi in hoc ultimo vitæ momento permitti petenti, denegatum fuit, pro quo Fletcherum quendam Petroburgenſis Eccleſiæ Miniſtrum ad ipſam conſolandam accedere iuſſum, indignabunda reiecit, cui Henricus Greius Cantij Comes Hæreticorum peſsimus irato vultu dixit: *Tua vita exitium erit noſtræ Religionis, ut contra tuum exitium eiusdem erit vita*. Quibus dictis unà cum alijs diſceſsit. Tum Regina famulos, famulaſque plorantes ſuaviſsimis verbis conſolata, lachrymas abſtergere iubet, & quod reliquum pretioſi habebat diſtribuit, rogans, ut Deum pro ſe deprecarentur; Mox parvo cibo, nox enim incubuerat, ſumpto, in Oratorium ſe recepit, & perſolutis precibus exiguum dormit, reliquum noctis in oratione ac Dominicæ paſſionis contemplatione nudis genibus innixa tranſigit; Ad Auroram ardentius in preces effuſa ſumma cordis contritione ſacratiſsimum Euchariſtiæ Viaticum ſuiſmet manibus accipit, ac tota in Deum defixa ſuſpirijs lachrymiſque Divinam gratiam ſupplex implorat.

Circa horam nonam Thomas Andræus Provinciæ Vicecomes Reginę cubiculum ingreſsus iubet ad ſupplicij locum deſcendere cum iam in promptu eſsent omnia. Surgit illa hilari vultu, ac infracta animi magnitudine forma ad maieſtatem compoſita prodijt capite linteo velamine obtecto, Ieſu Crucifixi eburneam Imaginem manibus geſtiens. Ita prçeunte Vicecomite *Baculum album* in Iuſtitiæ ſignum ferente cum tribus Comitibus alijsque Nobilibus ad Aulam venit, in qua Pegma funebri apparatu inſtratum duodecim pedibus quaquaverſum, altitudine duobus erectum erat, quo conſcenſo ſuæ mortis *Mandatum* alta voce à Bealo publicatur ſub hac forma.

Elizabetha per Dei gratiam Angliæ, Franciæ, & Hiberniç Regina, Fidei Defenſatrix fidelibus noſtris dilectis & cognatis Georgio Comiti Salopienſi magno Angliæ Mareſcallo Henrico Comiti, Cantij, Henrico Comiti Derbienſi ſalutem &c.

Viſa ſententia à nobis & Conſiliarijs noſtris, Nobilibus, & Iudicibus contra Mariam quondam Scotiæ Reginam Iacobi V. Scotiæ Regis filiam ac hæredem, quæ communiter Scotiæ Regina appellatur, Francorum Regis Viduam, lata & ab omnibus noſtri Regni Statibus in nuper habito Parlamento non concluſa ſolùm, ſed poſt maturam etiam deliberationem tanquam iuſta & legitima, confirmata: Viſis etiam aſſiduis ſubditorum noſtrorum precibus rogantium nos ac ſollicitantium, ut non modò ad publicationem, ſed etiam exequtionem eiusdem ſententiæ contra perſonam prædictæ Mariæ procedamus

cedamus, cum in longiori eius detentione certò & evidenter non vita ſolùm noſtra, ſed & ipſi ſubditi, eorumque poſteri, atque adeo publicus Regni ſtatus, tam quoad Evangelium & veram Chriſtianam Religionem, quàm quoad pacem ac tranquillitatem periclitentur. Poſt multas dilationes tandem dictam illam ſententiam promulgari iuſſimus, hactenus verò ab eius exequendæ dandis mandatis abſtinuimus, licèt interea à Parlamenti noſtri Statibus quotidie moneremur, omnes noſtros ſubditos tam ex Nobilitate, quàm alijs Ordinibus, pro ea, qua vitam noſtram, & qui ex ea dependet, fœlicem huius Regni ſtatum complectuntur cura, nihil magis petere atque deſiderare, quàm ut prædicta ſententia exequtioni mandetur. Quamvis autem aſſiduæ illæ flagitationes, preces & conſilia cum naturali noſtra inclinatione & benignitate vehementer pugnarent, tamen victi tandem tam ipſorum precibus, ad vitæ noſtræ ſecuritatem ſolummodo ſpectantibus, quàm publici ac privati in Regno noſtro ſtatus reſpectu, conſenſimus, ut Iuſtitiæ curſus ultra non inhiberetur. Eòque vobis, tanquam nobiliſsimis, & præcipuis Regni noſtri Membris mandamus, ut viſis his quamprimum Foderingam vos conferatis, & præſentibus Amicio Powleto Arcis Præfecto alijsque Regni noſtri Officiarijs ſæpe dictam illam ſententiam, quo vobis videbitur loco, tempore, ac modo in perſona dictæ Mariæ exequtioni mandetis: Non obſtantibus quibuſcunque legibus, aut contrarijs iuſſionibus &c. Grenovici die primo Februarij, Regni noſtri Anno XXIX.

Quo perlecto, iterum à Fletchero Miniſtro verboſa oratione de Religione tentatur, quem, ne ſibi faceſſeret negotium rogat, proteſtata *Se antiqua Catholica Romana Religione eſſe firmatam, & pro ea vitam profundere paratam*. Inſuper: *Se in ea Religione natam,*

tam, enutritam, & iam morituram. His dictis, ſanctiſsima Heroina matronali depoſita veſte Crucifixum attollens omnibus ignoſcit, pro perſequentibus rogat, ipſumque exoſculata ſe Cruce ſignans his verbis præcatur. *Ut brachia tua Chriſte in Cruce erant expanſa, ita miſericordiæ tuæ ulnis expanſis me ſuſcipe, & peccata remitte*. Deinde Virgines famulas in eiulatus effuſas Regio oſculo ſolata unà cum alijs domeſticis Cruce ſignat, ac ſubridens vale dicto ad truncum procumbit, ſæpiusque iteratis verbis *in manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*, Regias cervices nefariæ crudelitati ſubmiſit. Caput ter repetito ictu abſciditur, ſangvis argentea pelvi excipitur exclamante Fletchero Miniſtro: *Sic pereant Evangelij hoſtes*. Corpus opobalſamo delibutum Regio funere in Choro Eccleſiæ Cathedralis Petroburgi, in quo pariter Catharina Auſtriaca Henrici octavi Vxor repudiata, ſepultum, ubi hæ duæ Reginæ, ſi quæ aliæ, infœliciſsimæ corporibus ærumnarum finem, Animabus Cœleſtem requiem invenerunt.

Tali funeſto ſpectaculo vitam pro Catholica Religione glorioſiſſime finivit Sereniſſima Scotorum Regina, Galliæ Dotaria, Angliæ & Hiberniæ Hæres legitima anno 1587. ſexto idus Februarij, ætatis quadrageſimo ſexto, captivitatis decimo nono nondum expleto, inter Fœminas venuſtiſſima, prudentia animique magnitudine ſupra ſexum, eximia in Deum pietate ac in Catholica Religione conſtantiſsima. In Epitaphio quod Sepulcro fuit affixum, à quibus autem, neſcitum. Moxque odio, & invidia ſublatum, hæc legebantur.

Maria

Maria Scotorum Regina, Regis Filia, Regis Gallorum Vidua, Reginæ Angliæ Agnata, & Hæres proxima, virtutibus Regijs & animo Regio ornata, iure Regio fruſtra ſæpius implorato, barbara & tyrannica crudelitate, ornamentum noſtri Sæculi, & lumen vere Regium extingvitur, eodemque nefario Iudicio Maria Scotorum Regina morte naturali, & omnes ſuperſtites Reges plebeij facti morte civili multantur. Novum & inauditum Tumuli genus, in quo cum vivis mortui includuntur, Hic extat. Cum ſacris enim divæ Mariæ cineribus omnium Regum atque Principum violatam

tam atque proſtratam Maieſtatem Hìc iacere ſcito. Et quia Tacitum Regale ſatis ſuperque Reges ſui officij monet, plura non addo, Viator.

Quæ omnia breviori narratione, qua potuimus, complexi, prolixiori ſtylo publicavit Camdenus tertia parte Hiſt. vel vi veritatis coactus, vel fortaſſe ſui oblitus; ſcripſerat enim in ſua Britannia Fodheringam Caſtrum deſcribens, hæc verba: *Quod potentiſſimę Reginæ hìc accidit, malim ſilentio involvi, quàm memorari; auferat oblivio, ſi poteſt, ſi non, utcunque ſilentium tegat*.

Interim Elizabetha accepto de obtruncata Maria nuntio; tantæ Reginæ interitum perquam cauta ſimulatione doluit: Pullata comparuit, lachrymas emiſit, Conſiliarios, de nimis properata *Mandati* expeditione graviter reprehenſos, examini ſubiecit, eademque de cauſa Daviſono ſubirata, publico iudicio in *Cameræ Stellata* ſiſti imperat. Quæ omnia ex compoſito, nempe ut reiecta in Conſiliarios, ac Daviſonum culpa, ſe apud Chriſtiani Orbis Principes aliaſque Gentes tanti paricidij infamia liberaret. Et id maxime emicuit, cum paucis tranſactis diebus Criſtophoro *W*raio primario in *Banco Regio* Iuſtitiario ac privati Sigilli Cuſtodi commiſit, Conſiliarijs ſignificaret; *Se omnia æquo animo ipſis remittere, ſimulque agnoſcere, illos ad Religionem & Rempublicam tuendam, & ad omnia pericula propulſanda animo & conſilio diligenter*

genter excubaſſe. Paulòque poſt ementiti doloris mæſtitudine reiecta, fauſtiſsimas Hæreticorum acclamationes de proſtrata cum Maria Religione Catholica lætabunda excepit.

Digitized by Google

Cap. XIX.

Hibernica perſequtio, Thomâ Barone Borough Prorege, deſcribitur. Varij Belli eventus inter Catholicos & Hæreticos enarrantur. Eſſexiæ Comes fit Prorex Hiberniæ. Londinum armata manu ingreditur, captus ultimo ſupplicio afficitur. Carolus Bluntus in huius locum ſuffectus Tir-Oeniæ Comitem, & O-Donellum Tir-Conelliæ Dynaſtam Catholicorum Duces ſuperat, Auxiliarios Hiſpanos evertit. Victor tota Inſula potitus in Catholicos Hibernos barbare deſævit. Debellata Hibernia Elizabetha in morbum incidit, Scotorum Regem ſibi Succeſſorem declarat. Moritur.

POſt peractam ab Elizabetha per totam Angliam Catholicorum proſcriptionem, ut adoptatam Hæreſim ubique ſui Dominij ſtabiliret, ad Hibernos, qui neglectis Regijs Edictis avitam Religionem armis

etiam

etiam tueri conabantur, quamprimum converſa, tanto odio proſequta eſt, ut miſsis in Inſulam copijs validiſsimis, ac redintegratis per decem & plures annos exercitibus diriſsima perſequtione afflixerit: Principes Viros, ac ſangvinis antiquitate illuſtres vel in conflictibus ferro cæſos, vel fugatos aut bello captos ſecuri ac ſuſpendio per ſummam ignominiam necatos, alijs inferioris notæ incredibili barbarie trucidatis; è medio ſuſtulit; In Eccleſiaſticos ſævitia longe maiori adhibita, inauditis uſque tunc tormentorum inventis crudelitate plusquam phallarida ſevijt; annó præſertim 1597. quo Thomas Baro Borough immaniſsimus Hæreticus Proregis titulo Inſulam adminiſtrabat: Homo truci genio Epiſcopis alijsque Sacerdotibus infenſiſsimus; Quot enim à ſuis Satelitibus comprehenſi coram adducebantur, optimas conditiones, munia, dignitates largiter offerebat, dummodo, Reginam eſſe *Caput Eccleſiæ* iuramento firmarent, novæque Religioni ſubſcriberent, Sin autem, in ocreas diabolica inventione paratas, plenas ſcilicet oleo, ſale, pice, ac butyro, Sanctorum Confeſsorum pedes imponi iubebat, quibus ſuppoſito igne ſenſim torrefactis, caro ad genua uſque ocreas vi detrahendo, nudis relictis oſsibus, ſimul avellebatur. Hoc acerbiſsimo cruciatu duo Sanctiſsimi Præſules ut de alijs taceam, martyrium conſummarunt, Domitius Hurlæus Archiepiſcopus Caſsilienſis Comitatus Tipperarienſis in Momonia, & Patritius Okellius Epiſcopus Maionenſis in Provincia Connachtia. Hic, dum cruciaretur, à Prorege de Religione tentatus, quamvis ad mortis langvorem uſque confectus, vivido aſpectu intuitus Proregem, inanem ipſius vanitatem riſu compeſcuit, qua deriſione exaſperatus Prorex imperat eius brachia ac digitos inter duo ſaxa per Carnificem contundi atque frangi, inde vimineo laqueo, ut diutius

elangveret, ad arborem ſuſpendi. Omnia Sanctus Epiſcopus patientiſsime ſuffert, plura de fide Catholica diſserit, ultimò ad Proregem converſus hæc verba dixit: *Tu quidem, ò Prorex, corpus hoc iniuſte torſiſti, te ad Divinæ Maieſtatis Tribunal cito, ut ibi tuarum iniquitatum rationes reddas*. Quartodecimo die poſt Sancti Præſulis mortem intempeſtivus morbus Proregem rapuit Divino Iudici de tanta immanitate pœnas æternis cruciatibus perſoluturum.

Indoluit Elizabetha, Miniſtrum ſævitate ſui ſimilem amiſiſse; illico tamen ſuffecit Thomam Ormundiæ Comitem, locum Tenentis Generalis titulo tenus, donec de Prorege provideret. Aliquos poſt menſes conſilium ſecretum de eligendo Prorege habuit cum Carolo Havuardo Effinghamio Angliæ Admirallo, Roberto Cæcilio à ſecretis, & Roberto de Evereux Eſſexiæ Comite Principis Corculo. Præ cæteris Regina Wiliemum Knolles idoneum cenſebat, contra, Eſſexius Georgium Carew mittendum nimia quaddam confidentia prætendebat, id à Regina pernegatum, ſui oblitus, obſequij immemor terga vertens ſanna contempſit; Elizabetha tanti deſpectus impatiens impacta alapa incivilitatem cohibuit, Eſſexius iuvenili ardore fervens gladij capulo admota manu ſubmurmurans Aula diſceſsit. Quo factum eſt, ut de Prorege nihil ſtatueretur. Quoniam verò *Amantium iræ amoris redintegratio eſt*, haud multo poſt Eſsexius ſubmiſsior factus in priſtinam gratiam redijt:

Catholici interea in Hibernia O-Donell Tir-Conelliæ Dynaſta, & O-Neal Tir-Oeniæ Comite Catholiciſsimis ac ſtrenuiſsimis Ducibus inſignem victoriam de Hæreticis Anglis in Ultonia Armacham prope reportarunt. Etenim Tir-Oeniæ Comes innata ferocia ac

odio

odio in Henricum Bagnallum Anglici exercitus Mareſcallum percitus inter confertiſsimos hoſtes propria manu occidit; Mareſcalli caſu Anglis in fugam undique diſiectis, tanto impetu Catholici veſtigia preſserunt, ut tredecim proſtratis Ordinum Ductoribus, omnes pene reliquos trucidarint, inde Arcem munitiſsimam ad *Blackwater* adorti, à Pręſidiarijs facta deditione, potiuntur. Fœlicis huius eventus fama pervagata, conterminæ Provincię in primisque Connacthia, excuſso Hæreticorum iugo antiquam libertatem recuperant. Nuntio de tam deplorabili in Hibernia Anglorum ſtatu Londinum perlato, Elizabetha iterum de mittendo Prorege ſerio conſultat, reiectiſque varijs Conſiliariorum opinionibus, ſuum Eſſexium, illam provinciam ficto ambitu, utpote vetulę Reginæ blanditijs, Aulæque illecebris tantiſper ſe proriperet, percupientem, in Proregem, ægre tamen, conſtituit. Novus exercitus quàm celeriter conſcribitur, quo maiorem haud unquam viderat Hibernia: Inter cætera in mandatis datum, Ultoniam quamprimum aggrederetur, primoque impetu Tir-Oenię Comitem Archirebellem premeret. Eſſexius Londino ſolvens in Hiberniam exeunte Martio anni 1599. pervenit, ſtatimque accepto de more *gladio* in Momoniam ſigna vertit, & Cahirum Oppidum, parvum refugientibus Catholicis Receptaculum, capit, miſso interim ad Ultoniæ fines Cliffordo Connacthiæ Præfecto cum mille quingentis ſelectis militibus, ut diſtractione facta, Catholicorum vires extenuarentur; Sed dum montes *Curlevu* ſuperare tentant, Catholici O-Rorco Duce de repente irruptione facta, longo itinere ac montium aſperitate laſſatos facilè vincunt, ipſo Cliffordo cum Alexandro Ratcliffo de Ordeſall Ductoribus occiſis.

Prorex capto Cahiro in Offaliam, ſeu Regis Comitatum

præpro-

præpropere deflexit O-Conor, & O-Maily illius Reguneulæ Proceres nova molientes compreſſurus, quòd tamen plurimis ſuorum amiſsis, non ita facilè, ut ſibi perſuaſerat, eſt aſsequtus. In huiusmodi potius velitationibus quàm prælijs, æſtivis menſibus conſumptis, meliorique militum numero deperdito, per literas novum extenuati exercitus ſupplementum à Regina petit, expeditionem in Ultoniam ſine mora ſuſcepturus. Male habuit Elizabetha, Eſsexium Regia mandata tanto cum rei nominiſque Anglici detrimento neglexiſse, ſilentio tamen diſsimulavit, ac delectorum militum ſuppetias ſollicite miſit, quibus reſtaurato exercitu Eſsexius ad Ultoniæ fines menſe Novembri ſe contulit. Tir-Oeniæ Comes de adventu hoſtium certior factus collectis copijs, in Collibus à longè comparuit, ac per nuntium ſignificat, ſe pugnare nolle, ſed cum Prorege colloqui cupere, quod ſi ſibi conceſſum, illum omni obſequio ad proximi Fluminis vadum haud procul à Luto Oppido preſtolaturum. Eſſexius mitiori genio & ad pacem propenſo, petitioni lubentiſsime aquievit, diſpoſitoque ad vicinum Collem milite ſolus ad Fluminis ripam deſcendit; Tir-Oenius ex altera ripa viſo Prorege, in Amnem immiſſo Equo obſequentiſsime ſalutat; Prorex magna comitate reſpondet, ac per horam ſine Arbitris colloqui in alium diem prolato colloquio, admittendis tamen pro pace agenda ſex Primarijs utrinque Viris, concordes diſcedunt. Præſcripto die uterque cum ſuis ſimul conveniunt, diſcuſsisque hinc inde rationibus, unanimi ſententia ſtatuitur: *Ut induciæ ab ipſo die in ſingulas ſex ſeptimanas uſque ad Calendas Maij haberentur, ita tamen, ut utrinque liberum ſit poſt præmonitionem quatuordecim ante dies factam, bellum renovare*. Ita ad tempus belli ardore ſedato, Eſsexius

Eſſexius collocato in Hybernis milite Dublinum revertitur.

Ubi primùm de pactis cum Tir-Oenio inducijs in Aula ſcitum, occultum in Eſſexium odium palam ab Emulis effunditur: Reginæ exponunt, procraſtinatam in Ultoniam expeditionem, ob conniventiam cum Catholicis, tercentis millibus libris intra ſex menſes expenſis, nihil effeciſse; Clades ab Haringtono & Cliffordo eius ignavia acceptas; iniquis legibus pactas inducias, inſuper conditiones pacis Principe indigniſsimas, nempe, *Ut ſingulis in Hibernia Rebellibus ſcelera remitterentur; Hibernici in poſſeſſiones, quas Angli occupant, reſtituerentur, & Romana Religio per univerſum Regnum libere coleretur, ſedulò perſuaſiſſe.* Quæ omnia levem impreſsionem, vel fortaſse nullam effeciſſent, niſi maiori offenſa Elizabethæ animum Zelotipia infeciſset, eò quòd Elizabetham Vernoniam ipſamet inscia ſecretò duxiſſet. Hinc amor attenuari, vindictæ cupido adoleſcere: Opimam *Pupillorum* Præfecturam, quam ipſi conferre ſpem præbuerat, infenſiori Emulo Roberto Cæcilio contulit, aſperioribus inde literis ſuſpicione perſtringit, ignominioſam expeditionem obiurgat, dedecus Anglicæ genti inflictum exprobrat, denique, *Se ad Hiberniæ Regnum conſervandum nihil non feciſſe, ipſum ad idem amittendum nihil omiſiſſe.* His literis offenſus Eſsexius, magisque de ſuffurata à Cæcilio *Pupillorum* Præfectura iratus, Londinum menſe Decembri Emulorum malevolentiam ulturus, advolat. Inſequenti ſui adventus die bene mane in ſecretiori Reginæ cubiculo ſe ſiſtit, quæ improviſo adventu turbata alia fronte, qua ſolita erat, excepit, gravique alloquio ſine ipſius venia improperato reditu, iubet, in Ædibus Cuſtodis magni Sigilli loco carceris interim cuſtodiri, proteſtata, illum non de perfidia, ſed de

contemptu,

contemptu, & inobedientia correptum velle. In hac Cuſtodia integros ſex menſes ſumma patientia, modeſtia, ac humilitate exegit, quibus lenita Elizabetha in proprias Ædes abire permiſit, acceſſu tamen ad ipſam, ac in poſterum etiam ad Aulam inhibito, licèt per literas demiſsiſsime ſignificaſset: *Se Regiam manum & virgam, quæ correxerat, non everterat, exoſculari. Nunquam autem ſolitum gaudium poſſe percipere priusquam ſalutares ocellos aſpiceret; qui Cynoſuræ ſibi fuerant, & quorum ductu fœliciſsime navigarat.*

Sui itaque iuris factus, relaxandi animi cauſa Rus ex Urbe tanquam ex vinculis advolavit, ubi ſæpius recogitando, ſe à Regina neglectum omnibus ludibrio futurum, Reginæ auribus Emulorum invidia iam obſeſsis omnem ſpem redintegrandæ gratiæ ſibi præciſam, anxius & irrequietus vindictam ſpirabat. Per quatuor Menſes his conflictatus anguſtijs, verſa in furorem patientia Londinum redire conſtituit, ac armata manu Adverſarios in poteſtatem redigere. Quare maturato cum Amicis conſilio, ducentorum militum inſtructa cohorte recta Londinum petit; Urbem ingreſsus Cives ad arma vocat, declarat, ſe pro Regina ſtare, ſolùmque arma ſuſcepiſse, ut iniurias ulciſceretur, Amicos à ſervitute, Regnumque ab impotenti quorundam dominatu liberaret. Mox præcipuum Forum aliaque frequentiora Urbis loca feſtine percurrens fruſtra populum inclamat, cum nullus vel ex infima plebe arma ſumeret. Quo viſo, eodemque tempore de adventante cum copijs Admirallo monitus, ſuſpenſo vultu ac dubius, de fuga cogitare cæpit, retroque itinere verſo ad Luddi Portam vulgò *Ludgate* viam arripit. Sed cum ad Plateam prope Cœmeterium Divi Pauli perveniſset, Ioannes Leviſonus Portæ Cuſtos cum ſco-

pletarijs

pletarijs, haſtatisque militibus factus obviam ultra progredi impedit. Eſſexius ſtricto gladio unoque interfecto aditum contendit, Leviſonus tribus occiſis, ac Eſſexij pileo glandi pumblea traiecto, denegat. Repulſus Eſsexius, plurimisque ſuorum fuga elapſis, deflexa via cum paucis fidelioribus ad Reginæ ripam vulgò *Queenehith* properat, nactusque cymbam domum revertitur, Ædes communit, ac ad defenſionem ſe parat. Admirallus quàm celeriter inſequitur, Ædibusque quà terram, quà Tameſim ſpectant, Equitibus, peditibusque undique obſeſsis, deditionem imperat. Eſsexius erumpere hoſtemque aggredi generoſiori animo ſtatuerat, ſed mox inter ſpem & metum fluctuans Admirallo ſignificat, ſe pactis conditionibus deditionem facturum, cui illico renuntiatum: *Conditiones à Rebellibus minime proponendas, multoque minus à Principe admittendas. Quamprimum Reginæ arbitrio ſe ſubijciat alioquin vi oppugnandum.* Quibus auditis, Eſsexius neceſsitati parere coactus arma deponit, atque hora ante mediam noctem ſe dedidit. Captus ad Londinenſem Arcem eadem nocte cymba devehitur, & in Cuſtodiam traditur. Poſt dies undecim eiusdem menſis decimum nonum, *Parium* Iudicio in Weſtmonaſterienſi Prætorio ſiſtitur, Teſtimonia proferuntur, quibus prodebatur: *Siniſtra conſilia cum Chriſtophoro Blunto, Carolo Danverſio, & Ioanne Daviſio Catholicæ Religioni addictis, iniïſse, Papiſtas adſciviſſe, Londinenſes ad apertam rebellionem concitaſse, denique Regiam invadere, ac Reginam opprimere ſtatuiſse.* Ad quæ Eſsexius alacri voce reſpondit: Amicorum & Clientum præſsidia paraſse ad inimicorum violentiam repellendam, fidem tamen in Patriam, & Principem non exuiſse, nec alio quidem conſilio Londinum armata manu intraſse, quàm ut

ſecurum acceſsum ad Reginam haberet, de iniurijs coram conqueſturus. His dictis, Baro Buckhurſtus Angliæ Theſaurarius, & ad hoc tantummodo Iudicium magnus Angliæ Seneſcallus conſtitutus, iubet Eſsexium amoveri, ſimulque ut *Pares* ſe ſeorſim ſubducerent, moxque invicem, ut moris eſt, conſultarent, qui horæ ſpatio interiecto ad Tribunal reverſi, Eſsexium læſæ Maieſtatis Reum declarant. Illico adverſa Securis acies in illum convertitur, ac Seneſcallus conceptis verbis mortis ſententiam pronunciat.

Quandoquidem tu Robertus d' Everaux Eſſexię Comes criminum læſa Maieſtatis poſtulatus, te Reum negaveris, Parium iudicio, qui Reum declararunt, ſubmiſeris, hic Confeſſus indicat, te hinc in Arcem reducendum, inde Crati impoſitum per mediam Urbem ad furcas trahendum, ibi ſuſpendendum, ſemivivum deponendum, eviſcerandum, capiteque abſciſſo in quatuor partes diſsecandum. De capite & corporis partibus fiat, quòd Reginæ viſum fuerit; Anima autem tua miſereatur Deus. Funeſto audito iudicio Eſſexius dixit: *Hoc corpus meliorem operam Reginæ navare potuiſset, ſi ita illi viſum: Gaudebo ſi quocunque modo ſit uſui.* Deinde rogat capitis tantummodo ſupplicium & privatim intra Arcem luere, illique conceſsum.

Dum hæc in Eſsexium agebantur, Elizabetham acerbiſſimo animi ſenſu adhuc fluctuantem vis amoris ad inſperatam clementiam impulit; De repente etenim ac inopinantibus omnibus per Eduardum Carium imperat, ne ſupplicio afficiatur. Quod infenſiores Emuli Cobhamus, Cæcilius, & Walterus Raleigus, qui inteſtinum odium Eſsexij ſangvine exſaturare inhiabant, permoleſte ferentes, Reginæ inculcant: Rem Principe indignam fore, contumaci Rebelli parcere, qui quàm

veniam

veniam deprecari audaciſsime palam dixerit, *Se non poſſe vivere ſine Reginę pernicie*. Mox obliquis ſuggeſtionibus à Mulierculis quibusdam aulicis, quas amatorijs olim Eſsexius eluſerat, in Elizabethæ aures inſuſurrari ſatagunt, *Hominem ingratum in illius famam & honorem inhoneſta iactitaſſe, ipſamque iam Vetulam non minus animo quàm corpore eſſe diſtorto deridendo effutiſſe*. Quæ acculeata ſpretæ formæ iniuria Fœmineum pectus admodum exacuit, innatamque ſævitiam hactenus amore conſopitam tanto impetu excitavit, ut per Baronem Darcium cito citius infœlicem Comitem obtruncari iuſserit.

Ita Carnificis manu absciſso capite vitam clauſit Eſsexiæ Comes ætatis anno trigeſimo quarto; Genus illi antiquum & pernobile, Regiam namque Familiam, etſi longo intervallo, attingebat, omnium virtutum genere inſtructus; Forma adeo præcelenti, ut caſtioribus etiam fortaſse periculoſa, decem annorum ſpatio ab Elizabetha ſumme dilectus, quem honoribus manu prodiga auctum in Georgianum Ordinem ac Sanctius conſilium vigeſimo tertio ætatis anno adscivit; Magni Angliæ Mareſcalli dignitate, Equorumque Præfectura inſignivit. Uno verbo: Elizabethæ delicium, cuius genium ita occupaverat, ut quidquid lubitum arcana quaddam vi extorqueret, donec Zelotipia, Odium, Invidia cæteræque Aulicæ fraudes atque inſidiæ Principis gratia deiectum in Carnificis manus præcipitarint.

Poſt Eſſexij ex Hibernia diſceſsum, Tir-Oeniæ Comes, eundem vix Londinum perventum in Cuſtodiam traditum intelligens, ſpem conficiendæ pacis penitus amiſit; Virum enim ſedato ingenio, & ad lenitatem prono, ad honeſtas conditiones perfacilè adducturum ſibi perſuaſerat; Quare cum primæ induciarum pactionis dies iam elapſi eſſent, recollecto milite fœderatos No-

biles pro Religione tuenda ad bellum reſumendum animat, ſummique Pontificis Bullam publicat, qua Hibernos ad Sacrum bellum hortabatur, & univerſis ſingulisque militibus plenariam peccatorum veniam in Domino concedebat. Docet inſuper, Auxiliarios Hiſpanos à Philippo Rege iam parata Claſse brevì in Hiberniam perventuros. Quæ omnia Hibernorum animos ita inflammarunt, ut ad Dublini usque Suburbia magno Hæreticorum terrore victricia ſigna intulerint.

Interea Elizabetha impatiens, paucos adeoque deſperatos Papiſtas temerario auſu potentiſsimis Anglicani Regni viribus tandiu reſiſtere, metuensque morte præventa, ad quam provecta iam ætate properabat, Religionem Catholicam inconcuſsam, ſtabilemque perpetuo ſuo dedecore relinquere, conatu quo potuit perceleri validiſſimas copias contraxit; Duces ſtrenuiſſimos deſignavit; Navarchis, bellicas Naves, ut ad omnem nutum in promptu eſſent, in expedito ponere iuſsit. Mox novum Proregem ſuomet delectu, ac præter omnium opinionem declarat Carolum Bluntum Baronem Montioium hominem ad crudelitatem natum, ac Hibernicæ Genti iniquo genio infenſiſſimum. Omnia iam iratæ Fœminæ ſolicitudine atque ſolertia cum parata eſsent, Prorex quamvis ſumma hyeme Londino, impellente Regina, diſcedens, menſe Februario anni 1600. Inſulam tenuit: Tres ferè menſes, Februarium ſcilicet, Martium, & Aprilem in recenſendo milite, recolligendis Eſsexiani exercitus reliquijs, ac in munimentis recognoſcendis, inſumpſit. Menſe Maio Ultoniam verſùs in Tir-Oenium ſigna movit, miſsis diverſionis cauſa in Tir-Conelliæ Comitatum Henrico Docwraio & Mathæo Morgano cum quatuor millibus peditum, & equitibus quingentis, qui ad Oſtium *Logl-Foil* poſito pręſidio, Derry Urbeculam in Peninſula capiunt, qua deductis ageribus

commu-

communita, continuis incurſionibus Comitatum infeſtabant. Prorex ex alia parte levibus ſed aſsiduis prelijs Tir-Oenium diſtringens in anguſtiora ſaltuum loca reduxit; inde ad Reginæ Comitatum vulgò *Leaſe* extemplo ſe conferens Ony-Mac-Rory-Og ex Nobiliſsima O-More Familia Iuvenem ſtrenuiſsimum inopinanter agreditur, quo crudeliter occiſo, ſuorumque paucis fugatis victor per totam Lageniam excurrens reliquos Provinciæ Proceres præſertim O-Toolorum Gentem in poteſtatem redegit. Ne autem quidquam temporis periret, cum iam poſt Æquinoctium brumæ in ea Regione inciperent, properanter refocillato milite in Ultoniam regreditur, relictoque ad dexteram Dundalk ad Mogheriæ tranſitum vulgò *The paſse of Moghery* ſe contulit, quem licèt natura pene inacceſsum, & à Catholicis inter montes ſepimentis, ceſpitibus, ſaxisque interiectis ſumma induſtria munitum ſuperavit, fugatoque hoſte ad octavum milliare ab Armacha Propugnaculum ſtruxit, quod Mont-Noris nominatum voluit in memoriam Ioannis Noriſij rerum geſtarum gloria celeberrimi Ducis, qui animi angore victus ob ſibi prælatum in Hiberniæ Proregem Thomam Baronem Borough natalium ſplendore, militarique peritia ſibi minime comparandum anno 1597 diem obierat. Hæc inter, Tir-Oeniæ Comes videns omnia Hæreticis ex animo ſuccedere, validorum peditum ſelecta manu obliquo celerique itinere præruptiſsimam quandam viam prope *Carlengford*, qua Proregi tranſeundum erat, occupat. Monitus Prorex toto impetu tranſitum tentat: Utrinque in illis anguſtijs acriter pugnatum, victoria tamen etſi cruenta Proregi ceſsit, qui more triumphantis Dublinum, iam hybernaturus fauſtis ſuorum clamoribus, ſe recepit. Pari quoque infortunio premebantur Hiberni in Tir-Conelliæ Comitatu, etenim

enim Henricus Docwraius alter Anglorum Dux *Nealum Garve* è ſtirpe O-Donellorum, Tir-Conellienſis Dynaſtiæ data ſpe, & Arthurum *O-Neal* Filium *Trulghi* largioribus promiſsis corruptum in ſuas partes adduxerat, quorum ope *O-Cahani* Territorium depopulatus, *Liffer* magni momenti Caſtrum expugnaverat Defenſoribus ad internecionem cæſis.

Nec meliorem fortunam experti ſunt Catholici ſequenti anno 1601; Nam appetente Vere Prorex ad Magheriam iterum profectus, trium fere menſium ſpatio omnia Catholicorum Oppida ad Armacham usque intercepit, ac Tir-Oenium, qui ad *Blackwater* Caſtra poſuerat tam ſecundis hoſtium ſuccesſibus territum longiùs recedere cogit. Ex alia parte Henricus Docwraius à *Nealo Garve* Patriæ & Religionis proditore monitus, Oppidum *Donegall* prope Oſtium *Erni* lacus, meliori parte militum contra Proregem ad Armacham miſsa, pene nudatum eſse, illico cum quingentis Anglis eò profectus, primo aſsultu per deditionem obtinuit. O-Donellus de capto Oppido commonefactus, omnibus cum copijs illò advolat, & per triginta dies acerrima obſidione premit; Dum autem maiori conatu oppugnationi incumberet, rumore increbeſcente, dein certo nuntio perferente, Hispanos in Momoniam appuliſse, ab incepto deſtitit, ſolutaque obſidione magnis itineribus in eam Provinciam contendit, quò pariter Tir-Oeniæ Comes accepto nuntio paucos poſt dies ſe contulit. Iam Hispana Claſsis cum reflante vento Corcagij portum vulgò *Korkach*, obtinere non potuiſset, Kinſaliam vulgò *Kinſale* alterum eiusdem Oræ portum decem milliaribus à Corchagio diſtantem ullo absque obſtaculo [Preſidiarij enim fuga Corchagium ſe receperant] tenuerat, factaque exſcenſione die vigeſima tertia Septembris Ioannes d'Avila Hispanorum

norum

norum Dux explicatis Vexillis Civium plauſu Oppidum intraverat.

Prorex intereà intellecta Hiſpanorum exſcenſione, contractis ſine mora ab Ultonia alijſque Inſulæ Provincijs copijs omnibus Corchagium feſtinato itinere pervenerat, ubi habita conſultatione cum Georgio Carw Provinciæ Præſide alijſque Ductoribus, Caſtellum *Rincuwax* haud procul à Kinſalia ad cuius præſidium centum quinquaginta Hiſpanos d'Avila poſuerat, aggreditur, maiorumque tormentorum continua diſploſione debilitato muro ad ſubitam deditionem adegit; Caſtris ſubinde metatis antequam Hiberni cum Hiſpanis coniungerentur Kinſaliam obſidione incinxit. Alphonſus Campus alter Hiſpanorum Dux, qui cum duobus millibus in *Berehaven* exſcenderat, O-Donelli & Tir-Oenij copijs ſuas adiunxit, ſimulque ad mille paſſus ab hoſte in cuiusdam Collis ſummitate Caſtra metati ſunt, ſpe certa, Anglos hyberna duorum ferè menſium obſidione laſsatos vel ſuperare vel ſaltem ſuppetias in Oppidum inferre. Duos itaque poſt dies, nocte ſcilicet præeunte diem vigeſimum tertium Decembris, ab Hiſpanis ex Oppido irruptione facta, eodem tempore Hiberni hoſtium Caſtra adoriuntur, ac in Oppidum introrumpere tentant, ſed Richardus Wingfeldus Mareſcallus, & Henricus Danverſius obviam facti impetum ſuſtinent, brevique ſed cruento conflictu repulſis, ad Collem usque inſequuti ſunt. Tir-Oenius primo diluculo Anglos Collis radicem occupaſſe conſpiciens, in alteram planitiem retrò deſcendit aptiori loco hoſtem excepturus; At Prorex nec tantillo quidem temporis prætermiſso, recedentes quàm celeriter inſequendo, aggreditur, factoque in Equeſtres Hibernorum turmas impetu ita perſtrinxit, ut arrepta fuga ſuos ac Hiſpanorum pedites cædi reliquerit. Utrinque porro per horam

perti-

pertinaciſsime pugnatum. Sed Hiberni à ſuis Equitibus deſerti, cum Anglorum Equitatui haud amplius reſiſtere poſsent, in fugam acti ingenti clade profliguntur. Bis mille fere cæſi, Alphonſus Campus cum tribus alijs Hiſpanorum Ductoribus, ſexque Vexilliferis, captus. Ex Anglis quamplurimi deſiderati, innumeri vulnerati, inter quos Henricus Danverſius, Wilielmus Godolphinus alijque permulti.

Prorex victoria potitus, dum novis machinis ac operibus à Ioſia Bodleo Vallorum Præfecto admotis, maiorumque tormentorum crebriori effulminatione Kinſaliam acriùs premere incæpiſſet: Ioannes d'Avila omni auxiliorum abſciſſa ſpe, ſuorumque infœlici eventu animo fractus deditionem paciſcitur hac conditione, ut captivis redditis, cum Bonis, Armis, Vexillis explicatis, Timpanis pulſatis libere abſcederet, quibus à Prorege iureiurando firmatis, ſecundo Ianuarij die anni 1602. datis velis Hibernia ſolvit. O-Donellus pariter relicta Patria in Hiſpaniam demigravit, cuius Familia adhuc ibidem floret nobiliſsima. Tir-Oeniæ Comes in Vltoniam reverſus abditioribus quibuſdam locis aliquandiu delituit, poſtea Romam profectus Summi Pontificis liberalitate ad annum uſque 1618. magno cum exiſtimationis ſplendore vixit.

Submotis ex Hibernia Catholicæ Religionis Defenſoribus, à Prorege in miſeros Catholicos plusquam barbare ſævitum. Vaſtitas longe lateque iuſſa; Omnia quæ uſui eſſe poterant direpta vel corrupta; Vici, Ædes, Ædificia omnia ſacraque Templa undique incenſa; Nobilitas vbique diſsipata ac diſperſa; Epiſcopi ac Sacerdotes indagine plusquam venatica ad necem quæſiti, quorum unus Eugenius Roſsenſis Epiſcopus ex Familia clariſsima O-Hegan crudeliſsime trucidatus. Uno verbo: totam Hiberniam Catholicam Hæreticorum

militum

militum arbitrio perſultandam dimiſit.

Interim Elizabetha de debellata Hibernia accepto nuntio, reique tandem tandiu optatæ compos facta, ut ſui in Eccleſia *Primatus* ibi etiam authoritate fungeretur, per omnes Diœceſes Epiſcopos creavit, Miniſtros per Pagos conſtituit, Concionales Homines mittit, legesque tam pecuniarias quàm capitales, ſicut in Anglia, promulgari iubet, quibus parere detrectantes bona omnia, Patriam, vitam ipſam perdere cogebantur. Hinc quamplurimi harum calamitatum pertæſi Maiorum Religione relicta novam amplectebantur; Qua quidem via factum eſt ut Hæreſis feralibus crudeliſsimæ Fœminæ auſpicijs de Hiberniæ Regno etiam triumpharit; Id tamen mirandum, vel potius Divinæ Providentiæ tribuendum, quòd tam immanis Elizabethæ perſequtio haud unquam Romanæ Eccleſiæ fidem ab illorum populorum cordibus penitus evellere potuerit; Quandoquidem enim ad audiendas Hæreticorum conciones vi pertrahi iuberentur, obturatis auribus illorum impietatem eludebant: Immo pueri ipſi, ſi forte quis Miniſter occurreret, Antichriſtum appellabant, ſibilisque, clamoribus, lapidibus etiam quandoque inſequebantur, ita quòd mortua Elizabetha, à Patribus in filios avita Religione inſtillata temporis progreſsu animos & arma pro ipſa tutanda multoties reſumpſerint; anno præſertim 1645. quo de Parlamentarijs Anglis inſignem victoriam reportarunt, donec anno 1649. Oliverius Cromwel rerum potitus tota Inſula ferro flammaque vaſtata maiorem incolarum partem in Virginiam Americæ Septentrionalis Regionem deportari iuſserit.

Iam tandem Elizabetha ad extremam ſenectam redacta, impotentiſsimam illam voluptatem, qua de ſtabilita ſuarum ubique Ditionum nova Religione ſumme delectabatur, intempeſtive deperdidit; Nondum enim ef-

fluxerat annus, cum exeunte Ianuario anni 1603. valetudinis langvore quoddam tentari cæpit, quo levando, Richmundiam ſeptem milliaribus à Londino aeris ſalubritate, Regumque delicijs iucundiſsimam, ſeceſsit, quo die propinquæ mortis fortaſse præſcia, comitanti Admirallo, veluti aliud animo agitans, hæc verba dixit: *Thronus meus fuit Thronus Regum, nec alius quam Hæres mihi proximus ſuccedere debet*. Poſt paucos dies mæſtitudo cum animi dolore, quo maxime angebatur, inceſsit, ſive ſui Eſsexij deſiderio tam præcipiti ſententia, ut nonnulli dixere, ſublati; ſive horrore ob Scotorum Reginam iniuſta ſecuri necatam, Catholicique ſangvinis tanta copia immaniter effuſi; vel denique, quòd Regni Proceres de Scotorum Rege evocando adhuc ipſa in vivis ſecreto pertractarent; Ut ut ſit, his omnibus obruta pro miſera derelicta ſe habens has voces emiſit: *Collum meum obligaverunt, non habeo cui confidam, rerum mearum facta eſt converſio*. Morbo interim ingraveſcente cum vox ſenſim deficeret, Admirallus, & Thomas Egertonus magni ſigilli Cuſtos ipſam adeunt, cui reliquorum Conſiliariorum nomine ſignificant, ut de Succeſſore inſtituendo ultimam voluntatem expromere dignaretur. Illa inter anhelitus reſpondit: *Dixi, Thronum meum fuiſse Thronum Regum; Nolim, ut vilis mihi ſuccedat*. Rogantibus, quid verbis illis intelligi vellet: *Rex*, inquit, *mihi ſuccedat, volo. Et quis, niſi qui cognatus proximus Rex Scotorum*. Ex quibus apparet, falſum omnino eſſe, quod comminiſcitur Boccalinus in librum primum Annalium Taciti pag. 25. ad illa verba *Cuius teſtamentum* de Elizabetha ſcribens: *Mà Eliſabetta, che habbiamo detto Regina d' Inghilterra con accurata vigilanza, e ſomma prudenza maneggiò ſi importante negozio della dichiara-*

chiaratione del ſuo herede, percioche doppo hauerlo ſcritto di ſua mano in un foglio di carta, lo chiuſe in nna caſſa di ferro di molte chiavi, le quali furono date in cuſtodia à primi Magiſtrati del Regno.

Obitus ſui dies, fuit vigeſimus quartus Martij Anglorum more, qui Romanæ Eccleſiæ anni correctionem reſpuerunt. Vixit annos ſexaginta novem, menſes ſex, dies decem & ſeptem; Regnavit annos quadraginta quatuor, menſes quatuor, dies ſeptem. Fœmina egregijs naturæ dotibus ornata, politioribus diſciplinis exculta lingvarum Latinæ, Italicæ & Gallicæ peritiſsima, Græcæ mediocriter: ſemper aliquid legit, aut ſcripſit, Saluſtium de bello Iugurtino, Horatij Poeticam, Plutarchi Opuſculum de curioſitate, ac Boetium de Conſolatione in lingvam Anglicam propria manu tranſtulit; In Republica adminiſtranda ingenio alacri ac peracuto, magnis Principibus profecto comparanda, niſi Hæreſi ac tam fœda in Catholicos crudelitate tot ac tanta ornamenta conſpurcaſset. Ipſi præterea tanta fuit cupiditas & ambitio in ſui in Eccleſia Primatus poteſtate & fama domi, foriſque dilatanda, ut exteris quibuſcunque novam Religionem profitentibus conſilio, promiſsis, magnis etiam impenſis ſemper adfuerit. Hollandos anno 1548. Romanæ Eccleſiæ & Principis Rebelles in protectionem Religionis nomine ſuſceptos, milite, pecunia, omnique bellico apparatu contra Hiſpanum adiuvit. Navarum anno 1589. quem Henricus tertius Gallię Rex Succeſsorem ex iure declaraverat, à Gallis Catholicis ob Hæreſim Regno excluſum ac plane labentem ſuſtinuit miſsis viginti duabus millibus libris ſterlingis, militum quater millibus Peregrino Barone Willoughbeio Ductore; Anno etiam 1591. publicato prius Edicto, ne quis in Galliam ad Catholi-

cos aliquid ſubveheret læſæ Maieſtatis propoſita pœna; Rogerium Williams & Ioannem Noriſium cum tribus militum millibus in Picardiam, quatuorque millibus ſub auſpicijs Eſſexij in Normanniam miſit, quas copias anno inſequente, Eſſexio in Angliam reverſo Noriſij imperio commiſsas, alijs quatuor militum millibus ac tormentis quibusdam maioribus roboravit & auxit; Quæ tamen poſtquam à Morlantio Gallico Legato intellexit, Henricum iam ad Catholicam fidem converſum, operam, & laborem ſine fructu inſumpſiſſe vehementer pænituit, ſeſeque poſt tantam auri vim, Anglicumque ſangvinem fruſtrà pro Religione effuſum, deceptam ingemens, hiſce literis Henrico indoluit.

Heù quantum do'orem, qualem mœroris æſtum, qualia ſuſpiria in animo perſenſi ex his quæ Morlantius nuntiavit. Proh hominum fides! Hoccine Sæculum? fieri potuit ut res mundana Dei timorem tibi excuteret? vel putare poſsis eum qui te ſua dextra hactenus ſuſtentavit, & conſervavit, iam derelicturum? Periculo plenum eſt, malum facere, ut inde bonum proveniat. Sanior tamen ſpiritus mentem, ut ſpero, tibi inſpiret meliorem. Interea non deſinam in primo mearum precationum loco te Divino Numini commendare, & ſupplicare, ne manus Eſau benedictionem Iacobi corrumpat; Quòd amicitiam ſancte deferas, me magno ſane pretio promeruiſse ſcio, nec pœniteret quidem, modo Patrem non mutaras. Certe iam inde non potero tibi ſoror eſse ex Patre: Verùm enim verò ego Patrem proprium carius quàm adſcititium ſemper amabo; quod Deus optime novit, qui te in rectam ſanioris ſententiæ ſemitam reducat.

Voſtre Seur, ſi ce ſoit à la vieille mode,
avec novuelle ie n' ay que faire
Elizabetha R.

Genevæ

Genevæ quoque ſuccurrendæ Caroli Emanuelis Sabaudiæ Ducis anno 1602. vi & armis periclitanti tota incubuit ; Regio etenim diplomate omnibus Regni Epiſcopis, Miniſtris, ac Prædicantibus iniunxit ; ut inter concionandum populos ad eleemosynas elargiendas pro ſublevandis Genevenſibus fratribus excitarent ; Quo ſine mora exequuto, tanta pecuniæ vis fuit conflata, ut Genevenſis Urbis indigentiæ fuerit abundanter proviſum ; novis enim Helvetiorum copiis hac ſtipe conſcriptis inſtaurato præſidio, Urbis potiundæ ſpem Catholico Principi penitus ademerit. Domi verò de inſtitutis à ſe Religionis Ritibus tam ſolicita ac ſuſpicioſa fuit, ut animum impenſe intentum ſemper habuerit, ne tantillum quidem novitatis irreperet : Edictum anno 1560. contra Anabaptiſtas qui declinandæ perſequutionis prætextu è tranſmarinis in Angliam ſe receperant ; promulgavit ; quo ex ſuis Regnis ſub pœnâ carceris ; bonorumque amiſsione intra viginti dies excedere cogebantur. Anno quoque 1568. Colmanum ; Buttonum, Hallinghamum, & Benſonum prima in Anglia Puritanorum ſemina carcere ſuffocavit. Anno denique 1591. *Wilielmum* Hakettum hominem Fanaticum ; qui unà cum *Wiggintono* verbi Miniſtro ; Edmundo Copingero Viro Nobili, & Arthingtono vaticinabatur ; Angliæ Regnum fame, peſte, belloque percutiendum ; niſi Anglicana Eccleſia ad Presbyterialem Genevenſium diſciplinam reformaretur, immo Reginam ipſam, ni promoveret, opprimendam, ſuſpendio necari, eviſcerari, membratimque diſsecari iuſsit, ſocijs perpetuo carcere multatis.

Cap.

Cap. XX.

Mortua Elizabetha diverſarum Hæreſum Sectæ exoriuntur. Rebelliones ac ſeditiones cauſant. Iacobus I. Magnæ Britanniæ Rex veneno extinctus. Filius Carolus ſecuri percutitur, eius memoriam Ioannes Miltonus atrociori calamo proſcindens à Salmaſio refellitur. Galeatius Comes Gualdus Prioratus inſignis Hiſtoricus laudatur. Oliverius Cromwell Anglis decennio dominatur, immani perſequtione Hibernos affligit Carolus II. Rex conclamatur. Ab Hæreticis in Catholicos inſtigatur, quorum permulti ultimo ſupplicio afficiuntur. Mortuo Carolo in Regnum ſuccedit Iacobus Catholicus eius Frater Dux Eboracenſis, quadriennio poſt Throno deicitur; Regno pulſus à fidelibus Hibernis incolumis ſervatur. Quædam Anglicani Parlamenti Decreta contra Catholicos.

HÆreſis, quæ ſurculante Eliſabetha nulla prorſus germina emittere hactenus valuerat, ipſa defuncta in tantam copiam produxit, ut prȩter Prote-

Proteſtanticam ab eadem tanta vi ac ſævitia ſtabilitam, quinquaginta annorum ſpatio Presbyterianorum; Independentium, Brouniſtarum, Puritanorum, Quakerorum, Fanaticorum, Anabaptiſtarum, aliæque quamplurimæ minoris notæ Sectæ ad centum quinquaginta & amplius in lucem prodierint; adeoque trium ubique Regnorum inoleverint, ut adhuc noſtris diebus ſumma cum licentia vigeant; ita quòd omnibus cuiuscunque generis, conditionis, ſexus; ætatis publice in Eccleſijs docere, concionari, Sacramenta adminiſtrare, quidquid lubitum, credere, liberum ſit, ac connivente Magiſtratu permiſſum. Quod Claudius Salmaſius homo alioquin heterodoxus exaggerans in *Reſponſione* ad librum; cui titulus *Defenſio pro Populo Anglicano* (quem manu Carnificis publicis flammis combuſtum imperante Carolo ſecundo Rege Londinum vidit) Miltonum Authorem cap. 1. pag. 93. his verbis exagitat: *Errorum, vel erroneorum dogmatum monſtra, quę diverſa apud Anglos Hęreſeon Secta pro totidem articulis fidei defendunt, iam recenſuit Thomas Edoardus Londinenſium Paſtor, & ſummam ex his collegit ad centum & octoginta: Quod autem exemplo Hollandię defendere contendis illam licentiam, qua datur in Anglia etiam Chriſtum; & Scripturam abnegantibus Sectis; & Eccleſiam nullibi terrarum extare affirmantibus; & eam quarentibus, quę nuſquam ſit, fruſtra es: Nullus eſt in Hollandia locus ubi mulieribus conciones Eccleſiaſticas habere, docere, diſputare de fide; & Sacramenta adminiſtrare liberum ſit ac licitum. At hoc licet mulieribus; pediſſequis, & militibus vel in media Vrbe Londini; qua eſt Regni Metropolis – Nullus apud Hollandos cum venia Equos ſuos baptizat; & hoc in Anglia factum conſtat.*

Nemo

Nemo in Hollandia ferret, Feles habitu infantium indutos, & faſcijs involutos aqua ſacra tingi ad deridendum Orthodoxorum Pedobaptiſmum, apud Anglos Anabaptiſtæ id ſępe fecerunt. Et pag. 97. *An obſcurum eſt, quod in publico fit; cum Mulieres concionantur, docent, de fidei dogmate diſputant, quas in Eccleſia loqui non debere præcipit Apoſtolus? Aliæ Sectæ multæ deteſtandæ, & in Deum impiæ in propatulo ſuas res agunt, & qui eas profitentur etiam ad Officia publica aditum habent & Magiſtratus capeſſunt*. Ita Salmaſius.

Dum iſta ſcriberem Ioannes Baptiſta Comes de Garzadoris nobilitate Familiæ ac militari peritia honorificis à Sereniſsima Venetiarum Republica diplomatibus decorata, Patriæ noſtræ Ornamentum, mihi narravit; Quòd cum anno 1659. poſt Dunquercanum prælium, quo ſub auſpicijs Principis Condæi militaria Munia exercuerat, Londinum celeberrimæ Urbis inviſendæ cauſa ſe contuliſset, quoddam die per Urbem obambulans, de repente offendit Hominum ac Fœminarum frequentiam in quandam Eccleſiolam ſive Oratorium confluentem; curioſitate motus locum ingreſsus vidit cannabis Carminatorem ſtaminibus è brachio pendentibus è Suggeſtu deblaterantem. Stetit ſtupens aliquantulum, mox attentior, inter alia impia atque enormia, hæc effutientem audivit: *Spiritus Sanctus me afflavit, ut talem* (quam præſentem digito demonſtravit) *in Uxorem accipiam, quod ſi ab ipſa, vel ſuis denegatum, idem Spiritus mihi mandavit, ut quoquo modo rapiam*. Quo audito excitatum riſum ore preſſo ægre compeſcit, quem loco egreſsus, tam bellos Ritus per viam non ſine admiratione mente obverſans, effrenem dimiſit: Sed cum quidam ex

Secta

Secta ridentem caſu vidiſsent, ſtatim conclamant; *Papiſtam Religionem irridere*, ac ſine mora inſequuntur, immiſsiſque duobus moloſsis, voce manibuſque in fugientem incitant, quem ſine dubio laniaſſent, niſi amica manus periculo eripuiſſet, ac in ſuæ Domus ſecretiori parte occultaſset.

Prætérea in quaddam M. S. Relatione Italica Equitis præclariſsimi, qui Londini Cromweli tempore extraordinaria Legatione pro Principe fungebatur, quam ad manum habere ſoleo, hæc leguntur: Subito che Cromwel fù elevato al poſto del commando non ſolo s' è diſtaccato dal numero degl' Independenti, mà gl' hà diſapprovati e perſegvitati. Così à miſura degl' intereſsi di Stato, egli è andato cangiando di Religione, e vede che comple alla ſua politica, che ſi profeſsino in Londra ducento quaranta ſei Religioni tutte uniformi nell' alienatione dal Pontefice, mà in ſe ſteſſe molto diſsimili e repugnanti.

Se voleſsi à queſto paſso rappreſentare la diſſonanza, e variabilità delle Religioni farei perdere molto tempo, e commoverei la compaſsione, & il riſo, perche come quelli che hanno ſmarrita la ſtrada vanno ciecamente errando ſenza ſapere ne dove ne come; Così doppo abbandonata la Religione Cattolica ſono caduti in una infinità di ſuperſtitioni, e di Riti più degni di favola che di Storia. V' è una Religione chiamata li Tremanti, queſti ſi riducono in una gran Sala, e principiano à ſcuoterſi, ed à tremare ſino à laſciarſi cadere in terra, dove doppo eſſerſi trattenuti un pezzo come addormentati, che ſono chiamati eſtaſi, riſorgono e predicano coſe ſtravaganti, e ridicole; Vi ſono gl' Adamiti, Anabatiſti, Luterani, Calviniſti, & altre infinite Sette ſino al numero ſopra detto.

Nelle Chieſe publiche doppo cantati li ſalmi e terminata

la predica del loro Miniſtro, è lecito ad ogn' uno montare in pergamo e farvi un ſermone, e non ſolo è lecito à predicare à gl' Huomini, mà ſi vede tal volta montare in pulpito qualche Femina, la quale interpretando la Sacra Scrittura in non aggiuſtato ſenſo, cauſa più toſto le riſa che la divotione.

Appreſso la mia habitatione vi ſtava attaccato un Barone principale con ſei Figlioli adulti tutti di Religione diverſa, e venendo ſovente alle diſpute vivevano in contentioni perpetue & infinite, e col venire anco tal volta alle mani tenevano il loro Padre ſempre impiegato e imbarazzato nel ſeparagli e pacificargli.

Ex qua Sectarum inter ſe diſsidentium colluvione, quæ inter Familias odia, quæ proditiones inter Proceres, quæ homicidia, quæ bella civilia, quæ tandem in Principem rebelliones atque inſidiæ poſt Elizabetham miſeram Patriam funeſtarint, narrare libentius omiſerim, ne memoriam nobiliſsimo Regno, ſuiſque Regibus infauſtam refricarem. Verùm pauca tantùm, ea ſcilicet, quæ in proprios Principes inſtigante Hæreſi peracta fuere leviter attingam. Iacobum Mariæ Stuartæ Sanctiſsimæ illius Heroinæ filium, Elizabethæ ſucceſsorem, magnæque Britanniæ primum Regem anno 1625. ab Hæreticis veneno perditum Scriptores omnes fatentur; cuius tamen infandi paricidij Carolum filium inſimulare non erubuit hominum mendaciſsimus Miltonus, qui in citata *Defenſione* cap. 2. pag. 69 ipſum cum Salomone comparans hæc ſcribit: *Salomon à meritiſsimo fratris ſupplicio Regnum auſpicatus eſt: Carolus à Patris funere, non dico à nece, quamvis indicia veneni omnia in corpore Patris mortui conſpecta ſint, ita enim ſuſpicio in Bucchingamio conſtitit, quem tamen Carolus & Regis interfectorem & ſui Patris, non ſolùm in Comitijs omni*

culpa

culpa exemit, ſed ne omnino res ea Senatus cognitioni ſubijceretur, Comitia diſſolvit. Quam impudentiſsimam calumniam contundit Salmaſius libro nuper citato cap. 2. pag. 238. his verbis: *Sed vide malignitatem & tectam improbitatem peſtiferi ſerpentis. Non audet aperte Regem Carolum inſimulare necis Paternæ, quia ipſe ſibi conſcius eſt, id falſum eſſe; ſed per ambages inſinuare vult talem de eo ſuſpicionem fuiſſe proditam*. Non dico, *inquit*, à nece, quamvis indicia veneni omnia in corpore Patris mortui conſpecta ſint. *Quid tum? Si aliqua nota veneni in corpore Patris mortui viſa ſunt. An inde ſequitur à filio Patrem veneno ſublatum?* iſta ſuſpicio in Bucchingamio conſtitit. *Si ſuſpicio hæc in Bucchingamium cecidit, non ergo in filium*. Quem tamen Carolus & Regis interfectorem & ſui Patris, non ſolùm in Comitijs omni culpa exemit, ſed ne omnino res ea Senatus cognitioni ſubijceretur Comitia diſſolvit. *Notandum eſt, quod primò ſuſpicionem tantùm fuiſſe dicit, mox tamen non dubitat, quaſi res eſſet indubitata, Bucchingamium Regis interfectorem pronunciare, & in Carolum totam eam ſuſpicionem ſceleris patrati derivare, quia in Comitijs eum omni culpa exemit, & ne ea cognitio ad Senatum deferretur, Comitia diſſolvit. Hæc calumnia mera eſt ab hoſtibus Regis conficta, & à Miltono eorum defenſore non minus calumnioſe confirmata. Falſum quippe, Comitia ob hanc cauſam à Rege fuiſſe diſſoluta, cum certum ſit & teſtatum, Bucchingamium in ſequentibus Comitijs publico iudicio ſe ſubieciſſe. Harum rerum fidem facere poſſunt publica Acta quæ vocant* Regiſtra:

Carolus quoque Filius iniquiori fato ſuccubuit; ex eo

enim quòd priſtinæ dignitati Epiſcopos, Lithurgias, muſicosque concentus in Eccleſijs reſtituiſset, ac erga Catholicos quodammodo propenſum ſe præberet Hæreticis inviſus, à Puritanorum & Calviniſtarum factionibus ſeditionum ſemina ſeri cæperunt, eòque magis incrementa ſuſcepere, quòd menſe Auguſto anni 1639. Carolus Comes Roſsetus Ferrarienſis à Summo Pontifice Urbano VIII. Nuntius ad Reginam miſsus, Londinum pervenerat; qua quidem occaſione, dum ſummo zelo parique doctrina, promiſsis etiam auxilijs, cum Rege de reſtituenda Catholica Religione ſecreto ageret, Re à Sectarijs detecta ſtructis inſidijs perdidiſsent, niſi à Regina occultatum, Legatus Venetus extra Urbem clam deduxiſset. Hinc aucta propemodum ſuſpicione de promovenda à Rege Catholica Religione, in apertam rebellionem erumpentes, Parlamentario Decreto vectigalium iura Regi eripiunt, Edicta capitalia in Regios Miniſtros promulgant, ac Principis Maieſtatem, propoſitis conditionibus iuri Regio iniquiſſimis, deprimunt. Demum conſcripto exercitu Ducibus Farſaixo, & Cromwellio per fere decennium rebellantibus armis perſequuntur; Quem tandem bello victum, fugatum, Regnoque excluſum, cum Scotorum ſuorum fidei ſe commiſiſset, quatuor mille librarum ſterlingarum pretio, infami proditione hoſtibus vendiderunt, quod ignominioſum facinus nulla alia querimonia doluiſſe fertur, quàm, *ſe libentius in emptorum poteſtatem venire, quàm in manibus eorum remanere, qui iam ipſum vendiderant.* Idque profecto peractum non avaritia tantùm, ſed odio Religionis, quam à Carolo in Scotia certiſsime reſtituendam Argatheliæ Marchio ingrati animi perfidia Scotis antea inſtillaverat, ut refert Galeatius Comes Gualdus Prioratus ævi noſtri inſignis Hiſtoricus, quem Antonius

Maglia-

Malgiabecus literarij Orbis miraculum mihi Florentiæ commoranti gratulatus, iſto decoravit Elogio: *Il Signore Conte Gvaldo voſtro Vicentino nella lingva Italiana è il migliore Storico de noſtri tempi*; lib. 1 Revolutionum Francicarum pag. 151 his verbis: *Queſto Marcheſe d' Argile fù decorato dalla benignità del Rè delle più coſpicue dignità & honori del ſuo Stato, e nondimeno fù il primo, che ſi ſollevò contro di lui in Scotia, inſinuando negli ſpiriti del popolo, che il Rè era riſoluto d' introdurre in quel Regno la Religione Cattolica, il che obligò li Scozzeſi al* Convenant *ſotto colore d' un honeſto zelo, che coſtò finalmente la vita all' infelice Rè.* Qui tam turpi Scotorum venditione Rebellium potitus in cuſtodiam traditur, de carcere in carcerem mutatis ſepe cuſtodibus traducitur, poſtmodum ad Curiam illam Cromwellianam contra ius, contra fas, contra leges & conſuetudines Regni congregatam adductus Iudicio ſiſtitur, quo milites illi perduelles non contenti fœdiſſimis convitijs optimum Regem coram proſcindere, ad tantam improbitatem devenerunt, ut *alij ſputis veſtimenta eius conſpurcarent; Alij fragmina fictilium fiſtularum quibus tabacum hauriebant, in caput proicerent; Quidam etiam auſus eſt in faciem illius infamem ſalivam ore expreſſam impuro conijcere, qui hoc nomine laudatus eſt à Tribuno quoddam militum qui inter Iudices ſedebat.* Tandem exemplo plusquam deteſtabili capite damnatum, ſempiterno Anglicanæ Gentis opprobrio paricidali ſecuri percuſſerunt. Regio cadavere, quòd horret animus, ne quidem parcitum; Inaudita ſiquidem barbarie mille ignominioſis modis tractarunt. *Cruore eius manus abluerunt, baculos in eius ſangvinem intinxerunt, Truncum in particulas ſectum & laceratum diviſerunt,*

viſerunt, arenam quia etiam ſanie delibutam, & capillos etiam à capite avulſos, vendiderunt.

Et Quamvis Miltonus horumce moloſſorum peſſimus defenſor fictas quasdam ac imaginarias in patrati paricidij defenſionem cauſas congeſſerit, quas Salmaſius evidentiſsimis rationibus tam in *Defenſione Regia*, quàm in nuper citata ad ipſum Miltonum *Reſponſione* falſitatis, impoſturæ, ac calumniæ convincit, illam tamen unam ac præcipuam, odium nempe Catholicę Religionis, ore, aliàs quantumvis mendaciſſimo veriſſimam evomuit; Ita enim in fœdiſsimo illo libello cap. 1. pag. 25. ait: *Nos Regem neque bonum, neque iuſtum, neque clementem, neque Religioſum, neque pium, neque pacificum, ſed hoſtem prope decennalem, nec parentem patriæ, ſed vaſtatorem de medio ſuſtuliſse. Siquidem* Reformatus *is dici poteſt, qui ſcriptis ad Papam literis ſanctiſſimum appellaverat Patrem? Qui Papiſtis ęquior ſemper, quàm orthodoxis fuit?* Orthodoxos vocat divæ ſuæ Independentiæ Myſtas: Ridicule. Sequitur: *Talis cum fuerit, ne ſua quidem Familię primus à Reformatis eſt de medio ſublatus. Quid? Eius Avia Maria nonne à Reformatis exuta Regno ſolum vertere coacta eſt, ſupplicio demum capitis affecta?* Et pag. 31. *Qui Eccleſiæ bellum intulit, ut Epiſcopos Religionis hoſtes & tyrannos in Eccleſia reſtitueret. Puritatem autem Religionis qui potuit is conſervare ab impuriſſimis Epiſcoporum traditionibus & ceremonijs ipſe ſub iugum miſſus?* Item capite 2. pag. 69. *Hic alios non ſolùm uberrimis corruptæ Eccleſię premijs pellexit; ſed etiam Edictis & Canonibus Eccleſiaſticis coegit, ut invisi Reformatis omnibus Altaria ſtatuerent, & pictos in pariete Crucifixos Altaribus imminentes adorarent.* Tandem

dem cap. ult. pag. 242. hæc addit: *Interea conſcientijs Religioſorum hominum*, ſcilicet Independentium, *ſupra modum gravis ad ceremonias quasdam & ſuperſtitioſos cultus, quos de medio Papiſmo in Eccleſiam reduxerat, omnes adigebat*.

Ex quibus fit manifeſtum, rabidos Hæreticos in primis ob Religionis Catholicæ metum, optimum Regem patibulo impoſuiſſe; Quibus tamen cum poſtea haud ſatis viſum fuiſſet, proprium Regem manu Carnificis obtruncaſſe, Regioque cadaveri, Belluis & ſi immaniſſimis inhumaniores, ne quidem pepercisse, novum Carnificem, alio tamen infamiæ nota fortaſſe nequiorem nacti ſunt Ioannem iſtum Miltonum, qui atrociori quacunque ſecuri ſtylo venerandam tanti Regis memoriam, honorem, atque famam probroſiſsimis calumnijs dilaniare non timuit. Tyrannum Nerone ipſo neroniorem appellat, verbo tenus Regem, fraudolentum, inſidioſum, proditorem, homicidam, ſuperſtitioſum, ignominiæ cauſa Pontificium, Papiſtam, ſtolidum, imbellem, iniquiſsimum, impudicum, *quem*, ita ſubiungit cap. 4. pag. 115. *cum Duce Bucchingamio flagitijs omnibus coopertum novimus. Secretiora eius & receſſus perſcrutari quid attinet? Qui in Theatro medias Mulieres petulanter amplecti, & ſuaviari, qui Virginum & Matronarum papillas, ne dicam cætera, pertractare in propatulo conſueverat?* Præterea ne morituri quidem conſtantiam atque pietatem à convitijs immunem relinqueret, eius Aviam Heroinam Sanctiſſimam lingva plusquam Diabolica feriendo, eodemmet ictu Carolum ita configit cap. 10. p. 226. *Scito Aviam eius Mariam infamem Fœminam, pari in ſpeciem pietate, ſanctitate, conſtantia in Pegmate occubuiſse: Ne animi præſentia, quę in morte quibusvis è vulgo maleficis permagna*

ſape

ſæpe eſt, nimium tribuas: Sæpe deſperatio aut obfirmatus animus fortitudinis quandam ſpeciem, & quaſi perſonam induit, ſæpe ſtupor tranquillitatis: Videri ſe bonos, intrepidos, innocentes, interdum & ſanctos peſſimi quique non minus in morte, quàm in vita cupiunt; Inque ipſa ſcelerum ſuorum capitali pœna ſolent ultimam ſimulationis ſuæ & fraudum, quam poſſunt ſpecioſiſſime, pompam ducere, & veluti Poetæ aut Histriones deterrimi, plauſum in ipſo exitu ambitioſiſſime captare.

Quid acerbius, quid contumelioſius livido calamo excidere unquam potuit? Obſtruat petulantiſsimi Sycophantæ infames fauces, impiumque os veritate obthuret celeberrimus Scriptor laudatus Gualdus, qui Carolo regnante Londini aliquandiu moratus, Principis genium, Aulæque mores accurata obſervatione præſens inſpexit. Do verba ad pag. 139. Operis nuper citati; *Morì in tal modo Carlo Stuard Rè della Gran Bertagna per mano di Carnefice à publica viſta del ſuo popolo. Principe, che per l' eceſſo della ſua bontà, per facilità del ſuo animo, per il ſoave de ſuoi penſieri, per il riſpettoſo della ſua coſcienza perdette prima la ſtima, indebolì il riſpetto, laſcioſſi uſurpare l' auttorità, e finalmente reſtò privo di vita.* Et paulò inferius: *Si rimarcava in eſſo bontà impareggiabile, e un animo così franco, che à queſto più d' ogni altra coſa fù da molti attribuita la ſua rovina. Appariva nelle ſue attioni di coſcienza puriſſima, e molto timorato di Dio, dedito alle coſe Spirituali, ben intendente e capace d' ogni ſcienza ſi faceva connoſcere. Nel commandar era ſoave, nel trattar libero, nel far le gratie generoſo, nel punire clementiſsimo, e per chiudere in riſtretto il molto, che ſi potrebbe dire*

delle

delle ſue condizioni, la ſua vita fù un epilogo di virtù morali, & una vera idea, alla quale (trattone i pravi ſentimenti in materia di Religione) ogni Principe ſi preggierebbe di conformarſi. Abeat ergo nunc ipſum in malam peſtem Miltonus, Miltonianique omnes, ſi qui ſunt adhuc Sereniſsimæ Stuardorum Familiæ hoſtes infenſiſsimi, ac perfidioſiſsimi calumniatores! Iudæque proditoris portentoſa propago eodemmet infami laqueo ſuffocentur; In æternum pereant, nec alia memoria, quàm ſceleris turpitudine Poſteris innoteſcant.

Sublato Carolo, immaniſsima illa perſequtio Cromwelliana ſubſequta eſt per decennium duratura, tot enim annos Gromwellius Rerum potitus à Caroli morte vixit, qua Catholicos præſertim Hibernos maxime dive- xavit, quorum Familiæ Nobiliſsimæ exhæredatæ ac proſcriptæ uſurpata ab Anglis Hæreticis Patrimonia adhuc miſere deplorant. Morti iam proximus, ut Richardus Filius eius primogenitus in trium Regnorum Protectoris ac ſupremi Magiſtratus dignitatem ſibi ſuccederet à Parlamentarijs extorſit, qui tamen exacto vix anno paternę tyrannidis memoriam pertæſi, in ordinem redegerunt, ac Carolum demortui Caroli Filium primogenitum opera atque induſtria Georgij Monk Generalis militiarum Præfecti menſe Iunio anni 1660. Regem conclamarunt. Inter publica gaudia pax Catholicis etiam illuxit, quæ profecto ſub mitiſsimo Rege perduraſſet, niſi diuturnæ eorum tranquillitati invidentibus Hæreticis fuiſset perturbata. Sparſerant in Vulgus voces quaſdam ambiguas de imminenti Catholicorum in Regis Perſonam conſpiratione; Hanc calumniam tenui rumore ex compoſito exorſam, ingenioſiori nequitia pertexuit quidam nomine Oatz inter Hereticos olim Miniſter, ſed ad Catholicam Religio-

nem opera ac ſtudio cuiusdam Patris è Societate Ieſu converſus. Is ſtudiorum cauſa in Hiſpaniam miſſus, in Collegium poſtea ad Sancti Audomari Fanum fuerat cooptatus, à quo tamen ob turpiſsime geſta pulſus, factus Apoſtata in Angliam redijt, ubi omnem operam adhibuit, ut commentitia in Regem conſpiratio, veriſsima in Catholicorum perniciem appareret, ſiquidem tribus nequitia ſimillimis Prance, Duedal, & Bellovu in teſtes adſcitis, quamplurimos, quos libuit, prætenſæ conſpirationis participes vel conſcios *Cameræ Communium* detulit. Cuius iuſsu ſine mora capi, ac in carcerem ſeparatim trudi fecit: Inter hos novem è Societate Ieſu cum ſuo Provinciæ Præfecto numerabantur, Millordi ſeptem nempe Aſtonus, Montacutius, Arundellus, Detteus, Staffortus, Bellaſius, & Caſtelmainus, alijque minoris notæ Nobiles nonnulli. Tria interim Edicta evulgata fuere, quorum primo ſub die 15. Novembris eiusdem anni cogebantur Catholici omnes duorum dierum ſpatio Londino ad decem milliaria excedere. Alterum ſub quinto Decembris de capiendis ubique Catholicis Sacerdotibus. Tertium ſub die ſeptimo eiusdem Menſis, quo omnes Angli Catholici cogniti tales, perduellionis Rei, morteque digni declarabantur, promiſsis inſuper vicenis libris ſterlinghis cuicunque Patrem Societatis Ieſu revelanti. Quod quidem Edictum tantum terrorem Catholicis incuſsit, ut imbecilliores permulti in Elizabethæ formulam conceptis verbis iurarent; E contra Renuentes, quos communi vocabulo *Recuſantes* appellabant, carcere, alijsque ad arbitrium pœnis multarentur. Qui verò doctrina vel Nobilitate Proteſtanticæ Religioni infenſiores putarentur, conſpiratione imputata perduellium ſupplicio afficiebantur. Primus hanc aleam ſubijt Eques Colmanus Duciſsæ Eboracenſis à ſecretis,

qui

qui laqueo compreſsus adhuc ſemivivus eviſceratus ac in partes ſectus vitam tanta conſtantia, ac pietate pro Catholica Religione in Domino finivit, ut permulti, tanquam prima victima in hac perſequtione ad Hæreſis Aram mactata, verum Martyrem prædicaverint, ſciſſumque in partes laqueum veneratione quaddam, magno pretio compararint. Quinimo primariæ etiam Nobilitatis Vir, illius ſangvine intinctum ſudariolum quinque Iacobeorum aureorum facta conventione mercatus fuerit. Pari ſupplicio affecti fuere Staffortus & Belloſius Millordi, Pater Fridlandus Societatis Ieſu Provinciæ Procurator cum quoddam Sancti Benedicti Monacho. Aurificem quoque Mercatorem ſatis pecunioſum, inſimulatum ſe Regem occiſurum iactaſſe, tribus Scotis in falſos teſtes adhibitis, Hæreſi & Avaritiæ, bonis Fiſci prætextu direptis, ſacrificarunt,

Interim Oatz Tragediæ Author ut Scenam nefandiori facto compleret, Reginam ipſam, quam inferioris Cameræ Parlamentarij, ut unicum Catholicorum Aſylum impenſiſſime oderant, eorum ſuaſu publice accuſavit, quòd ſcilicet, opera Georgij Weckman præclariſsimi Protomedici Regem veneno interficere ſtatuiſset, datis ad hoc quinque millibus libris ſterlinghis, decem alijs millibus peracto paricidio promiſsis. Qua intolerabili calumnia excandeſcens Rex, Apoſtatam hominum flagitioſiſsimum & ſceleratiſsimum appellans in Carcerem rapi iuſsit, eodemque momento omnia eius ſcripta, ac ſchedas intercipi. Subitam hanc in Oatz inopinatamque Regis deliberationem permoleſte ferentes Parlamentarij tumultuari cæperunt, ſtatimque ut in priſtinam libertatem Oatz reſtitueretur, repetitis conatibus Regem coegerunt. Quo quidem facto, Rex ſuſpicione tactus, ſibi, Principiſque Maieſtati à Parlamentarijs fictæ conſpirationis obtentu inſidias moliri, eorum-

que potentiam ipſiusmet patientia, nimiaque decem & octo annorum diuturnitate roboratam in Regiæ authoritatis perniciem magis augeri, novum Parlamentum, vetere impavidè proſcripto, ad 17 calendas Aprilis indixit, nullaque interpoſita mora circulares literas de novis Parlamentarijs conſtituendis ad omnes Angliæ Comitatus mitti imperavit. Hoc modo cohibita inferioris Cameræ audacia, commentitia illa in Regem conſpiratio momento evanuit, ſimulque tam rabida in Catholicos perſequtio pariter deferbuit, quousque Carolo defuncto eius Frater Sereniſsimus Iacobus Eboracenſis Dux iure hæreditario Sceptrum obtinuit. Tunc enim Proteſtantium Primores, ac Prædicantes Miniſtri Hæreſim à Catholico Principe Throno deiectam minime tollerantes, tanto impetu populum concitarunt, ut ſumptis armis Solio deturbatum Regno expulerint, & niſi ad fideliſsimos Hibernos, qui ad ultimum uſque ſangvinem glorioſiſsime defenderunt, quàm citiſsime ſe recepiſset, eidemmet fato, quo Carolus Pater, fortaſse ſuccubuiſset; Id enim exinde apparuit, quòd, cum moloſsicam rabiem, qua furioſiſsime rapiebantur, in Iacobum effundere haud potuiſsent, in rem inanimam, ſacrum ſcilicet Sacellum, in quo Miſsæ Sacrificium primitus celebrari publice iuſserat, ac quotidie audire conſueverat, canino more converterint, eòque furoris, ut effractis Ianuis, Sanctorum Imaginibus deiectis, ipſoque pariete ſaxorum turbine deformato mille immunditiarum ſordibus ignominioſiſsime conſpurcarint: Hoc ita profanatum proprijs oculis vidit, mihique denarravit Illuſtriſsimus noſter Ioſeph Sorius varia eruditione, morumque elegantia ornatiſsimus, qui ad celeberrima Literatorum Oracula expiſcanda auguſtioribus Europæ Academijs perluſtratis, anno 1701. Londini diverſabatur.

Cæterum

Cæterum alia, quæ ante vel poſt exactum Sereniſsimum Iacobum Politiæ vel Religionis prætextu ipſi vel Anglicanæ Reipublicæ acciderint, alijs in talium Rerum veriori notitia peritioribus prodenda relinquimus, ſatis ad noſtrum Inſtitutum putantes pauca iſta innuiſse. Unum tamen ſilentio præterire nequivimus, idque, ut manifeſtiùs appareat, quàm implacabile Hæreticorum odium in Catholicos adhuc vigeat, Edictum ſcilicet à Parlamento menſe Ianuario elapſi anni 1699. emanatum; inquo octo infra poſita Decreta leguntur.

DECRETA
PARLAMENTI ANGLICANI

Edita contra Catholicos, & totum Statum Eccleſiaſticum.

I.

NE in Anglicani Regni Throno ullus unquam Catholicus ſuccedat, & ad illam Coronam inhabilis & incapax eſſe declaratur non ſolùm qui ſit Catholicus, ſed qui vel Catholicam habeat Uxorem.

II:

Ne quis Catholicus in Hibernia lingvas aut ſcientias doceat, Scholamque teneat.

III.

III.

Ne quis Catholicus inde liberos ſuos ad exteras Nationes ſtudiorum cauſa transmittat.

IV.

Ne quis Catholicus Iurisconſultus aut Medicus ſua ibidem profeſſione fungatur.

V.

Vt ante proximas Calendas Maias Catholici Epiſcopi omnes & Prælati, ac in dignitate quacunque Eccleſiaſtica conſtituti, omnesque Regulares, & univerſi Sacerdotes etiam Sæculares, qui in Seminarijs Vltramarinis ſtuduerunt, Regno abſcedant.

VI.

VI.

Ne quis poſt illum diem hoſpitio quemquam ex prædictis Eccleſiaſticis exilio multatis excipiat, alioque beneficio afficiat.

VII.

Vt omnes iurent non ſolùm Vvilielmum III. eſſe legitimum Magnæ Britanniæ Regem, & ſe ei fore fideles, verùm eundem quoque eſſe per ſuas Ditiones Eccleſiæ Caput Supremum, iuxta iurisiurandi formulam, quæ eſt huius tenoris:

Ego N. N. declaro, quòd nullus extraneus Princeps, Perſona, aut Prælatus, aut Potentatus habeat,

habeat, aut habere debeat ullam ſuperioritatem, poteſtatem, iurisdictionem, præeminentiam, vel authoritatem Eccleſiaſticam, aut ſpiritualem in hoc Regno. Sic me Deus adiuvet.

VIII.

Omnes in Hibernia declarantur inhabiles ad obtinendum locum in Parlamento, item ad officia omnia civilia aut militaria, atque ad recipiendam ullam penſionem, remunerationem, ſalarium, aut ſtipendium à Corona ſeu Fiſco Regio, nec non ad publicum cuiuſcunque profeſſionis ſcientificę vel liberalis exercitium, niſi prius iuraverint ac ſcripto ſignaverint declarationem ſequentem:

Ego N. N. ſolemniter iuro, & ſincere coram Deo profiteor & declaro, me credere, quòd in Sacramento Cœnæ Domini nulla ſit tranſubſtantiatio elementorum panis & vini in Corpus & Sangvinem Chriſti, in, aut poſt eorum conſecrationem per quamcunque perſonam. Et quòd invocatio & adoratio B. Mariæ, vel cuiuscunque alterius Sancti, & Sacrificium Miſſæ prout de facto practicantur in Eccleſia Romana ſint ſuperſtitioſa, & Idolatrica. Et ſolemniter coram Deo profiteor & declaro, hanc me facere declarationem, & quamlibet eius partem in plano, & obvio ſenſu verborum, quæ mihi prælecta ſunt, ſicut communiter intelli-

telliguntur à Proteſtantibus, abſque ulla evaſione, æquivocatione; aut mentali reſervatione quacunque, & ſine ulla diſpenſatione ante mihi in hunc finem conceſſa per Papam, aliamve authoritatem, vel perſonam quamcunque; Nec me credere, quòd ſim, aut eſſe poſſim coram Deo, aut hominibus liber, aut abſolutus ab hac declaratione; vel ulla eius parte, etiamſi Papa, vel ulla alia perſona, aut perſonę; vel poteſtas quæcunque diſpenſaret; vel annullaret illam, aut declararet, eam fuiſſe ab initio inanem & nullam.

Iam tandem *Witcleſianam* Hæreſim Anglia ortam , Regno ſæpius pulſam, quam varijs nominibus larvatam , & veluti per ſaltus longe lateque diffuſam, noſtra qualicunque Narratione, & deteximus , hactenusque inſequti ſumus, patrio Solo, Solioque poſitam relinquimus. Quæ media inter potentiſsimas Presbyterianorum , & Independentium Factiones, utrarumque diſsidijs roboratam, trium Regnorum nobiliſsimas Nationes Evangelicæ libertatis ſpecie ſervili iugo premit atque divexat . Proh miſeranda infœlicitas , luctuque ſangvineo deploranda ! Quot capita tot Religiones. Quarum diverſitate domeſticis diſsidijs Familiæ, ſeditionibus Populi, bellis Civilibus Magnates, Rebellionibus Principes continuatis odijs percelluntur atque agitantur: Et quod miſerabilius eſt, nullum remedium, nulla ſalutis ſpes, niſi Clementiſsimus Dominus, cuius miſericordiam aſſiduis precibus pro miſerrimis Fratribus exorare Chriſtiana charitate debemus, victrici ſua gratia illorum mentes erroribus obcæcatas illuminet, ſuorumque cordium aures tot Hæreſum ſordibus obtuſas adaperiat ; ut maternos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ gemitus audientes, impia relicta Noverca, ad veræ Matris gremium redeant, cuius ductu, ſuique Sponſi Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti meritis ad Cœleſtem Hieruſalem unà ſimul lætantes pervenire poſsimus.

Caput

Caput Ultimum:

Witcleſi impoſtura, qua Auguſtinum ſuarum Hæreſum Patronum iactat, exploſa atque contuſa. Eiuſdem Hæreſes præcipua recitantur ac Sancti Doctoris Reſponſis refelluntur.

R Eſtat pro noſtri laboris Coronide ut impudentiſſimam *W*itcleſi audaciam, qua perfricta fronte Auguſtinum Parentem Sanctiſſimum & Doctorem Maximum ſuarum Hæreſum Patronum aſſerere eſt auſus ipſiusmet Sancti Patris verbis

contun-

contundamus. *Nunquid* (ſunt verba Auguſtini lib. 5. contra Iulianum cap. 7.) *vim veritatis effugere poteris, quia nobis calumniando importas ſocios falſitatis*. Hoc equidem Hæreticis inſtitutum ſemperque in more fuiſse, Scripturas Sanctas, ac veteres Eccleſiæ Patres ad incautos imperitosque decipiendos, pro ſe iactare; immo profundæ calliditatis arte, orthodoxis eorum vocibus æquivocatione aliqua interpolatis aut dolo corruptis ſuas Hæreſes obtegere ſolitaviſse paſsim edocent Eccleſiaſtica Monumenta. Sanctus Baſilius in Epiſtola 78. de Arianis ſcribit: *Convenit ut ſuſcipiantur, ſi ſe iuxta verba, quæ à Patribus noſtris Niceæ ſunt expoſita, & iuxta intellectum, qui ſane per verba illa ſignificatur, credere confiteantur. Sunt enim quidam qui in hac fide ſermonem veritatis dolo invertant, & ad ſuam ipſorum ſententiam torqueant intellectum, & verborum mentem*. Author Diſsertationis Hiſtoricæ de Uno ex Trinitate carne paſſo, Doctrina ac Eccleſiaſtica eruditione Eminentiſſimus pag. 112. Editionis Venetæ hæc de Pelagianis docet: *Nemo ignorat, Pelagianos æquivocarum vocum, ac ambiguarum propoſitionum verſutiſſimos Architectos, erroneos ſenſus verbis in ſpeciem Catholicis incruſtaſſe, ita ut ipſi pene Auguſtino fucum fecerint*. Henricus Cardinalis de Noris lib. 1. Hiſt. Pelag. cap. 19. pag. 120. Edit. Patavinæ ita pariter ſcribit: *Hæretici ne omni prorſus veterum Patrum præſidio deſtituti viderentur, ſub Ioannis Chryſoſtomi laciniis præſertim ſe ſe occultare conabantur, hinc gravis de Chryſoſtomi ſententia Auguſtinum inter & Iulianum diſputatio fuit, ut ex lib. 1. & 2. contra Iulianum patet; Sane libri primi ſexto capite hac habet Sanctus Doctor*: Ingredere S. Ioannes, ingredere, & conſide cum Fratri-

bus

bus tuis, à quibus nulla ratio, nulla tentatio te ſeparavit. Opus eſt & tua, & maxime tua ſententia; quoniam in tuis literis iſte Iuvenis invenisſe ſe putat, unde tot Sanctorum Coepiſcoporum tuorum ſe arbitratur percellere, & evacuare ſententias. Similiter Eutichiani unicam tantummodo naturam in Chriſto Domino adſtruentes, Sancti Procli Conſtantinopolitani Patriarchæ propoſitionem, *Unus è Trinitate eſt paſſus* tanquam Sectæ teſseram iactabant, immo cum à Catholicis arctius oppugnarentur, alteram, nempe famoſam illam Sancti Cyrilli, *Una natura Dei Verbi incarnata*, ad ſuam Hæreſim detorquentes, ad eam veluti ad ſacram anchoram confugiebant; Quo quidem ſenſu anathemate configitur à Synodo quinta can. 8. *Si quis &c. Unam naturam Dei Verbi incarnatam dicens, non ſic ea excipit, ſicut Patres docuerunt, quòd ex Divina natura, & humana, unitione ſecundùm ſubſiſtentiàm facta, unus Chriſtus effectus eſt, ſed ex talibus vocibus unam naturam, ſive ſubſtantiam Deitatis & carnis Chriſti introducere conatur, talis anathema ſit.*

Hac igitur prædeceſsorum Hęreticorum arte uſus *W*itcleſus, ex antiquis PP. unum præ cæteris Auguſtinum ſelegit, ut ſaltem magni Doctoris nomine ſua dogmata authoritate aliqua communiret. Auguſtinum ſemper in ore habebat; Suum ubique plenis buccis deprædicabat, tantaque verſutia proprijs Auguſtini verba infarciebat, ut Sectatores admiratione obſtupefacti haud amplius Ioannem *W*itcleſum, ſed Ioannem *Auguſtini* antonomaſtice appellarent. Audiamus *W*itcleſiſtarum Malleum Thomam *W*aldenſem tom. 1. Doctrin. fidei lib. 1. art. 2. cap. 34. *Miror ergo qua fronte impudica Auguſtinum dicit Patronum iſtius erroris in tertio Trialogi cap.* 28. Conſidero (ſunt verba *W*itcleſi)

Witcleſi, quòd à multis extraneis ac modernis diſsentio, ſed cum multis Sanctis antiquis, & ſpecialiter *Auguſtino* convenio. ***Et forſan hac audaci pompa confiſi ſui Diſcipuli vocabant eum famoſo & elato nomine Ioannem Auguſtini***. Et tom. 2. cap. 13. ***Ecce quoniam ſæpe vocas Auguſtinum tuum, tibi præ aliis offero condemnatorem tui, non Authorem. Erubeſce vel nunc proterve; & audax Hæretice, ubique caperis, non habes quò fugias***. Et cap. 16. ***Ecce quem dicis Auguſtinum tuum, & inde Sectatores tui glorianter te cognominabant Ioannem Auguſtini***. Item cap. 59. ***Planiſſime confundit Auguſtinus ſuum Witcleſum, ſuum inquam, ſed Hæreticum ſuum, falſò ſemper invocantem eum Patronum***. Quæ porro mendaciſsimi Hæretici impoſtura, ut evidentiſsima demonſtratione, Sanctiſsimi Præſulis dictis develata penitusque detrita convincatur, Witcleſi effatis Auguſtini dicta opponemus; ex quorum collatione apparebit utrumne Witcleſi Patronus extiterit Auguſtinus, an potius acerrimus hoſtis eius Hæreſes ſolidiſsime præconfutarit, funditusque deſtruxerit. Id equidem ipſi ſpecialiſsimo Dei dono datum, non ſolùm de omnibus ſui temporis Hæreſibus triumphaſſe, ſed, ſi quæ novæ in poſterum infandum caput erexiſſent, iam ſuis iugulatas ſcriptis reliquiſse; ut de Pelagiana Hæreſi ipſemet ſcribit lib. 1. Retract. cap. 9. ***Ecce tam longe antequam Pelagiana Hæreſis extitiſſet, ſic diſputavimus, velut iam contra illos diſputaremus***. Quæ Sancti Patris verba deſtruendis Witcleſi Hæreſibus quàm apte conveniant ex infra poſitis propoſitionibus manifeſtiſsime apparebit.

Propoſi-

PROPOSITIONES
WITCLEFI

Damnatæ in Concilio Conſtantienſi anno 1418. *per Bullam*

MARTINI V.

Witclef.

CHriſtus non eſt in Sacramento Altaris identice & realiter in propria præſentia corporali.

Sanctus Auguſtinus.

Sicut Mediatorem Dei, & hominum hominem Chriſtum Ieſum Carnem ſuam nobis manducandam, bibendumque Sangvinem dantem fideli corde, atque *ore* ſuſcipimus. Tom. 9. lib. 2. cont. Adverſ. legis & Prophet. cap. 9. num. 35.

Timpanizabat ad oſtia Civitatis, & ferebatur in manibus ſuis. Hoc verò fratres quomodo poſset fieri in homine quis intelligat? Quis enim portatur in manibus ſuis? Manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo David ſecundùm literam non invenimus, in Chriſto autem invenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum Corpus ſuum, ait; *Hoc eſt Corpus meum*. Ferebat enim illud Corpus

Digitized by Google

in manibus ſuis. Tom. 4. part. 1. capite 10. in pſal. 33.

Non omnis panis ſed accipiens benedictionem Chriſti fit Corpus Chriſti. Tom. 5. p. 1. ſerm. 234.

Panis ille quem videtis in Altari, ſanctificatus per verbum Dei, Corpus eſt Chriſti. Calix ille, immo quod habet Calix, ſanctificatum per verbum Dei, Sangvis eſt Chriſti. Ibidem ſerm. 227.

Ut Mediator eſset Dei & hominum, ſe ipſum illis dans cibum per Sacramentum Corporis & Sangvinis ſui: *Et infra*: Angelis enim Cibus eſt in quantùm eſt Verbum Dei apud Deum; Lapidibus autem (*ideſt hominibus*) ut Cibus eſset, Verbum caro factum eſt & habitavit in nobis. Tom. 3. part. 1. pag. 672. in cap. 38. Iob verſu 38.

Witclef.

Non eſt fundatum in Evangelio, quod Chriſtus Miſsam ordinaverit.

S. Auguſtinus.

Ipſe eſt etiam Sacerdos noſter in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedec, qui ſe ipſum obtulit Holocauſtum pro peccatis noſtris, & eius Sacrificij ſimilitudinem celebrandam in ſuæ paſsionis memoriam commendavit, ut illud quod Melchiſedec obtulit Deo, iam per totum Orbem terrarum in Chriſti Eccleſia videamus offerri. *Infra*. Et Holocauſti eius imaginem ad memoriam paſsionis ſuæ in Eccleſia celebrandam dedit, ut eſſet Sacerdos in æternum non ſecundùm ordinem Aron, ſed ſecundùm ordinem Melchiſedec. Tom. 6. lib. 83. quæſt. 61. num. 2.

Wit-

Witclef.

Si Epiſcopus vel Sacerdos exiſtat in peccato mortali non ordinat, non conſecrat, non conficit, non baptizat.

S. Auguſtinus.

Addo etiam ad hoc eſse melius, ut ille cui miniſtratur, miniſtri boni probitatem ac ſanctitatem diligendo facilius imitetur: Sed non ideò veriora & ſanctiora ſunt quæ miniſtrantur, quia per meliorem miniſtrantur. Illa namque per ſe ipſa vera & Sancta ſunt propter Deum verum & Sanctum cuius ſunt, & ideo fieri poteſt, ut accedens ad ſocietatem populi Dei, alium inveniat à quo facilè baptizetur, alium eligat quem ſalubriter imitetur. Certus eſt enim Sanctum eſse Sacramentum Chriſti, etiam ſi per minus Sanctum, vel non Sanctum hominem miniſtratum eſt. Tom. 9. lib. 4. cont. Creſconium Gram. cap. 20. nu. 23.

Witclef.

Deus debet obedire Diabolo.

S. Auguſtinus.

Diabolo poteſtas quædam eſt; plerunque tamen vult nocere, & non poteſt; quia poteſtas iſta ſub poteſtate eſt. Nam ſi tantùm poſſet nocere Diabolus quantùm vult, non aliquis iuſtorum remaneret, aut aliquis Fidelium eſset in terra Tomo 4. p. 1. in pſal. 61. num. 20.

Quia nec ipſe Diabolus à poteſtate Omnipotentis alienus

eſt, ſicut neque à bonitate. Nam & maligni Angeli unde qualicunque ſubſiſterent vita, niſi per eum, qui vivificat omnia. Tom. 8. lib. 13. de Trinit. cap. 12. num. 16.

Witclef.

Si homo fuerit debite contritus, omnis confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua & inutilis.

S. Auguſtinus.

Nemo ſibi dicat, occulte ago, apud Deum ago. Novit Deus, qui mihi ignoſcat quia in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt. Quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in Cœlo? Ergo ſine cauſa ſunt claves datæ Eccleſiæ Dei? Fruſtramus Evangelium, fruſtramus verba Chriſti. Tom. 5. part. 2. ſerm. 392. cap. 3.

Witclef.

Si Papa ſit præſcitus & malus, & per conſequens membrum Diaboli non habet poteſtatem ſuper fideles ſibi ab aliquo datam, niſi forte à Cæſare.

S. Auguſtinus.

In illum autem ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro uſque ad Anaſtaſium, qui nunc eandem Cathedram ſedet; etiamſi quiſquam traditor per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil preiudicaret Eccleſiæ & innocentibus Chriſtianis, quibus Dominus providens, ait de Præpoſitis malis: quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite; dicunt enim, & non faciunt.

ciunt. Ut certa ſit ſpes fidelis, quæ non in homine; ſed in Domino collocata, nunquam tempeſtate ſacrilegi Schismatis diſſipetur. Tom. 2. Epiſt. 53. num. 3.

Witclef.

Poſt Urbanum VI. non eſt aliquis recipiendus in Papam; ſed vivendum eſt more Grecorum ſub legibus proprijs.

S. Auguſtinus.

Quid tibi fecit Eccleſia, ut eam velis quodamodo decollare? Tollere vis Eccleſiæ Caput, & Capiti credere, corpus relinquere quaſi exanime corpus. Tom. 5. ſerm. 129. num. 9.

Witclef.

Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, niſi prius ſciat eum excommunicatum à Deo, & qui ſic excommunicat fit ex hoc Hæreticus, vel excommunicatus: Excommunicatio Papæ, vel cuiuſcunque Prælati non eſt timenda, quia eſt cenſura Antichriſti.

S. Auguſtinus.

Nam ſi in Petro non eſset Eccleſiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus, tibi dabo claves Regni Cœlorum. quæcunque ſolveris in terra, ſoluta erunt & in Cœlo; & quæcunque ligaveris in terra, ligata erunt & in Cœlo. Si hoc Petro tantum dictum eſt, non facit hoc Eccleſia, ſi autem & in Eccleſia fit, ut quæ in terra ligantur, in Cœlo ligentur, & quæ ſolvuntur in ter-

ra

ra ſolvantur in Cœlo: quia cum excommunicat Eccleſia, in Cœlo ligatur excommunicatus, cum reconciliatur ab Eccleſia, in Cœlo ſolvitur reconciliatus. Tom. 3. part. 2. tract. 50. in Ioan. num. 12.

Claves quippe Regni Cœlorum ſic dedit Chriſtus Eccleſiæ, ut non ſolùm diceret, quæ ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlis; ubi apertiſsime bonum, non malum pro malo reddit Eccleſia: Verùm & adiungeret, quæ ligaveritis in terra, erunt ligata & in Cœlo; quia bona eſt & vindicandi iuſtitia. Illud enim quod ait, ſi nec Eccleſiam audierit, ſit tibi tanquam ethnicus, & publicanus, gravius eſt quàm ſi gladio feriretur, ſi flammis abſumeretur, ſi Feris ſubijceretur. Tom. 8. lib. 1. cont. Advers. legis cap. 17. num. 36.

Witclef.

Illi qui dimittunt prædicare, ſive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, ſunt excommunicati, & in Dei iudicio traditores Chriſti habebuntur. Licet alicui Diacono vel Presbytero prædicare verbum Dei abſque authoritate Sedis Apoſtolicæ ſive Epiſcopi Catholici.

S. Auguſtinus.

Videtis Fratres: Credimus in Ieſum, quem non vidimus. annuntiaverunt eum qui viderunt, qui contrectaverunt, qui verbum ex ore ipſius audierunt, & ut hæc perſuaderent Generi humano ab illo miſsi ſunt, non à ſe ipſis ire auſi ſunt, & quò miſsi ſunt? Audiſtis cum Evangelium legeretur. Ite prædicate Evangelium univerſæ creaturæ, quæ ſub Cœlo eſt. Tom. 3. parte 2. tract. 4. in Epiſt. Ioan. num. 2.

Witclef.

Witclef.

Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus dum eſt in peccato mortali.

S. Auguſtinus:

Quæ cum ita ſint non tribuamus dandi Regni, atque imperij poteſtatem niſi Deo verò, qui dat fœlicitatem in Regno Cœlorum ſolis pijs; Regnum verò terrenum & pijs, & impijs, ſicut ei placet, cui nihil iniuſte placet. Tom. 7. lib. 5. de Civit. Dei cap. 21.

Sed huius vitij ſummitatem, & quaſi arcem quandam Nero Cæſar primus obtinuit. Cuius fuit tanta luxuries, ut nihil ab eo putaretur virile metuendum: tanta crudelitas, ut nihil molle habere crederetur, ſi neſciretur, Etiam talibus tamen dominandi poteſtas non datur niſi ſummi Dei providentia, quando res humanas iudicat talibus Dominis dignas. Aperta de hac re vox Divina eſt; loquente Dei ſapientia: Per me Reges regnant, & Tyranni per me tenent terram. Tom. 7. lib. 5. de Civit. Dei cap. 19.

Quod uſque adeo Cœleſtis Magiſter cavendum præmonuit, ut etiam de Præpoſitis malis plebem ſecuram faceret, ne propter illos doctrinæ ſalutaris Cathedra deſeretur, in qua coguntur etiam mali bona dicere. Neque enim ſua ſunt quæ dicunt, ſed Dei, qui in Cathedra unitatis doctrinam poſuit veritatis. Tom. 2. epiſt. 105. num. 16.

Witclef.

Speciales orationes applicatæ uni perſonæ per Prælatos, vel

vel Religioſos non plus proſunt eidem, quàm generales cæteris paribus.

S. Auguſtinus.

Præceperat enim Apoſtolus, ut oraretur pro omnibus hominibus, & ſpecialiter addiderat pro Regibus, & ijs, qui in ſublimitate ſunt, qui putari poterant faſtu & ſuperbia ſæculari à fidei Chriſtianæ humilitate abhorrere. Tom. *6.* in Enchirid. cap. 103.

Witclef.

Omnes de ordine Mendicantium ſunt Hæretici.

S. Auguſtinus.

Merito inſultant nomini unitatis qui ſe ab unitate præciderunt. Merito illis diſplicet nomen Monachorum, quia illi nolunt habitare in unum cum fratribus, ſed ſequentes Donatum, Chriſtum dimiſerunt. Tom. 4. parte 2. in pſal. 132. num. *6.*

Witclef.

Si aliquis ingreditur Religionem privatam qualemcunque tam poſſeſſionatorum, quam Mendicantium, redditur ineptior, & inhabilior ad obſervationem mandatorum Dei.

S. Auguſtinus.

Sed ſi hoc excedit noſtram tolerantiam, quis non illos miretur, & prædicet, qui contemptis atque deſertis Mundi

Mundi huius illecebris in communem vitam caſtiſsimam ſanctiſsimamque congregati ſimul ætatem agunt viventes in orationibus, in lectionibus, in diſputationibus: nulla ſuperbia tumidi, nulla pervicacia turbolenti, nulla invidentia lividi, ſed modeſti, verecundi, pacati, concordiſsimam vitam & intentiſsimam in Deum, gratiſsimum munus ipſi offerunt, à quo iſta poſſe meruerunt. Tom 1. de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 31. num. 67.

Witclef.

Sancti inſtituentes Religiones privatas ſic inſtituendo peccaverunt. Peccant fundantes Clauſtra, & ingredientes ſunt Viri Diabolici. Auguſtinus, Benedictus, Bernardus damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc quòd habuerint poſſeſsiones, & intraverint Religiones, & ſic à Papa uſque ad ultimum Religioſum omnes ſunt Hæretici.

S. Auguſtinus.

Deinceps perrexit ore maledico in vituperationem Monaſteriorum & Monachorum, arguens etiam me, quod hoc genus vitæ à me fuerit inſtitutum. Tom. 9. lib. 3. cont. literas Petiliani cap. 40. num. 48.

Sed tu qui tam crebro nobis Manichæorum nomen opponis, quos, & quales viros, & quantos fidei Catholicæ defenſores tam execrabili criminatione appetere audeas, ſi evigilas intuere. Tom. 10. lib. 1. cont. Iulianum cap. 3. num. 5.

Crederem te, fateor, quid mali facias ignorare, nec impudentiæ, ſed imprudentiæ tuæ tribuerem, quod hæc Lumina Civitatis Dei audes hoſtiliter inſectari, quæ ſectari fideliter debuiſti. Tom. 10. lib. 1. cont. Iulianum cap. 4. num. 11.

Witclef.

Religioſi viventes in Religionibus privatis non ſunt de Religione Chriſtiana.

S. Auguſtinus.

Multi enim fortes erant, & multas perſequtiones paſsi ſunt. Sed ſi neque à barba deſcendiſset ungventum, modo Monaſteria non haberemus. Sed quia deſcendit & in oram veſtimenti: ſic enim ait, quod deſcendit in oram veſtimenti eius. Sequta eſt Eccleſia de veſte Domini, peperit Monaſteria. Tom. 4. part. 2. in pſalm. 132. num. 9.

Witclef.

Fratres tenentur per labores manuum victum aquirere, & non mendicitatem.

S. Auguſtinus.

Iſti autem fratres noſtri temere ſibi arrogant, quantum exiſtimo quòd eiusmodi habeant poteſtatem. Si enim Evangeliſtæ ſunt, fateor, habent: Si Miniſtri Altaris, diſpenſatores Sacramentorum, bene ſibi iſtam non arrogant, ſed plane vindicant poteſtatem; Si ſaltem habebant aliquid in hoc ſeculo, quo facile ſine opificio ſuſtentarent iſtam vitam, quod converſi ad Deum indigentibus diſpertiti ſunt, & credenda eſt eius infirmitas & ferenda; Solent enim tales, non melius, ſicut multi putant, ſed quod eſt verum langvidius educati laborem operum corporalium ſuſtinere non poſse.

Tom.

Digitized by Google

Tom. 6. de opere Monachorum cap. 21. pag. 491. Qui ergo non poſsunt facere quòd Paulus & manibus ſuis ſe tranſigant, accipiant de lacte ovium, ſuſtineant ſuam neceſsitatem. Tom. 5. parte prima ſerm. 46. cap. 2. num. 5.

Witclef.

Omnes ſunt Simoniaci, qui ſe obligant orare pro alijs, eis in temporalibus ſubvenientibus.

S. Auguſtinus.

Eſt itaque quidam vitæ modus, nec tam malæ ut ijs qui ea vivunt nihil profit ad capeſſendum Regnum Cœlorum largitas eleemoſynarum, quibus etiam iuſtorum ſuſtentatur inopia, & fiunt amici, qui in tabernacula æterna ſuſcipiant: Nec tam bonæ, ut ad tantam beatitudinem adipiſcendam eis ipſa ſufficiat, niſi eorum meritis, quos amicos fecerint, miſericordiam conſequantur. Tom. 7. lib. 21. de Civit. Dei cap. 27. num: 5.

Witclef.

Oratio præſciti nulli valet.

S. Auguſtinus.

Cum etiam certum ſit, quia peccatores Deus audit: quod quidem invenitur in Scripturis. Balaam Propheta non de populo Iſrael, ſed alienigena, conductus ab inimico, ut populo Dei malediceret; converſus à Domino ad benedicendum eſt: Cuius verba omnia benè

imprecantis audimus & legimus; & cum aliud haberet in voto, verba tamen precantis & bona ſunt, & pro populo exaudiuntur à Domino. Tom. 9. lib. 2. cont. epiſt. Parmeniani cap. 8. num. 17.

Witclef.

Omnia de neceſsitate abſoluta eveniunt.

S. Auguſtinus.

Quis tam ſit mente cæcus ut non videat, ſicut homo eſt primitus conditus, magnum bonum eſse naturæ poſse non peccare; quamvis maius ſit non poſse peccare. Tom. 10. part. 2, lib. 5, operis imperf. num. 56.

Item quod ait (Pelagius) à memorato dictum eſse Presbytero [nempe Hieronymo] *liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutem nec ad vitia* neceſsitate trahimur; *alioquin ubi neceſsitas, nec corona eſt*. Quis non agnoſcat? Quis non toto corde ſuſcipiat? Quis aliter conditam humanam neget eſse naturam? Tom. 10. p. 1. pag. 161. de natura & gratia.

Witclef.

Univerſitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magiſteria in eisdem ſunt vana Gentilitate introducta, & tantum proſunt Eccleſiæ ſicut Diabolus.

S. Auguſtinus.

Et Magiſtrum quidem, quòd ſe eſse dicit, nemo reprehenderet, etiam qui eum nihil eſse aliud, quàm hominem crederet: Quoniam id profitetur, quod & ipſi homines

homines in quibuslibet artibus usque adeo ſine arrogantia profitentur, ut Profeſsores vocentur. Tom. 3. tract. in Ioan. num. 3.

Novit charitas veſtra omnes nos unum Magiſtrum habere; & ſub illo condiſcipulos eſse: Nec ideo Magiſtri veſtri ſumus, quia de loco ſuperiori loquimur vobis; ſed Magiſter eſt omnium, qui habitat in omnibus nobis. Ipſe modo in Evangelio nobis omnibus loquebatur, & dicebat nobis, quod etiam ego dico vobis. De verbis Domini ſuper Ioan. Tom. 5. part. 1; ſerm. 134. cap. 1.

Witclef.

Ditare Clerum eſt contra regulam Chriſti. Silveſter Papa, & Conſtantinus Imperator erraverunt Eccleſiam dotando. Imperator & Domini Sæculares ſunt ſeducti à Diabolo, ut Eccleſiam dotarent bonis temporalibus.

S. Auguſtinus.

Si autem ut teneantur iſta ab hominibus, iura acceperunt Regum, vultis recitemus leges, ut gaudeatis, quia vel unum hortum habetis, & non imputetis, niſi manſuetudini Columbæ, quia vel ibi vobis permittitur permanere? Legentur enim leges manifeſtæ, ubi præceperunt Imperatores, eos, qui præter Eccleſiæ Catholicæ Communionem uſurpant ſibi nomen Chriſtianum, nec volunt in pace colere pacis authorem, nihil nomine Eccleſiæ audeant poſsidere. *Infrà*. Ergo fratres mei, ſi utique non habent, quod dicant, ego dico quid faciant. Veniant ad Catholicam, & nobiſcum habebunt non ſolum terram, ſed etiam illum qui fecit Cœlum, & terram Tom. 3. trac. 6. in Evang. Ioan. num. 25.

Quidquid ergo nomine Eccleſiarum partis Donati poſsidebatur,

debatur, Chriſtiani Imperatores legibus Religioſis cum ipſis Eccleſijs ad Catholicam tranſire iuſſerunt. Tom. 3. Epiſtola 185. ad Bonifacium pag. 657. num. 36.

Witclef.

Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, eò ipſo inhabiles ſunt ad obſervanda Divina præcepta, & per conſequens ad perveniendum ad Regnum Cœlorum, niſi apoſtataverint ab ipſis.

S. Auguſtinus.

Quid autem ait de quibusdam qui voverunt, & non rediderunt? Habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quid eſt primam fidem irritam fecerunt? Voverunt, & non rediderunt. Nemo ergo poſitus in Monaſterio Frater, dicat: Recedo de Monaſterio: Neque enim ſoli, qui ſunt in Monaſterio perventuri ſunt ad Regnum Cœlorum, & illi qui ibi non ſunt ad Deum non pertinent. Reſpondetur ei: Sed illi non voverunt, tu voviſti, tu retro reſpexiſti. Tom. 4. p. 1. in pſal. 75. num. 16.

Witclef.

Contra Scripturam Sacram eſt, quòd viri Eccleſiaſtici habeant poſſeſsiones. Papa cum omnibus Clericis ſuis poſſeſsionem habentibus ſunt Hæretici, eò quòd poſſeſſiones habent; & conſentientes eis, omnes videlicet Domini Sæculares, & cæteri Laici.

S. Auguſtinus.

Quare habuit loculos, cui Angeli miniſtraverunt, niſi quia Eccleſia

Eccleſia ipſius loculos ſuos habitura erat. Tom. 3. trac. 50. in Ioan. num. 11.

Ipſe Dominus loculos habebat quò mittebantur neceſsaria, & poſſidebantur nummi propter uſus eorum, qui cum illo erant, & eius. Tom. 4. part. 2. in pſalm. 103. num. 11.

Fiſcus ſaccus eſt publicus. Ipſum habebat Dominus hîc in terra, quando loculos habebat. Tom. 4. part. 2. in pſal. 146. num. 17.

Witclef.

Eccleſia Romana eſt Synagoga Satanæ, nec Papa eſt proximus, & immediatus Vicarius Chriſti & Apoſtolorum. Non eſt de neceſsitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias.

S. Auguſtinus.

Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum, fructumque videamus, dubitamus nos eius Eccleſiæ condere gremio, quæ uſque ad confeſsionem generis humani ab Apoſtolica Sede per ſucceſsiones Epiſcoporum, fruſtra Hæreticis circumlatrantibus & partim plebis ipſius iudicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam Miraculorum maieſtate damnatis culmen authoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ. Tom. 8. de Utilitate credendi cap. 17.

Quid agis? quò te convertes? Quam libri à te prolati originem, quam vetuſtatem, quam ſeriem ſucceſsionis teſtem citabis? Nam ſi hoc facere conaberis & nihil valebis: & vides in hac re quid Eccleſiæ Catholicæ valeat authoritas, quæ ab ipſis fundatiſsimis Sedibus Apoſto-

Apoſtolorum uſque ad hodiernum diem ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione firmatur. Tom. 8. lib. 11. cont. Fauſtum cap. 2.

Witclef.

Decretales Epiſtolæ ſunt apocryphæ, & ſeducunt à fide Chriſti: & Clerici ſunt ſtulti qui ſtudent eis.

S. Auguſtinus.

Hanc eius prælocutionem venerabilis Papa Zozimus tenens egit cum homine, quem falſæ doctrinæ ventus inflaverat, ut ea quæ illi à Diacono Paulino fuerant obiecta damnaret, atque ut Sedis Apoſtolicæ literis, quę à ſanctæ memoriæ ſuo præceſsore manaverant præberet aſſenſum. At ille noluit quidem Diaconi obiecta damnare, ſed Beati Papæ Innocentij literis non eſt auſus obſiſtere, immo ſe omnia, quæ Sedes illa damnaret damnaturum ſe eſse promiſit. Tom. 10. par. 1. lib. 2. de pec. Orig. cont. Pelagium, & Cœleſtium cap. 7.

Witclef.

Iuramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad corroborandum humanos contractus, & commercia civilia.

S. Auguſtinus.

Si tamen illud non adhuc movet, quod in novo Teſtamento dictum eſt: Ne omnino iuremus. Quod quidem mihi propterea dictum videtur, non quia verum iurare peccatum eſt, ſed quia periurare immane peccatum eſt. Tom. 2. epiſt. 47. num. 2.

Witclef

Witclef.

Nos non debemus preſtare aut donare aliquid peccatori, dum cognoſcimus ipſum eſse talem, quia ſic foveremus proditorem Dei noſtri.

S. Auguſtinus.

Ne tradas peccatori, & ne ſuſcipias peccatorem: & tamen omni petenti te da. Sed peccator eſt qui me petit, da, non tanquam peccatori. Quando das tanquam peccatori? Quando in quo peccator eſt hoc tibi placet ut des: Paululum attendat charitas veſtra, donec evolvatur res etiam exemplis, multum utilis ad intelligendum. Hoc dixit, cum eſurierit neſcio quis, ſi habes unde des, da: Si vides dandum eſse ad ſubveniendum, da. Nec pigreſcant in hoc viſcera miſericordiæ, quia tibi peccator occurrit! Tibi enim homo peccator occurrit; Cum dico, occurrit tibi homo peccator, duo nomina dixi. Hæc duo nomina non ſuperflua ſunt. Duo nomina, aliud quod homo, aliud quod peccator. Quod homo opus eſt Dei: Quod peccator opus hominis eſt. Da operi Dei noli operi hominis. Et quomodo, inquis; me prohibes dare operi hominis? Quid eſt dare operi hominis? Peccatori dare propter peccatum, placenti tibi propter peccatum. Tom. 4. part. 2. in pſalm. 102. num. 13.

Witclef.

Quod Papa ſit Summus Pontifex eſt ridiculum. Et Chriſtus nec in Petro, nec in alio talem approbavit dignitatem.

S. Auguſtinus.

Hoc agit Eccleſia ſpe beata in hac vita ærumnoſa, cujus Eccleſiæ Beatus Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui primatum gerebat figurata generalitate perſonam. Quod enim ad ipſum proprie pertinet, natura unus homo erat, gratia unus Chriſtianus, abundantiore gratia unus idemque primus Apoſtolus: Sed quando ei dictum eſt: Tibi dabo claves Regni Cœlorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis: Et quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis. Univerſam ſignificabat Eccleſiam, quæ in hoc ſæculo diverſis tentationibus velut imbribus, fulminibus, tempeſtatibus quatitur, & non cadit. Tom. 3. part. 2. tract. 124. in Ioan. num. 5.

Witclef.

Quantum ad oleum quo Epiſcopi ungunt pueros, & peplum lineum quod complexum eſt capiti, videtur quod ſit Ritus levis, infundabilis ex Scriptura, & quòd iſta confirmatio introducta ſuper Apoſtolos blaſphemat in Deum.

S. Auguſtinus.

Et in hoc Ungvento Sacramentum Chriſmatis vultis interpretari, quod quidem in genere viſibilium ſignaculorum Sacroſanctum eſt, ſicut ipſe Baptiſmus. Tom. 9. lib. 2. cont. lit. Petiliani cap. 104.

Witclef.

Diffinientes, parvulos fidelium ſine Sacramentali Baptiſmo

mo decedentes non fore ſalvandos, ſunt in hoc ſtolidi, & præſumptuoſi.

S. Auguſtinus.

Si autem non eruitur à poteſtate tenebrarum, & illic remanet parvulus; Quid miraris in igne æterno cum Diabolo futurum, qui in Dei Regnum intrare non ſinitur? An quia Pelagiani neſcio quem parvulis non baptizatis præter Dei Regnum, quietis & vitæ æternæ locum præparant, ideo Chriſti erit falſa ſententia: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Qui autem non crididerit; condemnabitur. Tom. 10. part. 2. lib. 3. operis imperfecti contra Iulianum capite 199.

Witclef.

Quodlibet eſt Deus. Quælibet creatura eſt Deus. Ubique omne ens eſt, cum omne ens ſit Deus.

S. Auguſtinus.

In hac enim ſententia maxime duo ſunt neceſsaria, quæ mecum intuearis peto. Unum quia, ſi creatura aliena eſset à Deo, non eius Creator Deus ab Apoſtolo diceretur. Alterum quia ſi unius eiusdemque ſubſtantiæ creator & creatura eſsent, non reprehenderentur, quia ſervierunt creaturæ potius quàm creatori; Quoniam cuicunque ſerviſsent, ab eadem natura, atque ſubſtantia non receſsiſsent. Quomodo enim nemo poteſt ſervire Filio, qui non ſerviat & Patri, quia utriusque eſt una ſubſtantia. Sic nemo poteſt ſervire Creaturæ, niſi ſerviens Creatori ſi eſset utrisque una ſub-

ſtantia. Unde ſi iam diſcernis, & ſapis, plurimum attenderes eſse inter Creatorem & creaturam. Tom. 8. lib. cont. Secundinum Manichæum cap. 7.

Witclef.

Deus nihil poteſt annichilare, nec Mundum maiorare, vel minorare; ſed animas uſque ad certum numerum creare & non ultra.

S. Auguſtinus.

Vtrum autem aliqua natura, hoc eſt ſubſtantia, proríus ad nihilum redigatur, diſputatio ſubtiliſsima eſt. Sed fides veraciſsima Deo cantat: mutabis ea, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es. Tom. 8. lib. 1. cont. Advers. legis & Prophet. cap. 6.

Omnipotens eſt ad facienda maiora, & minora: Omnipotens eſt ad facienda Cœleſtia, & terreſtria: Omnipotens eſt ad facienda immortalia, & mortalia: Omnipotens eſt ad facienda ſpiritualia, & corporalia: Omnipotens eſt ad facienda viſibilia, & inviſibilia. Magnus in magnis, nec parvus in minimis. Poſtremo Omnipotens eſt ad facienda omnia, quæ facere voluerit. Iam ego dico, quanta non poſsit. Non poteſt mori, non poteſt peccare, non poteſt mentiri, non poteſt falli. Tanta non poteſt, quæ ſi poſset non eſset Omnipotens. Tom. 5. parte 1. ſerm. 213. de Tempore, cap. 1.

Neceſſa-

Neceſsarios articulos ſermonis tui quantum me adiuuat Dominus compræhendo, atque confringo; ut totum Corpus victum iacere conſpiciat, qui & illa tua, & hæc noſtra perlegerit.

S. Auguſtinus lib. 4. contra Iulianum Cap. 9.

F I N I S.

Digitized by Google

INDEX

A

Sanctus Albanus Anglorum Protomartyr. *pag.* 57.
Alicia Perſia Regis Eduardi deliciæ. *pag.* 34. *Eius ſuaſu Rex multa contra Clerum ſanciri iubet*. *Ibidem*. *Witclefum protegit*. *pag.* 37. *Ne Epiſcopi in Witclefum agant impedit*. *pag.* 38.
Ancillæ quas Plinius Proconſul tormentis ſubiecit erant Diaconiſſæ. *pag.* 246.
Andreæ Arnoldi opinio de S. Petri Denario refellitur. *pag.* 43.
Anglicani Præſules ob ortum in Romana Eccleſia Schisma Oxonio ad proprias ſedes ſe conferunt *pag.* 115. *Suas Diœceſes ab Witclefi Lolio expurgant* *pag.* 297.
Angliæ Magnates in Richardum conſpirant *pag.* 287. *Henricum Lanchaſtrium ad Sceptrum vocant*. *Ibidem*.
Angliæ Regnum tempore Schismatis vero Pontifici adhæret. *pag.* 115.
Anna Regina Richardi Uxor moritur. *pag.* 283.

S. An-

S. *Anſelmus non fuit Author Operis de divinis Officijs. pag.* 94.
Antonius Magliabeccus Magni Etrurię Ducis Bibliothecarius. 42. 365.
Argathelię Marchio Caroli I. Regis in Scotia proditor. pag. 364.
S. *Auguſtini Reſponſa ad propoſitiones Wiclefi. pag.* 385.
S. *Auguſtinus Monachus à S. Gregorio Magno in Angliam miſsus. pag.* 14.

B

BAptiſterium inſigne in Templo Sancti Albani: pag. 62.
Baptizandi in primæva Eccleſia denudabantur, terque ſacris aquis immergebantur pag. 265.
Bartholomæus Butillus Archiepiſcopus Barrenſis eligitur Pontifex. pag. 129. *Coronationis inſignia ſuſcipit & Urbanum VI. ſe nominat. pag.* 131. *Cardinales Simoniacos puniturum minitatur. pag.* 133. *Scribit ad Archiepiscopum Colonienſem pag.* 134. *Neapolim proficiſcitur. pag.* 159. *Nuceriam ſe confert, inde Genuam navigat. Ibidem.*
Bedę error de annis Conſulatus Mauricij pag. 18.
Benedictus XI. Peruſij veneno occiditur. pag. 116. *Eius Epitaphium. pag.* 117.
Beraldus Archiepiſcopus Lugdunenſis, poſtea Cardinalis Albanenſis à Bonifacio VIII. in Gallias & Angliam Legatus mittitur. pag. 121.
Berengarius Archidiaconus Andegavenſis. pag. 81. *Non admiſit veram impanationem. pag.* 82. *Quoties damnatus. Ibidem. Multoties relapſus. pag.* 86.

In

in Concilio Turonenſi Hęreſim eiurat. ibidem. Romam vocatus ſe confert. pag. 87. *Sua ſcripta proprijs manibus comburit. pag.* 88. *Iterum ſub Gregorio VII. Romam petit, eiuratiſque Hęreſibus veniam obtinet. pag:* 89. *Prope nonagenarius pœnitens moritur. ibidem.*

Bernardinus Ochinus Senenſis Capucinus Apoſtata: pag. 312.

S. Bonifacij Epiſtola ad Archiepiſcopum Cantuarienſem. pag. 63.

Bonifacij VIII. epiſtola ad Eduardum Anglię Regem. pag. 121.

Britannorum error in celebrando Paſchate. pag. 48. *Romana Eccleſia Ritum recipiunt. pag.* 52. *Non fuerunt Haretici neque Schiſmatici. pag.* 50.

C

CAin nomen poſſeſsio. pag. 10. *Ab Witclefo corruptum. pag.* 11.

Cardinales relicto Urbano Fundos ſe conferunt. pag. 134. *Cardinalem Gebennenſem in Pſeudopontificem eligunt. ibidem: Avenionem proficiſcuntur. ibidem. Mortuo Gebennenſi eligunt Petrum de Luna Hiſpanum. pag.* 135: *Inde Ægidium Munionum pariter Hiſpanum. ibidem.*

Carolus Bluntus Hiberniæ Prorex Hibernos fundit: pag. 349. *Propugnaculum Armacham prope ſtruit: ibidem. Dublinum triumphans intrat. ibidem: Ad Kinſalam Hibernos ſuperat: pag.* 352. *Hiſpanos ad deditionem cogit: ibidem. In Catholicos Hibernos barbare deſævit. ibidem.*

Carolus I. Magnæ Britanniæ Rex ob Religionis Catholicæ

tholica ſuſpicionem à ſubditis exagitatur. pag. 364. 367. Victus Scotorum fidei ſe committit. ibidem. Infami proditione hoſtibus traditur. ibidem. Iudicio Rebellium ſiſtitur. pag. 365. Securi percutitur. ibidem.

Carolus II. Magnæ Britanniæ Rex conclamatur. pag. 369. Tria Edicta contra Catholicos publicat. pag. 370. Novum Parlamentum convocat. pag. 372.

Carolus Comes Roſſetus ad Angliæ Reginam Summi Pontificis Nuntius. pag. 364.

Cedevalla Rex Romam petit. pag. 44. à Summo Pontifice baptizatur. ibidem.

Cæſaris Cardinalis Baronij error de annis Imperij Mauricij. pag. 16.

Chriſtiani Lupi varia opinio de Authore Operis de divinis Officijs. pag. 98. Eiusdem opinio de Presbyteriſsis expenditur ac reicitur. pag. 207. Tertulliani, ac Chryſoſtomi teſtimonia pro ſe perperam citat. pag. 209. Eiusdem ſententia de Presbyteriſſarum Officijs refellitur. pag. 216. Multa ac varia eius de Diaconiſsis Aſſerta reprobantur. pag. 245. & ſeq.

Claudius Salmaſius contra Miltonum ſcribit. pag. 359. Impias Anglorum Hæreſes recenſet. ibidem. Carolum Regem ab impoſturis Miltoni vindicat pag. 363.

Colmanus Eques pro Religione Catholica obtruncatus. pag. 371.

Collegia Sacerdotalia Romanorum. pag. 198.

Conradus Archiepiſcopus Pragenſis Huſsita Magicę Arti deditus. pag. 304. Miſere perit. pag. 305.

Conſtantinus Copronymus. pag. 46.

Conſtantinus Magnus infame Veneris delubrum fundi-

funditus deleri iubet. *pag.* 182.
Conſtitutiones Apoſtolicæ Concilio Nicæno antiquiores. *pag.* 246.

D

DEnarius Divi Petri. *pag.* 40. *Romanæ Eccleſiæ Vectigal*. *pag.* 41. *Romeſcot*. *pag.* 42 *Cur S. Petri vocatus*. *pag.* 59. *Solvebatur in Feſto S. Petri ad Vincula*. *ibidem*. *Ab Henrico VIII. abrogatus*, *à Maria reſtitutus*; *tandem ab Eliſabetha penitus ſublatus*. *pag.* 62.
Dertuſanum Concilium in Hiſpania celebratum Præſidente Cardinale de Fuxo. *pag.* 135.
Diaconiſſarum origo. *pag.* 241. *Nomen Diacona antiquiſſimum in Eccleſia Orientali ante Nicænum Concilium*. *ibidem*. *Erant Virgines vel Viduæ univiræ*. *pag.* 250. *Ab Epiſcopis ordinabantur*. *pag.* 251. *Earum ordinatio non erat Sacramentalis*, *ſed pure ceremonialis*. *pag.* 257. *Earum Officia*. *pag.* 263. *Primitus abrogata in Eccleſia Gallicana*. *pag.* 268. *Poſtea in Romana Eccleſia*. *pag.* 278. *Tandem in Orientali*. *pag.* 279.
Domitius Hurleus Archiepiſcopus Caſſilienſis in Momonia pro fide Catholica crudeliter necatur. *pag.* 339.
O-Donell Tir-Conelliæ Dynaſta Hibernus Catholicorum Dux. *pag.* 340. *Oppidum Donegall obſidet*. *pag.* 350. *Soluta obſidione in Momoniam ſe confert*. *ibidem*. *Cum Anglis Hæreticis infæliciter pugnat*. *pag.* 351. *In Hiſpaniam relicta Patria proficiſcitur*. *pag.* 352.

E

E

Eccleſia Catholica ab occultis nuptijs ſemper abhorruit pag. 216.

Eccleſia Latina Diaconiſſas habebat. pag. 267.

Eduardus III. Angliæ Rex Bullam Papæ exequi prohibet. pag. 7. *Witcleſo favet. pag.* 8. *Aliciam Perſiam deperit. pag.* 34. *Eius ſuaſu multa in Clerum ſanciri iubet. ibidem. In Romanum Pontificem. pag.* 36. *Eius reſponſio ad Pontificis monita. ibidem. Mentis infirmitate laborat. pag.* 37. *Moritur. pag.* 39. *Nunquam abrogavit S. Petri Denarium pagina* 41.

Eduardus VI. Angliæ Rex Henrico Patri ſuccedit. pag. 312. *Veneno occiditur. pag.* 316.

Eduardus Seimerus Eduardi Regis Avunculus & Tutor. pag. 312. *Regem Hæreſi imbuendum curat. ibidem. Catholicis prohibet concionari, Hæreticis permittit. ibidem. Academiarum Cathedras eiectis Catholicis, Hæreticis confert. ibidem. Quatuor Epiſcopos in carcerem trudit. pag.* 314. *Thomam fratrem capite plecti iubet. pag.* 315. *Ultimo ſuplicio afficitur. ibidem.*

Elizabetha Angliæ Regina Eccleſiæ Anglicanæ Papiſſa. pag. 195. *Eius Natalis dies rubris, Deiparæ atris literis in Calendario notatur. pag.* 196. *Sanctiſſimæ Virgini Lauretanæ ab Hæreticis æquiparatur. ibidem. Sacram Unctionem in ſui inauguratione irridet. pag.* 324. *Epiſcopo celebranti, ne ſacram Hoſtiam elevet, præcipit. ibidem. Regni Comitia convocat. ibidem. Declaratur legitima Regni Hæres. ibidem. Parlamenti Acta, propoſita iuramenti*

forma,

forma, exequi mandat. ibidem. Eius crudelitas in Catholicos. pag. 326. 327. *Fictis verbis Scotorum Reginam decipit. pag.* 328. *Carleoli cuſtodiri iubet. ibidem. Ultimo ſupplicio afficit. pag.* 334. *De eius morte dolorem ſimulat. pag.* 336. *In Hibernos Catholicos immaniter deſævit. pag.* 339. *Exeſsia Comitem Hiberniæ Proregem declarat. pag.* 341. *Eidem male actam expeditionem literis exprobrat. pag.* 343. *Eidem ad Aulam acceſsum prohibet. pag.* 344. *Ultimo ſupplicio affici imperat. pag.* 347. *Carolum Bluntum Hiberniæ Proregem conſtituit. pag.* 348. *Debellata Hibernia Epiſcopos ac Miniſtros creat. pag.* 353. *Leges contra Catholicos evulgat. ibidem. Iacobum Scotorum Regem ſibi ſucceſsorem declarat. pag.* 354. *Moritur. pag.* 355.
Epiſtola ad Imperatorem à Cardinalibus miſsa de Urbani VI. electione. pag. 132.
Euchariſtiæ Miraculum. pag. 153.

F

Feſtum Sanctiſsimæ Trinitatis à quo, & cur primùm inſtitutum. pag. 102. *Diverſimode à Gallis & Germanis celebratum. pag.* 103.
Flabellum Diaconorum. pag. 260.
Fœminæ Lolardicę publice concionantur. pag. 192. *Talem poteſtatem à Parlamento firmari petunt. ibidem. Miſsas celebrant. pag.* 197.
Franciſci Suarez inanis pro Ruperto Ab. excuſatio pagina 110.

G

Gabrielis Prateoli de tempore Witclefi opinio laudata. pag. 20.
Galeatius Comes Gualdus Prioratus Hiſtoricus inſignis. pag. 365. 368.
Germani Profeſsores Academia Pragenſis partim Erfordiam, partim Lipſiam commigrant. pag. 291.
S. Gregorius Magnus Auguſtinum Monachum in Angliam mittit. pag. 14. *Scribit ad Auguſtini Socios. ibidem.*
Gregorius XI. ſcribit ad Archiepiſcopum Cantuarienſem, ut de Witclefi erroribus inquirat. pag. 24. *Eduardo Angliæ Regi conqueritur de lege lata contra Sedem Apoſtolicam. pag.* 36. *Tres epiſtolas ſcribit Archiepiſcopo Cantuarienſi. pag.* 70. *Apoſtolicam Sedem Romæ reſtituit. pag.* 124. *moritur. pag.* 128.
S. Gregorius Thaumaturgus Pœnitentium claſses primus ordinavit. pag. 226.
Gregorij Leti Apoſtatæ inſigne teſtimonium de Elizabethę Papatu. pag. 196.
Gualterij ſententia de tempore Witclefi reprobatur: pag. 21.
Gualtherus Britte contra Cleri poſseſsiones libellum publicat. pag. 282.

H

Henricus de Percy Magnus Angliæ Mareſchallus Witclefi Protector. pag. 76. *In Epiſcopum Londi-*

Londinenſem contumelioſe invehitur ibidem.

Henricus Lanchaſtrij Filius à Richardo Rege Dux Herefordiæ declaratur pag. 287. *In exilium mittitur. ibidem. Bonis omnibus privatur. Ibidem. Ad Regnum vocatus in Angliam revertitur. ibidem. Conflato exercitu contra Regem proficiſcitur. pag.* 288. *Eundem captivum Londinum ducit. ibidem. Rex ſalutatur. ibidem. Lolardos perſequitur. pag.* 289. *Moritur. pag.* 297.

Henricus V. Angliæ Rex Patri ſuccedit. pag 297. *Witcleſiſtarum laudes, ac munera deſpicit. pag.* 298. *Ioannem Oldecaſtell dignitatibus privat. pag.* 301. *Witcleſiſtas rebelles exterminat. pag.* 302. *Edictum publicat. ibidem.*

Henricus Chicheley fit Archiepiſcopus Cantuarienſis. pag. 297.

Henricus VIII. Anglię Rex contra Lutherum ſcribit. pag. 308. *Titulo* Defenſoris Fidei *à Romano Pontifice decoratur. pag.* 309. *Bolenæ amoribus captus Catholicam Eccleſiam deſerit. ibidem. In Catholicos immaniter deſævit. pag.* 310.

Hęreſiarchæ antiqui Fœminas Sacerdotes inſtituebant. pag. 200.

Hęreticorum in Anglia innumerabiles Sectæ. pag. 359. *Diſsidia ac Rebelliones cauſant. pag.* 362.

Hibernica perſequtio. pag. 339. 369.

Hiberni Hæreticorum Exercitum trucidant. pag. 341. *Ad Kinſalam infœliciter pugnant. pag.* 351. *In fide Catholica conſtantiſsimi. pag.* 353.

Hieronymus Pragenſis Oxonij ſub diſciplina Petri Payne fit Witcleſiſta. pag. 289. *Primus Witcleſi Trialogum Pragam defert. ibidem. Huſsij Auditor ac Collega. pag.* 292. *Witcleſi effigiem collo appenſam geſtabat. ibidem. Populum Pragenſem ſuis concio-*

nibus

nibus corrumpit. pag. 293. *Conſtantiam vocatus vivus comburitur. pag.* 294.
Hiſpana Claſsis in Momoniam appulit. pag. 350.
Huſsitarum nomen quando primùm emerſerit. pagina 292.
Huſsitæ facta ſeditione Summi Pontificis Bullam Meretricis collo alligant. pag. 293. *Audita morte Huſsij ſibi Ducem eligunt Ziſcham, Patriamque dilacerant. pag.* 295. 305.
Hugo Latimerus Wigornienſis Epiſcopus comburitur. pag. 321.

I

I*Acobus I. Magnæ Britanniæ Rex veneno extinctus. pag.* 362.
Iacobus II. Eboracenſis Dux Catholicus, Rex conclamatur. pag. 372. *A' Rebellibus Hæreticis Regno pellitur. ibidem.*
Iacobus Severtius Bertrandum cum Beraldo confundens inſigniter errat. pag. 118.
Ina Weſt-Saxonum Rex. pag. 42. *Romam cum Uxore proficiſcitur. pag.* 44. *Eius itineris annus contra Arnoldum ſtabilitur. pag.* 45. *Denarij S. Petri tributum non inſtituit. pag.* 46. *Eiuſdem leges de ſolvendis decimis. pag.* 47. *Romæ ignotus ſanctiſsima obit. pag.* 55.
Ioannes Ashwerby Witclefi Sectator. pag. 65.
Ioannes Ayſton Witclefi Sectator. pag. 65. *Ad Concilium vocatus Hæreſes eiurat. pag.* 157. *Relapſus perpetuo carceri mancipatur. ibidem.*
Ioannes Ballæus Presbyter Witclefi diſcipulus perpetuo carcere damnatur. pag. 144. *A' Ruſticis ſeditio-*

Digitized by Google

ſis liberatur. ibidem. Rebelles ſuis concionibus animat. pag. 145. *Laqueo necatur. pag.* 147.
Ioannes Baptiſta Comes de Garzadoris Nobilis Vicentinus. pag. 360.
Ioannis Baptiſtæ Ricciolij opinio, Conſulatum poſt Iuſtinum deſiiſſe refellitur. pag. 19. *Eiuſdem error de tempore Witclefi. pag.* 23.
Ioannes Bukingamus Epiſcopus Lincolnienſis citari iubet Wilielmum Swinderby. pag. 164.
Ioannes Checus Eduardi VI. in Hæreſi Præceptor: pag. 312.
Ioannes Dudlæus Varvicenęſis Comes Seimero infenſiſſimus. pag. 315. *Ducatu Northumbriæ donatur; ibidem. Eduardum Regem veneno inficit. ibidem. Arce Londinenſi potitur. pag.* 316. *Ioannam Graiam Filij Uxorem Angliæ Reginam acclamari facit. ibidem. capite plectitur. pag.* 318.
Ioannes Fiſcherus Epiſcopus Roffenſis contra Lutherum ſcribit. pag. 308.
Ioanna Graia Angliæ Regina acclamatur. pag. 316. *Edictum promulgat contra Mariam & Elizabetham. pag.* 317. *Capite plectitur. pag.* 318.
Ioannes Hus Artium Magiſter Witclefi defenſionem ſuſcipit. pag. 291. *Univerſitatem Pragenſem turbis implet. ibidem. Witclefi Hæreſes publice docet, eiusque Trialogum in vernaculam lingvam vertit. pag.* 292. *Conſtantiam vocatus in Hæreſi perſiſtens vivus comburitur. pag.* 294.
Ioannes Leg à ſeditioſis interfectus. pag. 146.
Ioannes Dux Lanchaſtriæ Witclefi protector. pag. 27. *In Hiſpaniam proficiſcitur. pag.* 28. *In Angliam revertitur. pag.* 31. *Ex Aula deturbatus paulo poſt revocatur. pag.* 38. *Richardi II. Tutor. pag.* 65. *Cogit Witcleſum poteſtati Eccleſiæ ſe ſubmittere;*

pag. 151. *In Hiſpaniam iterum navigat. pag.* 172. *Victo Caſtellæ Rege in Patriam remeat. ibidem. Impedit ne in Lolardos ageretur. ibidem. In Ambianos pro componenda pace Legatus mittitur. pag.* 183. *Witcleſiſtas Thomæ Fratri Gloceſtriæ Duci commendat. ibidem. Inducias cum Gallis paciſcitur. pag.* 184. *Fit Dux Aquitaniæ. pag.* 186. *Ab Aquitanis reiectus Londinum remeat. pag.* 187. *Witcleſiſtarum ſeditionem reprimit.* 284. *Lanchaſtriam relicta Aula ſe confert. ibidem. Moritur. pag.* 287.

Ioannes Miltonus Scriptor mendaciſsimus. pag. 363. *Eius liber Carnificis manu combuſtus. pag.* 359. *In Carolum Regem & Mariam Scotorum Reginam nefarie ſcribit. pag.* 367.

Ioannes Oldecaſtell Rebellionis Caput. pag. 300. *De Hæreſi convictus veniam deprecatus liber dimittitur. pag.* 301. *Relapſus Symbolum ſuæ fidei evulgat. ibidem. Regem opprimere tentat. ibidem. Captus in carcerem truditur. pag.* 302. *Cognatorum induſtria elabitur. ibidem. Iterum captus vivus comburitur. pag.* 303.

Ioannes Purvey Presbyter Witcleſi Sectator per Leyceſtriam concionatur. pag. 162. *Leyceſtriam deſerens ad Witcleſum ſe confert. pag.* 167. *Lincolnienſem Diaceſim relinquit. ibidem. Leyceſtriam cum ſocijs revertitur. pag.* 173. *Novas turbas movet. ibid. Iterum Patriam relinquit. pag.* 174. *Londinum venit. pag.* 189. *Witcleſi Gloſſator & Interpres à ſuis appellatus. ibidem. Librum contra Cleri poſseſsiones evulgat. pag.* 182. *Alterum quo Fœminis Sacerdotium tribuit. pag.* 190.

Ioannes XXII. Summus Pontifex Bullam contra Ladislaum Regem Neapolis Bohemiam mitit. pag. 293.

Ioannes

Ioannes Ziſcha Huſsitarum Dux. pag. 295.

Ioannes Witcleſus Presbyter. pag. 1. *In Academia Oxonienſi Artium Profeſſor*. pag. 2. *Parochus de Lutterworth*. pag. 3. *Fit Hæreticus*. ibidem. *Regis Aulam erroribus inficit*. pag. 8. *Oxonij è Cathedra in Eccleſiaſticos debacchatur*. pag. 9. *Quatuor Mendicantium Ordines Caſtra Caimica appellat*. pag. 10. *Eccleſiaſticam poteſtatem proſcindit*. pag. 26. *Opuſcula contra Epiſcoporum iura publicat*. pag. 27. *Pontificis authoritatem deprimendam Lanchaſtrio ſuggerit*. pag. 31. *Septem Sacramenta oppugnat*. pag. 32. *Trialogum ſcribit*. pagina 34. *Tractatum de Sermone Domini in Monte contra Pontificem edit*. pag. 35. *Lutterworth veniens concionatur*. pag. 37. *Leyceſtriæ & Lincolniæ Comitatibus Hæreſes ſerit*. ibidem. *Oxonium revertitur*. pag. 65. *Citatur ad comparendum*. pag. 72. 75. *Eius codices igni traduntur*. pag. 74. *Londinum petit*. pag. 75. *Iudicibus ſe ſiſtit*. pag. 76. *Negat ſuas eſſe propoſitiones ab Univerſitate damnatas*. ibid. *Liber dimittitur*. pag. 77. *Iterum Oxonium citatur*. ibidem. *Verum Catholicum ſe fingit & aliquos errores retractat*. pag. 79. *De Sacramento Euchariſtiæ impie loquitur*. pag. 81. *Berengarij Sectator*. ibidem. *Impanationis dogma prius deteſtatur poſtea defendit*. pag. 91. 92. *Ob exortum Schiſma ex Oxonienſi Concilio liber evadit*. pag. 115. *In morbum incidit*. pag. 140. *Eius reſponſio ad ſuadentes pœnitentiam*. ibidem. *Turpia ac ſordida in Mendicantium Ordines eructat*. ibidem. *Eius de orto Schiſmate ſententia*. pag. 141. *Seditioſas propoſitiones publicat*. ibidem. *Oxonio Leyceſtriam ſe confert*. pag. 147. *Wilielmum Swinderby concionatorem inſtituit*. ibidem. *Provocationem à Concilio*

ad

ad Regem meditatur. pag. 150. *Lanchaſtrij verbis territus ſubmiſsionem Summo Pontifici Scriptis evulgat. pag.* 151. *Conſtitutis per Leyceſtriam ſuarum Hæreſum promulgatoribus ſe occultat. pag.* 162. *Lincolnienſem Diœceſim deſerit. pag.* 167. *Senio confectus Lutterworth venit. ibidem. In Feſto D. Thomæ Cantuarienſis ſuggeſtum conſcendens paralyſi necatur. ibidem. Eius cadaver in eadem Eccleſia ſepultum exhumatum poſtea comburitur. pag.* 168. *Eiusdem propoſitiones damnatæ in Concilio Coſtantienſi pag.* 385.

Ioſeph Sorius. Nobilis Vicentinus. pag. 372.

Iuſtus Lipſius Sacerdotes Fœminas Auguſto conſecratas ridet. pag. 199.

L

LEo *Iſaurus Iconomachus. pag.* 46.

S. Leo Magnus prohibet Monacham Velum profeſsionis accipere, niſi quadraginta annorum ætate. pag. 276.

Leo X. Summus Pontifex Henricum VIII. Angliæ Regem titulo Defenſoris Fidei *honorat. pag.* 309.

Livia Divi Auguſti Sacerdos. pag. 200.

Lipſienſis Academiæ ſub auſpicijs Friderici Bellicoſi Origo. pag. 291.

Lolardi in Anglia & eorum Origo. pag. 66.

M

MAioriani *Imperatoris edictum contra cogentes filias ad perpetuam Virginitatem. pag.* 276.

Manus

Manus impoſitio multiplex in Eccleſia Catholicâ. pag. 261.
Maria Henrici VIII. & Catharinæ Auſtriacæ Filia ſe Reginam proclamat. pag. 318. *Arcem Londinenſem triumphans ingreditur. ibidem.* Primatus *titulum abdicat. pag.* 319. *Totum Regnum ad Catholicam Religionem reducit. ibidem. Epiſcopos Catholicos carcere liberat. ibidem. Moritur. pagina* 321.
Maria Stuarta Scotorum Regina ab Elizabetha decipitur. pag. 328. *In cuſtodiam traditur. ibidem. Ad Elizabetham ſcribit. ibidem. Mortis ſententiam generoſe ſuſtinet. pag.* 329. *Sanctiſsime obit. pag.* 334. *Eius Epitaphium. pag.* 335.
Martinus Lutherus Propheta ſtercoreus. pag. 141. *Aſſerit Fœminas eſſe Sacerdotes. pag.* 191. *Witclefi & Huſsij Hæreſes in Saxonia ſuſcitat. pagina* 306. *Ad Bohemos ſcribit. ibidem. Se Cygnum ab Huſsio prænuntiatum iactat. ibidem. In Romanæ Eccleſiæ Indulgentias debacchatur. pag.* 307. *Populos ad ſeditiones excitat. ibidem. Ab Henrico VIII. Angliæ Rege, & Roffenſi Epiſcopo ſcriptis impugnatur. pag.* 308.
Martini V. Epiſtola ad Thomam Waldenſem. pagina 22.
Martinus Bucerus Argentoratenſis Dominicanorum Apoſtata. pag. 312.
Michaelis Alfordi opinio de Romæ-ſcot Scholæque Anglorum inſtitutore Ina refellitur. pag. 47.
Mulieres Apoſtolis miniſtrabant. & Eccleſiæ inſerviebant. pag. 203.

N

Natalis Alexandri error Chronologicus . pag. 15.
O-Neal Tir-Oeniæ Comes Hibernus Catholicorum Dux . pag. 340. *Anglorum Duce propria manu occiſo, inſigni victoria potitur . pag.* 341. *Eius cum Exeſsio Prorege colloquium . pag.* 342. *Suos Hibernos Summi Pontificis Bulla animat . pag.* 348. *A' Blunto Prorege victus Romam ſe recipit . pag.* 352.
Nicolaus Harpsfeldius rotundo numero uſus longius digreditur . pag. 13. 16.
Nicolaus Hereford Witclefi Sectator ad Concilium vocatus fugam arripit . pag. 158. *Romæ in carcerem truditur . ibidem . Occaſione ſeditionis liberatus in Angliam revertitur . pag.* 160. *Captus perpetuo carceri mancipatur . ibidem .*
Nicolaus Ridlæus Epiſcopus Londinenſis vivus comburitur . pag. 321.
Novendalia cuilibet defuncto Pontifici celebrantur . pag. 130.

O

Oatz Apoſtata calumniarum in Catholicos Author . pag. 370. *Eius calumnia in Angliæ Reginam . pag.* 371. *In carcerem truditur . ibidem . A' Parlamentarijs liberatur . ibidem .*
Offa Merciorum Rex vectigalis Denarij S. Petri inſtitutor . pag. 55. *Sancti Albani reliquias invenit . pag.* 57. *Romam proficiſcitur . pag.* 59. *Regnum ſuum*

um Romana Eccleſia Vectigale facit. ibidem. Anglorum Scholam Romæ ædificat. pag. 60. Templum S. Albani ac Monaſterium in Anglia. ibidem.
Oliverius Cromwell Anglis decennio dominatur. pag. 369. *Hibernos perſequitur. ibidem.*
Opus de divinis Officijs ab Witclefo laudatur. pagina 92.
Orarium ſive Stola Diaconorum, & Diaconiſſarum. pag. 259.

P

PAnis Buccellatus. pag. 224.
Parlamenti Anglicani ſancita contra Catholicam Religionem ſub Eduardo VI. pag. 313. *Decreta contra Catholicos ſub Wilielmo III. pag.* 374.
Patritius Ockellius Epiſcopus Maionenſis in Conactia exquiſitis tormentis cruciatur. pag. 340.
Petrus Caſtella Rex à Fratre occiditur pag. 28.
Petri Amelij Alectenſis itinerarium pag. 125.
Petrus Cardinalis de Fuxo Apoſtolicæ Sedis Legatus ad Aragoniæ Regem. pag 135.
Petrus de Luna in Pſeudopontificem eligitur. pagina 135.
Petrus Martyr Vermilius Florentinus Lateranenſium Apoſtata. pag. 312.
Petrus Pateshull Auguſtinianus Witclefi Sectator. pag. 65. *Duos libellos evulgat. pag.* 283.
Petrus Payne Oxonij Artium Profeſſor in Bohemiam fugit. pag 290.
Pepuziani Fœminas Sacerdotio decorabant. pagina 200.
Phœbes Diacona tempore D. Pauli. pag. 44.

Philippi

Philippi Mornai de Pleſsis Mendacium. pag. 40.

Philippus Repington Lateranenſis Witclefi Sectator. pag. 65. *Defenſionem pro Witclefo evulgat.* pag. 150. *Ad Concilium Londini vocatus pœnitens veniam petit.* pag. 157. *Fit Abbas Leyceſtrenſis, Epiſcopus Lincolnienſis, tandem à Gregorio XII. Cardinalis creatus.* ibidem.

Plinij Proconſulis inſigne teſtimonium de Chriſtianis. pag. 180. *Duas Diaconiſsas tormentis affligit.* pag. 246.

Pœnitentia publica Gradus in veteri Eccleſia. pagina. 225.

Polydorus Vergilius Pontificius Quaeſtor in Anglia. pag. 41. *Eius error Chronologicus.* pag. 297.

Populi Romani tumultus in electione Pontificis. pag. 129. 131. *A' Cardinali Tebaldeſco ſedatus.* ibidem.

Presbyteri ſoli Epiſcopo aſsidentes in ſacro Tribunali ſedebant. pag. 236.

Presbyteriſsa. pag. 204. *Varia huius nominis acceptiones.* pag. 205. 206. *Conditiones ad talem prærogativam requiſita.* ibidem. *Non præſidebant in Eccleſia.* pag. 210. *Earum Officia.* pag. 214. *Non erant Clerica.* pag. 217. *Paranimphę ſeu Pronuba Matrimoniorum.* pag. 222.

Pſallere in Eccleſia olim Fœminis permiſſum. pag. 233. *Poſtea prohibitum.* pag. 238.

R

R*Aymundus Gothus Archiepiſcopus Burdegalenſis eligitur Pontifex.* pag. 118. *Clemens V. vocatur.* pag. 124. *Lugduni Papatus inſignia ſuſcipit.* ibidem. *Apoſtolicam Sedem in Gallijs firmat.* ibid.

Reginal-

Reginaldus Polus Cardinalis in Anglia Legatus Apoſtolicus. pag. 319. *Moritur. pag.* 322.
Richardus II. *Eduardi III. Nepos Rex Angliæ pag.* 64. *Seditioſos Ruſticos delinire curat. pag.* 245. *Diploma contra Witcleſiſtas evulgat. pag.* 169. *Lanchaſtrium in Ambianos mittit. pag.* 183. *Comitia apud Weſtmonaſterium indicit. pag.* 184. *Lanchaſtrium Aquitaniæ Ducem declarat. pag.* 185. *In Hiberniam tranſmittit. pag.* 282. *In Angliam revertitur. pag.* 284. *Gallorum Regis Filiam in Uxorem ducit. ibidem. Gloceſtrium Patruum occidi iubet. pag.* 286. *Parlamentum convocat. ibidem. Henricum Lanchaſtrij Filium exilio multat. pag.* 287. *Paterna hæreditate privat. ibidem. In Hiberniam iterum proficiſcitur. ibidem. Ab Henrico Lanchaſtrio captus fame necatur. pag.* 288.
Richardus Coxus Eduardi VI. *in Hæreſi Præceptor. pag.* 312.
Richardus Scrope ſupplicio afficitur. 289.
Richardus Wayteſtathe Presbyter Witclefi Sectator & Concionator. pag. 162. *Sacras Imagines perſequitur. pag.* 163. *Leyceſtriam revertitur. pag.* 173. *Iterum deſerit. pag.* 174.
Rituales pro ordinandis Diaconiſsis. pag. 253.
Robertus Cardinalis Gebennenſis in Pſeudopontificem contra Vrbanum VI. eligitur. pag. 115. *Clementem VII. ſe nominat. ibidem. Avenionem cum Schismaticis Cardinalibus proficiſcitur. pag.* 134. *Moritur. pag.* 135.
Robertus Haliſius Hieroſolimitanus Eques à ſeditioſis occiſus. pag. 146.
Robertus de Evereux Exeſsiæ Comes Elizabethæ delicium. pag. 340. *Alapa caſus à Regina, Aulam deſerit. ibidem. In gratiam redit. ibidem. Fit Pro-*

rex Hiberniæ. pag. 341. Inducias cum Hibernis paciſcitur. pag. 342. Elizabetham Vernoniam Uxorem ducit. pag. 343. Acrioribus Reginæ literis perſtringitur. ibidem. Londinum inſcia Regina revertitur. ibidem. In cuſtodiam traditur. pag. 344. Inhibito ad Aulam acceſſu dimittitur. ibidem. Londinum armata manu ingrediens Plebem ſolicitat. ibidem. A' Ioanne Leviſono repulſus fugam arripit. pag. 345. Domi obſeſſus deditionem facit. ibid. Parium Iudicio ſiſtitur. pag. 346. Læſæ Maieſtatis Reus damnatus capite plectitur. pag. 347.

Robertus Bellarminus à Baudino infæliciter citatus. pag. 5.

Rogerus Claryngtonus Eques auratus ſupplicio afficitur. pag. 289.

Rogerus Actonus Rebellium ductor. pag. 301. Captus ultimo ſupplicio afficitur. pag. 302.

Rupertus Abbas Tuitienſis verus Author Operis de divinis Officijs. pag. 98. Illud compoſuit Leodij in Monaſterio S. Laurentij. pag. 99. 101. Eiusdem error de impanatione. pag. 104. De tali Hareſi immerito culpari oſtenditur. pag. 107.

Ruſticorum Rebellio in Saxonia. pag. 308.

Ruſticorum ſeditio contra Regem Richardum. pag. 142. cauſa & origo. ibidem. Divi Thomæ Templum & Archiepiſcopi Ædes Cantuariæ diripiunt. pag. 145. Londinum ſe conferunt. Urbem ubique rapinis ac ſangvine fœdant. ibidem. Archiepiſcopum Cantuarienſem obtruncant. pag. 146. A' Regijs aggreſſi fugam arripiunt. pag. 147.

S

SAcerdotium Muliebre à cæca Gentilitate invectum oſtenditur. pag. 197.

Schisma in Eccleſia Catholica oritur. pag. 114. De ipſius duratione variæ opiniones. pag. 135. Verior ſententia ſtabilitur. ibidem.

Sedes Apoſtolica in Galliam translata. pag. 124. Verior ſententia de annis quibus ibi permanſit. pagina 128.

Simon Iſlepus Archiepiſcopus Cantuarienſis opuſculum contra Witclefum publicat. pag. 8. Witclefi libellos prohibet. pag. 27. Moritur. pag. 28.

Simon Langhamius fit Archiepiſcopus Cantuarienſis. pag. 28. Concilium convocat. pag. 29. Triginta propoſitiones damnat. ibidem. Damnationis decretum ad Cancellarium Oxonienſem publicandum mittit. ibidem. Ab Urbano V. Cardinalis creatur. pag. 34.

Simon Suthbery Archiepiſcopus Cantuarienſis. pag. 70. Witclefum Londini citari iubet. pag. 72. Concilium Oxonij indicit. pag. 77. A' Seditioſis obtruncatur. pag. 146.

Subinco à Leporibus Archiepiſcopus Pragenſis Witclefi libros comburi iubet. pag. 293.

T

TEbaldeſcus Cardinalis Populi Romani tumultum ſedat. pag. 131. Urbano VI. ſemper adhæſit. pag. 133.

Tertul-

Tertulliani teſtimonia à Lupo allata elucidantur. pag. 219. *Factus Montaniſta ſecundas Nuptias damnat. pag.* 224.

Thomas Asheburne Auguſtinianus inſignis Theologus. pag. 150.

Thomas Arundelius fit Archiepiſcopus Cantuarienſis. pag. 285. *Concilium Londini, Alterum Oxonij celebrat. ibidem. Witclefiſtas ubique inſequitur. pag.* 288. 290. 297. *Moritur. pag.* 297.

Thomas Baker Seditionis Caput. pag. 144.

Thomas Baro Borough Hiberniæ Prorex immaniſſimus. pag. 339. *Moritur. pag.* 340.

Thomas Cromnerus Archiepiſcopus Cantuarienſis: pag. 313. *Eius Mandatum ad Epiſcopos Regni. ibidem. Catechiſmum evulgat. pag.* 314. *Primus ex Eccleſiaſticis in Anglia Uxorem ducit. ibidem. Vivus comburitur. pag.* 321.

Thomas Dux Gloceſtriæ Lanchaſtrij Frater Witclefiſtarum patrocinium ſuſcipit. pag. 183. *Eiusdem odium in Richardum Regem. ibidem. In eundem obloquitur. pag.* 284. *Londinenſes, ne tributa ſolvant, ſolicitat. ibidem. Laqueo necatur. pagina* 286.

Thomas Maurocenus primus Latinorum Patriarcha Conſtantinopolitanus. pag. 280.

Thomas Mombraius in exilium miſſus Venetijs moritur. pag. 287.

Thomas Seimerus Regiæ Claſſis Præfectus capite plectitur. pag. 315.

Thomas Waldenſis à Baudini impoſtura vindicatur: pag. 4. *A' Cardinali Bona ſingulari Encomio laudatur. pag.* 7. *Eius mens de tempore Witclefi elucidatur. pag.* 23. *Eiusdem opinio de Authore Operis de divinis Officijs reicitur. pag.* 94.

Thoma

Digitized by Google

Thomas Wintertonus Witclefi Amicus, poſtea Hoſtis: pag. 65.
Torelli error de tempore Witclefi. pag. 23.
Traiani Boccalini commentum improbatur. pagina 354.

V

VIduitas in Eccleſia Catholica ſemper in honore habita. pag. 213.
Vigiliæ Lolardorum. pag. 179. 181.
Vigiliarum Ritus in Romana Eccleſia. pag. 180. 181.
Univerſitas Oxonienſis Witclefi propoſitiones damnat. pag. 73.
Univerſitas Pragenſis Witclefi ſcripta ſolemniter damnat. pag. 291.
Urſula quædam Lutherana Sacramenta adminiſtrabat. pag. 195.

W

WAleramus non fuit Author Operis de divinis Officijs. pag. 96.
Waltherus Lolardus Hæreticus Coloniæ combuſtus. pag. 67.
Waltherus Tyler Rebellium ductor. pag. 143. *Evaginato pugione Regi mortem minitatur. pag.* 147. *Occiditur. ibidem.*
Wenceslaus Bohemiæ Rex Bohemis indulget ut æque ac Germani Academiæ Pragenſis prærogativis fruantur. pag. 291. *Ignaviæ ventrique deditus. pag.* 294. *Eius dictum de Huſsio. ibidem.*

Wilielmus quidam Witclefi Magiſter. pag. 26.
Wilielmus de Berton Univerſitatis Oxonienſis Cancellarius. pag. 72. *Eius mandatum contra Witclefi propoſitiones. pag.* 73. *Witclefo prohibet amplius publice legere in Univerſitate. pag.* 75.
Wilielmus Courtenay Archiepiſcopus Cantuarienſis. pag. 150. *Concilium Londini indicit. ibidem. Nonnullas Witclefi propoſitiones damnat. pag.* 152. *Eius mandatum ad omnes Epiſcopos, ut de Witclefi Sectatoribus inquirant. pag.* 154. *Leyceſtriam cum Lincolnienſi Epiſcopo ſe confert. pag.* 173. *Anathematis ſententiam in Witcleſiſtas pronuntiat. ibidem. Northantoniam venit, inde ad proprias ſedes revertitur. pag.* 174. *Eiuſdem obitus. pag.* 284.
Wilielmus Smyth Laicus Witclefi Sectator, & Concionator. pag. 162. *Sacras Imagines perſequitur. pag.* 163. *Hæreſes eiurat. pag.* 174. *Pœnitentiam ſibi impoſitam humiliter implet. ibidem.*
Wilielmus Swinderby Presbyter Concionator per Leyceſtriam ab Witclefo deſignatur. pag. 148. *Nobilium quorundam patrocinio libere concionatur. pag.* 162. *Citatus, coram Epiſcopo Lincolnienſi ſe ſiſtit. pag.* 164. *De Hæreſi convictus igni damnatur. pag.* 165. *Lanchaſtrij precibus liberatur. ibidem. Eius abiurationis formula. pag.* 166. *Relapſus comburitur. pag.* 167.
Wilielmus Taylor Witcleſiſta Concionator combuſtus. pag. 283.
Wilielmus Thorpe Witcleſiſta Concionator combuſtus; pag. 283.
Wilielmus Whyte Witcleſiſta opuſculum contra decimas evulgat. pag. 282.
Witcleſiſtæ cur appellati Lolardi. pag. 68. *Varios libellos in Magiſtri laudem diſeminant. pag.* 168.

Regio

Regio diplomate reprimuntur . pag. 169. *Leyceſtriæ novas turbas excitant . pag.* 173. *Quamplurimi anathemate territi veniam petunt . ibidem . Londini occulti ſe produnt . pag.* 175. *Cœtus ac Vigilias agunt . pag.* 176. *Eorum Ritus infames ac ſordidi . pag.* 179. 180. *Minaces ſchedas Eccleſiarum Valvis affigunt . pag.* 182. *Libello ſupplici petunt Romani Pontificis authoritatem in Anglia coerceri. pag.* 184. *Londinenſem populum à Pontificis obedientia avertere tentant . pag.* 189. *Nova in Clerum moliuntur . pag.* 282. *De Archiepiſcopi morte latantur . pag.* 285. *Ab Henrico Rege peſſime habiti Patriam deſerunt , ac ſe occultant . pag.* 289. *Bohemiam omnia Witclefi ſcripta deferunt . pag.* 290. *Literas approbatorias Anulo Univerſitatis Oxonienſis furtive ſigillant . ibidem . Arundelij vigilantia ubique territi ac disperſi . pag.* 297. *Mortuo Arundelio iterum inſurgunt . pag.* 298. *Henricum V. Regem laudibus efferunt . ibidem . Pecunia corrumpere tentant . ibidem . Libellos famoſos in ipſum evulgant . pag.* 299. *Audita Witclefi damnatione , ac Huſsij morte rebellant . ibidem . Regem opprimere coniurant . pag.* 300. *In fugam acti occiduntur . pag.* 302. *A' tota Anglia exterminantur . pagina* 304.

FINIS.

005646628